BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE
68
2 A
38
2.27


Ginevra

AD SENECÆ LE-ctionem Proodopœia.

In qua & nonnulli eius loci emendantur.

AVTORE HENR. STEPHANO.

EPISTOLÆ EIVSDEM partim Diorthotikæ quorũdam Senecæ locorum, (aut ſaltem in eorum diorthoſes ſtochaſtikæ) partim etiam in quoſdam Exetaſtikæ.



ANNO M. D. LXXXVI.

HENR. STEPHANVS LECTORI LECTIOnis Senecæ ſtudioſo S. D.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

EDITIONEM *Atticarum* NOCTIVM *Auli Gellij (quem in Agellium magis ex noua conſuetudine fortaſſe quàm ex firma quapiam ratione omnes propemodum συγκόπτουσιν) infinitos locos ex plurimis veteribus libris emendatos habentem, abſque meis* NOCTIBVS *Pariſinis in lucem venire nolui: quæ ex re (vt multi Pariſiis mihi conſcij ſunt) nomen habuerunt, & meritò dictæ fuerunt, Noctes Pariſinæ, Atticis Auli Gellij Noctibus inuigilatæ. Has verò abſque Apologia pro Aulo Gellio aduerſus Ludouicum Viuem in publicum ꝓdire, penè eſſe nefas exiſtimaui. Quum autem ei hanc clauſulam dediſſem, vt di-*

cerem, non aliam mihi maleuolentiæ & propè virulentiæ Ludouici Viuis in Aulum Gellium cauſam videri quàm quòd hic Annæum Senecam, hominem Hiſpanum, & quidem præcipuum Hiſpaniæ decus & ornamẽtũ, vituperaſſet. Viui enim, Hiſpano & ipſi, amicam quidem fortaſſe veritatem & παῤῥησίαν (quæ amorem veritatis comitatur) ſed amicã magis ſuam patriam fuiſſe, cui alioqui magnum impendere periculum videbat, quod timeret, ne, ſi qua fides Aulo Gellio haberetur, non amplius tantum honeſtamentum ſcripta Senecæ eſſent Hiſpaniæ ſuæ allatura. Tandem igitur, quum vituperationem illam ferre non poſſet, tanquam talionis pœna plectere Gellium volentem, eum viciſſim vituperandum cenſuiſſe.

Hæc (inquam) à me quum ibi ſcripta eſſent, ſimúlque capita vituperationis Gellianæ & accuſationis Fabianæ (nam, meo quidem iudicio, quæ à Gellio dicuntur, magis ſunt vituperantis quàm accuſantis: quæ à Fabio, magis accuſantis quàm vituperantis) eſſent attentius conſiderata: ve-

nit in mentem viciſſim pro Seneca aduerſus Aulum Gellium Apologiam ſcribere. Et verò quod in mente habebam exequutus paucis pòſt diebus, Apologiam illam ſcripſi: quam Pariſiis paucis quibuſdam, Lugduni autem, vni Iacobo Dalechampio, de Senecæ ſcriptis omni diligentiæ genere (& præſertim quod ad collationem cum veteribus libris attinet) optimè merito, legendam exhibui.

Sed hanc quum non plenam nec ſatis neruoſam, & iiſdem armis (aliter tamen atque aliter iis vtendo) defendendum illum non ſolùm aduerſus Aulum Gellium ſed etiam aduerſus alios vituperatores exiſtimarem, aliam ampliorem neruoſiorémque ſcripſi. Verùm vbi ad illam Apologiæ huius partem veni in qua reprehenſoribus ſermonis Senecæ reſpondendum eſſe videbam, ita mihi familiarem ſtylum eius reddidi (quod antea non feceram) vt paruo labore, dum recens memoria erat, multũ adiumẽti lectionis Senecæ ſtudioſis, ſed in ea nouitiis, allaturus mihi viderer, ſi quandam velut ΠΡΟΣΟΠΟΠΟΙΙΑΜ

ad eam ſcriberem: & verò meis ipſius ſtudijs in poſterum conſulturus, ſi contingeret vt memoria ob deſuetam illius lectionem renouanda eſſet, ideóq. talia ὑπομνήματα deſideraret. Quod igitur in Plutarchum facere iampridem cogitaui, ſed nondum feci, id in Senecam eodem fere quo cogitaui tempore præſtiti.

Quàm autem feliciter id præſtiterim, rogo te ne prius iudices, (ſi fortè vnus es ex illis nouitiis Senecæ lectoribus,) quàm in hoc morem conſilio meo geſſeris, vt non prius hanc Proodopœïam in manus ſumas, quàm ὁδὸν lectionis eius ἄνευ τοῦ προοδοποιοῦντος ingreſſus fueris. Tum demum enim me, ſi non aliud, ſaltem compendiariam qua ad mentem Senecæ perueniri poſſet viam oſtendiſſe, pleriſque in locis, vbi alioqui hæſurus eras, ſpero fore vt ingenuè fatearis.

Iam verò, quum prius in quadam ad Iacobum Dalechampium (cuius antea honorificam mẽtionem pro eo ac debui feci) epiſtola, vnà cum epitaphijs in Petrum Victorium, quaſdam coniecturales emen-

dationes meas quorundam Senecæ locorũ miſiſſem, & has illi non diſplicuiſſe cognouiſſem: alias eodem argumento epiſtolas ad eundem miſi: quas huic Proodopœïæ adiungendas curaui.

Hæc ſunt quæ in Senecam danda eſſe exiſtimaui, interim dum varia ad eius editionem ſubſidia comparo. Quamuis enim me multi ſcriptores Græci partim ad ſe vocent, partim reuocent, nihilominus & Latinis locum aliquem relinquere, in meæ officinæ inſtauratione, ſtatui. Sed de alio potius quàm hoc Latino ſcriptore edendo cogitaſſem, ſi Romana editio meæ multorúmque aliorum expectationi reſpondiſſet: etiamſi bonus ille vir qui PYTHOCLEAM VIAM *in eam, aut ſaltem in eius Indicem, & quædam alia non minus inepta atque ridicula intruſit, eum integritati ſuæ reſtitutum eſſe prædicet. Multo tamen minus mendaciũ in titulo huius editionis eſſe fateor, quàm in titulo illius quã dixi hæc opera, cuiuſdam vigilantiſſima cura caſtigata promittere, & in nouam prorſus faciem,*

nimirum propriam & ſuam, mutata. Neminem enim vnquam (vti alibi dixi) in vllo libri titulo tam grandibus literis tam impudēter mentitum comperi: quum vix vlla editio magis monſtroſa errata habeat: vt ipſe de vocabulo Occiſorum pro Otioſorum, & viciſſim Otioſos pro Occiſos, necnon de nomine Pomponium pro Poſidonium, necnon de Cœnis pro Scenis, & de quibuſdam alijs, quorum in hac Proodopœia te admonui, facere coniecturam potes. Vale.

AD SENECÆ LECTIONEM PRODOPOEIÆ,

Liber Primus.

CAPVT I,

De Stoica Senecæ philoſophia, & de Stoico illius ſapiente.

AD SENECÆ lectionem quicunque nouus hoſpes accedet, is philoſophum à ſe legi ſciat, qui eſt, aut ſaltem haberi vult, *Virtutis veræ cuſtos rigidúſque ſatelles*, vt Horatij verbis vtar. Hunc enim honorem ſectæ Stoicæ, quam ſequebatur Seneca, iure optimo tribui ab Horatio conſtat: præſertim ſi verum eſſe putamus quod de Stoicis dicentem ipſum Senecam audimus, eos virilem ingreſſos viam, non vt amœna ineuntibus videatur curã habere, ſed vt quamprimùm nos eripiant, & in illum editum verticem educant, qui adeò extra omnem teli iactum

ſurrexit,vt ſupra fortunã emineat.Incredibilem certè nõ ſolùm magnitudinẽ animi, ſed firmitatem & tãtum non duritiam huic ſectæ ab aliis etiam tribui videmus: at Seneca eouſque progredi non dubitat, vt tantum inter Stoicos & cæteros ſapientiam profeſſos,quantum inter fœminas & mares intereſſe dicat:quum vtraque turba ad vitæ ſocietatem tantumdem conferat,ſed altera pars ad obſequendum, altera,(Stoicam intellige) imperio nata ſit. Hinc fit vt Stoicorum ſapientiam,non ſolùm rigidam, ſed virilem etiam appellet,in Conſolatione ad Heluiam:vbi ſcribit, *Zenoni,à quo cœpit rigida ac virilis ſapientia.* Sapientis porro viri,talis qualem prædicat, exemplar Marcum Catonem proponit: ita quidem vt etiam dicere auſit, Catonem à diis certius exemplar ſapientis viri, quàm Vlyſſem & Herculem prioribus ſeculis, datum eſſe. Horum autem mentionem facit,quòd eos, quum inuicti laboribus & contemptores voluptatis fuiſſent, Stoici ſapientes pronuntiauerint. Ac quum illa de Catone ſcripſiſſet circa initium diſputationis qua ſapientem vllam iniuriam contumeliámve accipere negat,vlterius progreſſus,*Hic ipſe M. Cato* (inquit) *à cuius mentione hæc diſputatio proceßit,vereor ne ſupra noſtrum exemplar ſit.*

Quum

Quum autem tanti hunc virum faceret, vt tam honorifico dignum titulo iudicaret, non erit quòd mireris adeò eius facta pariter & dicta paſsim in his libris celebrari.

Cæterùm, quum Stoicus ſit Seneca, in multis eius locis tibi occurret, *Stoici noſtri.* Sed & vbi illud tantùm pronomen leges *noſtri*, idem intelligendum fuerit. Eoſdem verò & populares ſuos alicubi vocat: vt libri De vita beata, capite decimotertio, *Inuitis hæc noſtris popularibus dicam.* Quinetiam vbi inuenies, *quædam ex noſtra moneta proferri*, quædam ſumpta ex Stoicorum doctrina ſignificari ſcias. Inuenies autem libri tertij De beneficiis capite trigeſimoquinto, in ipſo principio, *Iam tempus eſt quædam ex noſtra (vt ita dicam) moneta proferri.* Eodémque modo vbi dicit, *vt noſtra lingua loquar* (dicit autem epiſt. LXXIIII.) non dubium eſt quin de Stoica lingua ſit intelligendum: id eſt, de ſermone quem Stoicorum philoſophia ſibi peculiarem habebat. Sed epiſtola XIII. vbi ſcribit, *Non loquor tecum Stoica lingua, ſed hac ſubmiſsiore*, ad Stoicorum μεγαλοῤῥημοσύνην, & altiloquentiam (vt ita dicam) reſpicit, de ſuo ſapiente loquentium. Alicubi etiam Lucilium rogat vt ſibi per eum liceat verbis publicis vti, nec ea ad ſignificationem

Stoicam reuocet. De quo loco à me poſtea dicetur.

Philoſophiam quum tres in partes diuidat, vnam vocare *Rationalem* ſolet, quàm vulgò Logicam appellamus. Ideóque epiſtola c i i, cùius initium eſt, *Quomodo moleſtus eſt*, intelligere *Rationalia* debemus, Ad rationalem philoſophiam, id eſt, logicam, pertinentia. Illius autem in tres partes diuiſionis meminit epiſtola L x x x i x, quæ antea pro x c, habebatur. *Philoſophiæ* (inquit) *tres partes eſſe dixerunt & maximi & plurimi autores, Moralem, Naturalem & Rationalem.* Fuiſſe alioqui à nonnullis in plures, à quibuſdam in pauciores philoſophiam partes diuiſam, ibidem oſtendit. Quinetiam epiſtola quæ hanc proximè præcedit, eiuſdem diuiſionis, tãquam magis receptæ, mentionem facit.

CAPVT II,

De morali philoſophiæ parte, quam Seneca longè cæteris duabus antefert.
Quæ præcipuè doctrina ad philoſophiam moralem pertinens à Seneca inculcetur.

SEd quum Seneca Stoicum ſe philoſophum, & quidem talem, profiteatur, non

non immeritò doctrina & præceptis ad moralem philoſophiam pertinentibus libentius quàm aliis libros ſuos inſtruit. Vnde etiam videmus eum illa epiſtola C I I, fateri, ſe, in quadam quæſtione à Lucilio propoſita, rationalia quæ moralib. immixta erant, ab his ſeparaſſe, & in aliud tempus tractationem illorum diſtuliſſe. Illum igitur audies paſsim ſuum Lucilium ad philoſophiæ moralis ſtudium exhortantem: veluti quum epiſtolam L X X X I X. his verbis claudit: *Hæc aliis dic, vt, dum dicis, audias ipſe: ſcribe, vt, dum ſcripſeris, legas: omnia ad mores & ad ſedandam rabiem affectuum referens. Stude, non vt plus aliis ſcias, ſed vt aliquid melius.* ita enim legendum puto. Atq; vt illum ad ſtudium Philoſophiæ moralis hortatur, ita à ſtudio argutiarum dialecticarum dehortatur: & nominatim epiſtola L X X I, cuius initium, *Subinde me de rebus ſingulis conſulis.* Nam haud procul ab initio, *Erige te* (inquit) *Lucili, virorum optime, & relinque iſtum ludum literarium philoſophorum, qui rem magnificentiſsimam ad ſyllabas vocant: qui animum, minuta docendo, demittũt & conterunt. Fias* (ita enim ſcribo) *ſimilis illis qui inuenerunt iſta, non qui docent.* Quinetiam in principio epiſtolæ X L V I I I, poſtquam negauit poſſe quenquã beatè degere

qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit, & eum qui ſibi velit viuere, alteri viuere oportere dixit: atque hanc ſocietatem diligenter & ſanctè obſeruandam eſſe: paucis interiectis, *Hoc* (inquit) *Lucili virorum optime, mihi ab iſtis ſubtilibus præcipi malo, quid amico præſtare debeam, quid homini: quàm quot modis amicus dicatur, & homo quàm multa ſignificet.* Et poſtquam, non longo interuallo, adiecit, *Tu mihi verba diſtorques, & ſyllabas digeris*, ſubiungit, *ſcilicet, niſi interrogationes vaferrimas ſtruxero, & concluſione falſa à vero naſcens mendacium adſtruxero, non potero à fugiendis petenda ſecernere.* Interrogationes autẽ vaferrimas, vocat ſyllogiſmos vaferrimos: (imitando Græcos, qui συνερωτήσεις dixerunt) in quorum numero ponit hunc (qui perperam alius epiſtolæ principium ſtatuebatur.) *Mus ſyllaba eſt: mus autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit.* Statim pòſt & collectionem pro ſyllogiſmo itidem dicit: alium proponens ex quo contrarium efficitur. *Niſi fortè* (inquit) *acutior eſt illa collectio, Mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit: mus ergo caſeum non rodit.* Sic etiam epiſtola CXI, *Hanc conſtantiam cauillationes iſtæ, de quibus paulo antè loquebar, præſtare non poſſunt. Ludit iſtis animus, non*

non proficit, & philoſophiam à faſtigio deducit in planum. Necnon in CXIII, *Quin itaque potius aliquid vtile nobis ac ſalutare tractamus? & quærimus quomodo ad virtutes venire poſſimus? quæ nos ad illas via adducat?* Eadem autem de re locis aliquot quærentem Arrianum audimus.

Neque verò Dialecticam tantùm ſcientiam, ſed cæteras etiam, quas liberalium artium nomine complectitur, præ moralis philoſophiæ ſtudio ſpernendas eſſe docet. Atque adeo quum ſcripſiſſet (epiſtola LXXXVIII) *Quare liberalia ſtudia dicta ſint vides: quia homine libero digna ſunt:* addit, *cæterùm vnũ ſtudiũ verè liberale eſt, quod liberum facit: hoc eſt ſapientiæ, ſublime, forte, magnanimum: cætera puſilla & puerilia ſunt.* Initium autem à Grammatica ſumens, nihil illam habere oſtendit quod ad virtutem viam ſternat. Et aliquanto pòſt ad Muſicam veniens, *Doces me*, inquit, *quomodo neruorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia: fac potius quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepẽt. Monſtras mihi qui ſint modi flebiles: monſtra potius quomodo inter aduerſa non emittam flebilem vocem.* Inde autem ad Geometriam tranſiens, ſcribit, *Metiri me Geometres docet latifundia: potius doceat quomodo metiar*

quantum homini ſit ſatis. Inde ad Arithmeticam veniens, *Numerare* (inquit) *docet me Arithmetica, & auaritiæ commodare digitos: potius doceat nihil ad rem pertinere iſtas computationes, non eſſe feliciorem, cuius patrimonium tabularios laſſat: imò quàm ſuperuacua poſſideat, qui infeliciſſimus futurus eſt, ſi, quantum habeat, per ſe computare cogatur.*

Denique philoſophiam, non harum rerum cognitionem, ſed conſilium aduerſus quoſlibet caſus generi humano promittere, alibi ſcribit: & philoſophos ab hominibus rogari vt diſiectis & errantibus clarum veritatis lumen oſtendant: vt dicant quid natura neceſſarium fecerit, quid ſuperuacuum: quàm faciles leges poſuerit: quàm iucunda ſit vita, quàm expedita illas ſequentibus: contrà verò quàm ſit acerba & implicita eorum vita qui opinioni plus quàm naturæ crediderũt. Scito autem fore vt alij multi tibi apud hunc ſcriptorem loci occurrant, in quibus de opinione itidem queritur. Nam in Conſolatione ad Marciam leges, *Opinio eſt ergo quæ nos cruciat: & tanti quodque malum eſt quanti illud taxauimus.* Sic etiam epiſt. XIII, *Plura ſunt, Lucili, quæ nos terrent quàm quæ premunt: & ſæpius opinione quàm re laboramus.* Et in fine epiſtolæ XLII, *Circumſpice iſta quæ nos agunt in inſa-*

in inſaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus: ſcies non damnum in his moleſtum eſſe, ſed opinionẽ dãni. Sed & in epiſtola LXXVIII (quæ vulgò eſt LXXXIX) *Omnia ex opinione ſuſpenſa ſunt.* Et addit, non ambitionẽ tantùm, & luxuriam, & auaritiã, ad opinionem reſpicere, ſed nos dolere etiam ad opinionem. Dolere autem ad opinionem, eſt dolorem ſuum ex opinione ſua metiri. addit enim, *Tam miſer eſt quiſque quàm credidit.* Ideóque adiicit, *Detrahendas præteritorum dolorum cõqueſtiones puta:* (ita enim ſcribo) *& illa verba, Nulli vnquam fuit peius,* &c. Eodem modo in tractatu illo quo docet iniuriam non cadere in ſapientem, *Ad tantas ineptias peruentum eſt* (inquit) *vt non dolore tantùm, ſed doloris opinione vexemur.* De hac re autem & paulo pòſt à me dicetur. Vt porro in eadem illa epiſtola XLVIII, queritur argutias illas dialecticas nihil ad cupiditates demendas vel temperãdas prodeſſe, ſic alibi, eam quam philoſophiã ipſe vocat, multum contra adiumenti afferre ad cupiditatem eximendam, ad libidinem fræ nandam, ad motum demendum, docet. Hęc autem omnia híſque ſimilia paucis verbis comprehendet qui philoſophiam facere dicet vt aliquis vir bonus euadat. Viri enim boni eſt hæc duo ſemper ſibi proponere,

nullum aliud bonum quàm honeſtum, nec aliud malum quàm turpe eſſe. At in epiſtola LXXI, ſapientię ſummam eſſe dicit bona maláque diſtinguere: & quidem Socratis teſtimonio id confirmans. *Socrates* (inquit) *qui totam philoſophiam reuocauit ad mores, hanc ſummam dixit eſſe ſapientiæ*: (ita enim ſcribo) *bona malaq́ diſtinguere.* Sic autem in illa epiſtola XLVIII, *à fugiendis petenda ſecernere*, tanquam præcipuum philoſophiæ opus, affert.

Quamuis autem multá de tranquillitate animi (de qua & Plutarchus ſcripſit, εὐθυμίαν vocans) & remediis aduerſus fortuita, de vita deniq; beata, per omnes eius libros ſparſa ſint: harum tamen rerum tractationem certis etiam libellis peculiarem eſſe voluit. Sed ex libello de remediis aduerſus fortuita, quædam tantùm excerpta habemus.

Hæc quum ita ſint, non dubium eſt quin de morali philoſophia loqui exiſtimandus ſit, vbi philoſophiam tãtopere laudat: præſertímque vbi ſcribit (ſcribit autem initio epiſtolæ XC.) *Quis dubitare, mi Lucili, poteſt, quin deorum immortalium munus ſit, quòd viuimus? philoſophiæ, quòd bene viuimus? Itaque tanto plus nos debere huic, quàm diis, quanto maius eſt beneficium bona vita quàm vita?*

vita? Sed poſterius hoc dictum, tanquam in eo nimiæ arrogantiæ (vt opinor) ſibi conſcius ſit, corrigere videri poſſunt quæ ſubiungit, *Pro certo deberetur, niſi ipſam dij philoſophiam tribuiſſent.*

CAPVT III.

De quibuſdam quæ apud Senecam cum venia legenda ſunt.

SImul verò in mentem nobis hunc ſcriptorem legentibus veniat quod dixi, Stoicam illum philoſophiam profiteri, ideóque in iis etiam quæ moralia ſunt, nonnulla ab illo minimè cum Socratis, minimè cum Platonis doctrina conuenientia, nedum cum Chriſtiana (quamuis alioqui plurima Chriſtiani ore non indigna ſcribat) expectemus. Talia ſunt autem nonnulla quæ de mundo, nonnulla item quæ de animo diſſerit. Iam verò & de virtute quædam dicit, de quibus illi cum cæteris omnibus philoſophis minimè conuenit. Hoc autem præcipuũ eſt quòd virtutis acquiſitionem in poteſtate noſtra eſſe dicebãt, itidémque bonæ mentis: contra illud poeticum (quod etiam Herodotus & alij multi ſcriptores ſunt imitati) θεὸς ἔμβαλε θυμῷ. Epiſtola tamen XLI, quum Lucilio dixiſſet,

eum rem optimam & ſibi ſalutarem facere,ſi (vt ſcribebat) ad bonãm mentem ire perſeueraret : & ſubiunxiſſet, ſtultum eſſe eam optare,quum à ſe poſſet impetrare: miniméque ad cœlum eleuandas manus eſſe, neque exorandum ędituum,vt nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat:addit,*Prope eſt à te deus, tecum eſt, intus eſt.Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet,malorum bonorumq́ʒ noſtrorum obſeruator & cuſtos.Hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine deo nemo eſt.*Atque his non contentus,adijcit,*An poteſt aliquis ſupra fortunam niſi ab illo adiutus exurgere? Ille dat conſilia magnifica & erecta. In vnoquoque virorum bonorum quis deus incertum eſt,habitat tamen deus.*Quę poſtrema verba ex Ouidio trãſlata ad ſermonem ſuum accommodauit.

Cæterùm in his à ſua ſecta non diſcedere, ex alio conſtat loco, qui eſt epiſtola c x. Poſtquam enim dixit, quibuſdam placere, vnicuique noſtrûm pædagogum dari deũ, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ:addit,maiores ſuos, qui hoc crediderunt,Stoicos fuiſſe. *Singulis enim* (inquit) *& genium & Iunonem dederunt.* Sciẽdum eſt autem hanc Stoicorum opinionem eſſe vnam ex ijs,quę omnium ferè aſſenſu receptę

poſtea

poſtea ferunt, præſertímque poetarum. Vnde legimus apud Horatium,

Scit Genius, natale comes qui tēperat aſtrum, Naturæ deus humanæ, mortalis in vnumquodque caput. Fortaſſe autem ea quæ Socrates de ſuo dæmonio dicere ſolitus erat, huic opinioni originem dederunt. At Seneca nō dubitat animū noſtrum vocáre deum in humano corpore hoſpitantem, vt videbis non procul à fine epiſtolæ XXXI. Sed perinde eſſe puto acſi idipſum diceret quod epiſtola LXV, *Quem in hoc mundo locum deus obtinet, hunc in homine animus.* Addit autem, id nobis eſſe corpus quod illic eſt materia.

Ex ijs autem quæ tibi Senecam legenti occurrēt non tantùm Chriſtianæ religioni, ſed Platonicæ etiam philoſophiæ (vt & M. Tullius obſeruauit) repugnantia, vnum eſt hoc, & quidem non parum odioſum: quòd nō ſolùm laudat eos qui ſibi mortem conciuerunt (ita enim ſcribendum cenſeo, non conſciuerunt) ſed ſæpe ad eos imitandos hortatur. Id enim facit cùm alibi, tum epiſtola LXX, quam his verbis claudit, *Eadem illa ratio monet vt, ſi licet, moriaris ſine dolore: ſin autem non potes, fac quemadmodum potes, & quidquid obuenerit ad vitam auferendam tibi, inuadas. Iniurioſum eſt rapto viuere: at*

contrà pulcherrimum, mori rapto. Vbi hoc nouo loquendi genere, *Rapto mori,* in quo alterum illud valde vſitatum imitari voluit, ſignificare videtur, rem quam ſubitò rapere licuerit, mortis inſtrumentum ſibi facere. In principio autẽ eiuſdem epiſtolæ, Emittere ſe de hac re dicit, vt Græci ἐξάγειν ἑαυτόν. Nam de ſuo ſapiente ſcribit, *ſed ſi multa occurrunt moleſta & tranquillitatem turbantia, emittit ſe.* Circa finem autem epiſtolæ LVIII, dicit Educere animũ. *At ſi* (inquit) *inutile miniſteriis eſt corpus, quidni oporteat educere animum laborantem?*

Quinetiàm multa Senecam, vt Stoicum, arroganter de ſuo ſapiente prædicantem audies: quum ei nõ ſatis ſit, eum Deo ſimilem, excepta mortalitate, facere: ſed alibi, eum etiam anteponere Deo, quadam in re, audeat. Nam capite ſexto libri de prouidentia, Deum inducit bonis viris & ſapiẽtibus (hi enim ſunt quibus recta placuiſſe dici poſſunt) hæc, inter alia, dicentem, *At multa incidunt triſtia, horrenda, dura toleratu. Quia non poteram vos iſtis ſubducere, animos veſtros aduerſus omnia armaui. Ferte fortiter. hoc eſt quo Deum antecedatis. ille extra patientiam malorum eſt, vos ſupra patientiam.* Quum porro ſint & alia apud Senecam cum venia (vti dixi) legenda, ſciendum eſt non-

nonnulla etiam eſſe quæ falsò illi adſcribantur: quorum potiſsimum eſt iſtud, illum animi immortalitatem in dubium vocare. Adeo enim illã in dubium non vocat (meo quidem iudicio) vt vix vllus ex ethnicis plura huic ſententię conſentanea loquatur. Falsò etiam accuſatur quòd dixerit virtutes eſſe animalia: quum ipſe contra hanc Stoicorum opinionem reprehendat, & refellat.

CAPVT IIII.

De diſcrimine inter ſapientem & proficientem, ſeu ſtudioſum ſapientiæ, apud Senecam.

QVamuis autem Seneca nimiùm multa ſapienti ſuo arroget, vt antea docui, nimiúmque magnificè de eo loquatur, videndum eſt tamen vt quæ de eo dicit, ad eum etiam qui ad ſapiẽtiam proficit (quem Græci Stoici προκόπτοντα itidem dixerunt) non extendamus. Qua de re nos ipſe monet epiſtola LXXI. poſtquam enim dixit, ſapientem vincere virtute fortunam, ſed multos tamen, profeſſos ſapientiam, leuiſsimis nonnunquam minis exterritos fuiſſe: *Hoc loco* (inquit) *noſtrum vitium eſt, qui quod dicitur de ſapiente exigimus & à proficiente.* Quibus adiicit hæc, quæ à proficiente dici poſſunt, ſe excuſante, *Suadeo adhuc mihi iſta*

quæ laudo, nondum perſuadeo: etiam ſi perſuaſiſſem, nondum tam parata haberem, aut tam exercitata, vt ad omnes caſus procurrerem. Et in epiſtola quæ hanc excipit, *Conſummatæ ſapientiæ vir* ab eo appellatur, quem alibi ſimpliciter ſapientem dicit: qui verò *Proficiens* nominatur in loco quem modò attuli, & aliis pleriſque, ibi, *Vir procedentis ſapientiæ* ab illo vocatur. Hoc enim intereſſe dicit inter conſummatæ ſapientiæ virum, & alium, procedentis, quod inter ſanum & ex morbo graui ac diutino emergentem, cui ſanitatis loco eſt leuior acceſſio. Hũc enim, niſi attendat, ſubinde grauari & in eadem reuolui: at ſapientem recidere non poſſe, ne incidere quidem amplius. *Sapiens* (inquit) *recidere nõ poteſt.* vbi obſerua quod dixi, vocari ſimpliciter ſapientem quem ſapientiæ conſummatæ virum vocarat. Aliquãto pòſt de altero illo procedentis ſapientiæ viro, dicit, eum habere bonam voluntatem, habere profectum, ſed cui multum deſit à ſummo. *Habet* (inquit) *aliquis bonam voluntatem, habet profectũ, ſed cui multum deſit à ſummo,* (vbi interrogationis nota collocari poteſt) *hic deprimitur alternis & extollitur, ac modò in cœlum allenatur, modò defertur ad terram.*

Alicubi verò *Studioſus ſapientiæ* dicitur is qui proficit, & opponitur ei ille qui ſapientiam

pientiã eſt adeptus. vt in libro De vita beata, vbi eodem modo de ſtatuendo inter hęc diſcrimine admonet, ne tantũ ab illo quantum ab hoc exigamus. Nam cum qui tãtùm ſtudioſus eſt ſapientię, faſſurum ait, ſe optimè quidem loqui, ſed adhuc inter mala plurima volutari: ſed vbi proceſſerit quantum propoſuit, tunc non recuſare vt ab eo exigatur vt dictis facta reſpondeant. At verò eum qui aſſecutus ſit *humani boni ſummam* (animaduerte autẽ hoc adeo honorificum nomen dari ſapientiæ) longè alia reſponſurum. Inuenies etiam vbi hunc *beatum* vocet: quod nomen optimè cum præcedente conuenit. Quis enim beatum neget qui humani boni ſummam eſt conſequutus? Sed additur, Virtutis exactæ. *Beatus verò* (inquit) *& virtutis exactæ, tunc ſe maximè amat, quum fortiſſimè expertus eſt.* niſi potius, *fortiſſimum* ſcribendum eſt. Huic autem opponitur *Inchoatus, ad ſumma procedens, cultorq́ virtutis.* Qui porrò hîc *Inchoatus*, eodem ſenſu *Imperfectus* aliis pleriſque in locis appellatur: (ſicut alter viciſsim, *perfectus*) & alicubi additur, *& adhuc proficiens.* At epiſtola XCIIII legimus, *imperfecto, ſed proficienti.* Scribit enim, *Deinde iſtud quod dicis, iam perfecti viri eſt, ac ſummam conſequuti felicitatis humanæ: ad hoc autem tardè peruenitur.*

Interim etiã imperfecto, ſed proficienti, demonſtranda eſt in rebus agendis via. Vbi obſerua, ſapientiam vocari etiam felicitatis humanæ ſummam, vt paulò antè ſummam humani boni. Cæterùm quum hîc videamus imperfectũ & proficientem iungi (vt certè iungi poſſunt) meritò quis miretur quum apud Epictetum leget contra τέλειον καὶ προκόπτοντα, id eſt perfectum & proficientem, vt quidem vltima etiam interpretatio habet. Sed mirari deſinat, à me admonitus, τέλειον alia quàm putarint interpretes ſignificatione eſſe dictum: quum ad ætatem hîc referri, etiam ex paulo antè præcedente Epicteti loco manifeſtum ſit.

Sed proficientes in tres claſſes diuiſos fuiſſe à quibuſdã ſcribit. Primos enim ſtatuiſſe eos qui nondum quidem ſapientiam habent, ſed iam in vicinia eius conſtiterunt. Hos autem eſſe eos qui omnes iam affectus ac vitia poſuerunt, & quæ erant complectenda didicerunt: ſed ita vt adhuc inexperta ſit illis fiducia, & bonum ſuum nondum in vſu habeant: quum alioqui in ea quæ fugerunt, decidere (niſi potius ſcribendum eſt Recidere) non poſsint. Secũdum genus eſſe eorum qui & maxima animi mala & affectus depoſuerunt, ſed ita vt non ſit illis ſecuritatis ſuæ certa poſſeſsio. poſſe enim in eadem

eadem relabi. Tertium denique genus eſſe illorũ qui extra multa & magna vitia ſunt: ſed non extra omnia: qui effugerunt auaritiam, ſed iram adhuc ſentiunt: iam non ſolicitantur libidine, ſed habent etiamnum ambitionem: iam non concupiſcunt, ſed adhuc timẽt. Quinetiam epiſtola LXXI, *Et in ipſis ſapientiam ſectantibus* (inquit) *magna diſcrimina eſſe fateamur neceſſe eſt. Alius iam in tantum profecit vt contra fortunam audeat attollere oculos, ſed non pertinaciter. cedunt enim nimio ſplendore præſtricti: alius in tantum vt poßit cum illa conferre vultum, ſi iam peruenit ad ſummum & fiduciæ plenus eſt.*

Verùm ex loco quem proximè attuli dubitatio oriri poteſt, an ſapientiam ſectari dicãtur nõ ſolùm qui imperfecti ſunt (quos & ſapientiæ ſtudioſos vocari docui) ſed ij quoque qui perfecti iam ſunt & ſapientiam conſequuti. Dubios (inquam) reddere nos hac de re locus ille poſsit; quum imperfectus dici poſſe non videatur ad ſummum perueniſſe. Conferendus igitur fuerit hic locus cum iſto, *Sapiens aſſectatorq́; ſapientiæ adhæret quidem in corpore ſuo, ſed optima ſui parte abeſt, & cogitationes ſuas ad ſublimia intendit.* Eſt autem ex epiſtola LXV. Sed in fine libelli quo negatur in ſapientem cadere iniuria, ſapienti nõ *aſſectator* ſapientiæ,

ſed *affectator* adiunctus eſt,vbi de eodẽ non video quomodo dici queant. Illud quidem certè *affectator* ad ſolam etiam voluntatem aliquando reſpicere poteſt, potius quàm alterum illud, *affectator*. Sic autem imperfectos velle honeſta ſequi, alibi ſcribit, vbi de diſtinguendo ſapiente ab hoc,admonet,ſicut & in loco quẽ antea protuli. Legimus enim libri ſecundi De beneficiis capite decimo octauo, *Toties admoneam neceſſe eſt,nõ loqui me de ſapientibus,quos quidquid oportet, iuuat, qui animum in poteſtate habent, & legem ſibi quam volunt, dicunt, & quam dixerunt,ſeruant: ſed de imperfectis hominibus,honeſta ſequi volentibus, quorum affectus ſæpe contumaciter parent.*

Alia de Stoicorum ſapiente quæſtio moueri poteſt: ſed quam Seneca ipſe præuidit. Nam caput ſeptimum libelli in quo iniuriam in ſapientem non cadere oſtendit,ita orditur, *Non eſt quod dicas, ita vt ſoles,hunc ſapientem noſtrum nuſquam inueniri. Non fingimus iſtud humani ingenij vanum decus,nec ingentem imaginem falſæ virtutis concipimus: ſed qualem confirmamus exhibuimus & exhibemus. Rarò forſitan magniſque ætatum interuallis inuenitur (neque enim magna & excedentia ſolitum ac vulgarem modum crebrò gignuntur) cæterùm hic ipſe M. Cato,à*

cuius

cuius mentione hæc diſputatio proceſsit, vereor ne ſupra noſtrum exemplar ſit. Dixerat autem circa eiuſdem commẽtarij principium, Catonem à Diis immortalibus certius exemplar ſapientis viri quàm Vlyſſem & Herculem datum fuiſſe. Quum porro Catonem non ſolùm exemplar: ſed etiam ſupra exemplar eius cõſtituerit, qui humani boni ſummam, id eſt ſapientiam, eſſet conſequutus, minimè mirum eſt ſi omnia eius dicta pariter & facta tot vbique laudibus extollit. Sed animaduertendũ eſt, Senecam, quum de eiuſmodi ſapientibus loquitur, qualis erat Cato, aut ſaltem iis qui licet infra Catonem ſint, nomine nõ ſolùm digni videntur, ſed etiam ſunt, de Stoicis intelligere. Quod non diſsimulat, cum alibi, tum verò in commentario De vita beata, vbi ſcribit, *Quis porro ſapientum (noſtrorum dico, quibus vnum bonum eſt virtus)* negat, etiã hæc quæ indifferentia vocamus, habere in ſe aliquid pretij, & alia aliis eſſe potiora? Vbi perinde eſſe videtur ac ſi ita loqueretur, Noſtrorum dico, qui verè ſunt ſapientes, quum illis vnum bonum ſit virtus. Noſtros autem dicentem, Stoicos intelligere, iam antea docui. Cæterùm minimè mirum nobis eſſe debet, eum Stoicos ſapientes aliis ita præferre, quum antea illum eò progreſſum eſſe

oſtenderim, vt ſcribere non dubitarit, tantum inter Stoicos & cæteros ſapiĕntiam profeſſos, quantum inter fœminas & mares, intereſſe.

Quàm autem illud mirandum non eſt, tam eſt quod miremur iſtud, eũ ſapientem à philoſopho, aut (ſi mauis) philoſophum à ſapiente in eo quem attuli loco non diſtinguere: in iis inquam quæ locum illum præcedunt, necnon iis quę paruo interuallo ſequuntur. Alioqui enim veriſsimum eſſe ſcimus quod & ipſe alibi ſcribit, ſapientiam eſſe quam Græci σοφίαν, itidémque veteres Romani Sophiam vocauerunt (ſiue eam ita finire placet, vt ſtudiũ virtutis, vel ſtudium corrigendæ mentis, aut Appetitionem rectæ rationis eſſe dicamus: ſiue potiùs ſcientiam diuinorum & humanorum eſſe velimus. hanc enim definitionem illi præ cæteris placuiſſe apparet, cum aliunde, tum ex epiſtola c x, quum in hac ſcribat, *ſiquis hãc humanorum diuinorumq́ notitiam acceperit*, de ſapientia intelligens) at Philoſophiam, ſapientiæ amorem & affectationem. Nec video quid ad excuſandum Senecam afferri aliud poſsit, quàm quod ipſemet ibidem ſcribit, quoſdam è Stoicis (dicit enim, *quidam ex noſtris*) quamuis philoſophia ſtudiũ virtutis eſſet, & hæc peteretur, illa peteret,

tamen

tamen illas diſtrahi poſſe non exiſtimaſſe, quòd nec philoſophia ſine virtute ſit, nec virtus ſiue philoſophia. Philoſophiam enim ſtudium virtutis eſſe, ſed per ipſam virtutem: nec virtutem autem eſſe ſine ſtudio ſui poſſe, nec virtutis ſtudium ſine ipſa. Alioqui certè reſponderi hoc ſimplicius queat, eum ſapientis appellatione pro ſtudioſo ſapientiæ abuti.

Sed magis etiam videri mirum queat, quòd quum philoſophia ſit ſapientiæ ſtudium, itidémque philoſopus, ſapientiæ ſtudioſus, tamen & philoſophiæ ſtudioſus apud Senecam legitur: in hoc eiuſdem libelli loco, *Quare ille philoſophiæ ſtudioſus eſt, & tam diues vitam agit?* Verùm hîc conſiderandum eſt, Senecam non in ſua perſona ſed vulgi libenter philoſophos oblatrantis, vel (vt ipſe loquitur) conlatrãtis, iſta dicere.

CAPVT V.

Senecam autoritate Stoicorum in nonnullis niti quæ tamen cum quibuſdam alijs philoſophis communia habuerint.

Etiam eorum quæ Paradoxa vocabantur, quædam Stoicos cum alijs habuiſſe communia.

STOICIS philoſophis quædam adſcribere videri Seneca poteſt, quæ tamen

illis cum quibuſdam aliis communia fuerunt. Huiuſmodi eſt hoc quod legimus epiſt. L X V, (cuius initium, *Heſternum diem diuiſi cũ mala valetudine)* circa principium, *Dicunt vt ſcis, Stoici noſtri, duo eſſe in rerum natura, ex quibus omnia fiãt, cauſam & materiam. At paulò poſt, Eadem cõditio rerũ omniũ eſt: ex eo conſtat quod fit, & ex eo quod facit. Stoicis placet vnã cauſam eſſe, id quod facit.* At ex Ariſtotele quatuor cauſarũ genera affert.

Fortaſſe autem nec laus illa quam Stoicis, vt illis propriam tribuit, quum vnũ bonum illis virtutem eſſe dicit, illis tantummodo tribuenda eſt. Habuiſti tamen & in pręcedentibus locum, in quo, poſtquam dixit, Quis porro ſapientum, addit per parentheſin, *noſtrorum dico, quibus vnum bonum eſt virtus.* Sed & in quadam epiſtola, loquẽs de ijs qui Homerum modò Stoicum faciunt, modò Epicureum, modò Peripateticum, modò Academicum: Epicureum quidem ab illis fieri dicit, quòd ſtatum quietæ ciuitatis & inter conuiuia cantúſque vitam exigentis laudet: Peripateticum autem quòd bonorum tria genera inducat: Academicũ verò, quòd incerta omnia dicat: at Stoicum (quod primo loco ponit) qui virtutem ſolam probet, & voluptates refugiat, & ab honeſto ne immortalitatis quidem pretio

recedat.

recedat.Quæ quũ dici ,magna interim laude ſectam illam ornat. Varias porro Peripateticorum obiectiones, propoſitas Stoicis virtutem ſolam ad bene beatéque viuendum ſufficere dicẽtibus (de qua Stoicorum ſententia multa & à Cicerone diſſeruntur) commemorat epiſtola LXXXV.

FVIT Stoicorum & illud præceptum, ſed non illis peculiare, quum alioqui de eo omnes conſentirent, *Conuenienter naturæ viuere*.In quo præcepto ad communes notiones potiſſimùm animis noſtris à natura impreſſas (quas κοινὰς ἐννοίας vocabant) videntur reſpexiſſe: & verò Senecam ipſum de iis cogitãtem ſcripſiſſe hæc crediderim, *Maximum hoc habemus naturæ meritũ, quòd virtus in omnium animos lumen ſuum præmittit: etiam qui non ſequuntur illam,vident.*

Pro eodẽ dicitur,*Secũdum naturã viuere.* vt epiſt.v,*Nempe propoſitũ noſtrum eſt ſecundum naturã viuere.*Et cap.XXXI cõmentarij De vita beata, *Solemus dicere, ſummũ bonum eſſe ſecundũ naturã viuere.Quinetiam Accommodare ſe naturæ*,pro eodẽ dicit:epiſt.XVII, *Naturæ autem ſe ſapiens accommodat.* Sed & *Aſſentiri naturæ* pro eodem ab illo dicitur. Et in illo De vita beata libello natura duce vtendum eſſe ait. à ratione enim obſeruari naturam & conſuli: adeo vt idem ſit beatè

viuere & ſecundum naturam. Nam(vt alibi ſcribit)*bonorum vnum propoſitum eſt, conſentire naturæ.* vbi ſub *bonorũ* appellatione non *bonos*(licet & de illis hoc dici queat)ſed bona intellexit: quũ alibi itidem ſcribat, omnia bona, ſicut & omnes virtutes, naturę aſſentiri. Meritò igitur & Cato apud Ciceronem ſe in hoc eſſe ſapientem dicit, quòd naturam, optimam ducem, ſequatur, eíque pareat. Itidem verò Academicos veteres naturæ parendum eſſe dixiſſe, diſcimus ex eodem Cicerone, Acad. quæſtionum libro primo. *Ac primam*, inquit, *partem illam bene viuendi à natura petebant, eiq́ parendum eſſe dicebãt: neque alia vlla in re niſi in natura, quærendum eſſe illud ſummum bonum, quò omnia referrentur.* Hinc fit vt ſæpe de illis Seneca conqueratur qui contra naturam viuunt. Non *naturam* tamẽ ſimpliciter ſed cum adiectione *naturam rerum* dicit, capite tertio De vita beata, *Interim, quod inter omnes Stoicos conuenit, rerum naturæ aſſentiòr.* Sed ſuſpectus mihi eſt hic locus.

Tamquam contraria autem ab ipſo ponuntur, Ad naturam viuere, & Viuere ad opinionem, ſeu ad opiniones. vt epiſtola XLVIII, (quæ vulgo pro XLIX habetur, quum eius principium ſtatuantur hæc verba, *Mus ſyllaba eſt:* quæ præcedentibus iungenda

genda ſunt) *Dic quid natura neceſſarium fecerit, quid ſuperuacuum: quàm faciles leges poſuerit, quàm iucunda ſit vita, quàm expedita illas ſequentibus: quàm acerba & implicita eorum qui opinioni plus quàm naturæ crediderunt.* Eodémque modo ab Epicuro opponi videmus, Ad naturam viuere, & Ad opiniones viuere. quum dicat, eum qui ad naturam viuet, nũquam futurum pauperem: eum qui ad opiniones, nunquam futurum diuitem: quũ exiguum natura deſideret, opinio immenſum. Quod aliis etiam verbis dicitur, Naturalia deſideria finita eſſe, at quę ex falſa opinione naſcuntur, vbi deſinant nõ habere: quòd nullus falſo ſit terminus. Vſqueadeo autem hanc naturę conſentientem vitam amplectitur, vt etiã voluptatem ſuam naturæ parêre velit, vt Seneca ipſe teſtatur.

Græci philoſophi *Secundum naturam viuere* dixerunt ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, vel συμφώνως (quę Horatius imitari voluiſſe videri poteſt, quum dixit *Conuenienter naturæ viuere*) at verò Ad opiniones viuere, fuerit πρὸς τὰ δόγματα ζῆν, ſi Epicteti & Arriani verbo vti volumus. ſæpe enim δόγματα, ſicut & δόγμα, ea de re dicunt. Vbi igitur ſcribit Seneca, *Circumſpice iſta quæ nos agũt in inſaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus: ſcies non damnum in his moleſtum eſſe,*

ſed opinionem damni: hæc poſtrema verba ita interpretari poſſumus εἴσῃ οὐ τὴν ζημίαν ἀνιαρὰν εἶναι, ἀλλὰ τὸ περὶ αὐτῆς δόγμα: ex iſto Arriani loco, διὰ τοῦτο οὐ δεῖ τὴν πενίαν ἐκβάλλειν ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ αὐτῆς.

Sed opinio & δόγμα interdum quidem dicitur, ad nos ipſos reſpiciendo, interdum verò ad alios. Quò pertinent iſta cap. xxviij De vita beata, *Pendemus enim toti ex alienis iudicijs: & id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoréſque multos habet, non id quod laudandum petendúmque eſt.* Sic certè in Conſ. ad Heluiam, *Ignominia tu putas quemquam ſapientem moueri poſſe, qui omnia in ſe repoſuit? qui ab opinionibus vulgi ſeceßit?* Non minùs autem quum de vulgi ſeu de populi opinionibus agitur, quàm quum de noſtris, illis natura ſeu naturę regula opponitur. Sic epiſt. x c i x, *A natura diſcedimus, populo nos damus, nullius rei bono autori, & in hac re ſicut in omnibus inconſtantiſsimo.* Itidem vnum alteri opponi videmus, & in fine epiſtolæ x l i, *Quid eſt autem quod ab illo ratio hæc exigit? Rem facillimam, ſecundum naturam ſuam viuere. Sed hanc difficilem facit communis inſania: in vitia alter alterum trudimus. Quomodo autem ad ſalutem reuocari poſſunt quos nemo retinet, populus impellit?*

Sed fortaſſe tamen opinionis appellatio aliter

aliter hoc in loco quàm in præcedentibus accipi debet, *Nihil opinionis cauſa, omnia conſcientiæ, faciam: populo ſpectante fieri credam, quicquid me conſcio faciam.* Nam videtur intelligere, Nihil faciam vt bonam de me opinionem populo prębeā. Quod ſi ita eſt, dicendum hîc fuerit, οὐδὲν ποιήσω ἕνεκα τοῦ δοκεῖν, nō autem ἕνεκα τοῦ δόγματος. Nam δόγμα (vt quidem illi vtuntur) eſt opinio quam quis aliqua de re concepit.

Ne illa quidem omnia quæ paradoxa vocarunt illis propria fuiſſe credendum eſt. Horum autē mētionem facit epiſt. LXXXI, inopinata interpretans. Nam de referenda gratia loquens, poſtquam dixit, ſapientem omnia examinaturum ſecum: quantum acceperit, à quo, quando, vbi, quemadmodum: ideóq; à ſe & à ſuis negari quenquam ſcire gratiam referre niſi ſapientem: non magis quàm beneficium dare quiſquam ſcit, niſi ſapiens: hic ſcilicet qui magis dato gaudet, quàm alius accepto: ſubiungit, *Hoc aliquis inter illa numerat quæ videmur inopinata omnibus dicere:* παράδοξα Græci vocant: & ait, *Nemo ergo ſcit præter ſapientem referre gratiam? ergo nec quod debet creditori ſuo reponere quiſquam ſcit alius, nec quum emit aliquam rem, pretium venditori perſoluere.* Initio autem epiſtolæ LXXXVII, poſtquam di-

xit ſe naufragium, antequam nauim aſcenderet, feciſſe: addit, ſe non adiicere quomodo id acciderit, ne Lucilius hoc quoque inter Stoica paradoxa ponendum putet. Et quoniam ea riſu non minùs quàm admiratione excipi ſolere ſciebat, adiicit, *Quorum nullum eſſe falſum, nec tam mirabile quàm prima facie videtur, quum volueris approbabo, immo etiã ſi nolueris.* Neque dubium eſt quin de his Stoicorum paradoxis intelligenda ſint quę ſcribit libri ſecundi De beneficiis capite trigeſimoquinto, nonnulla quæ à Stoicis dicantur, à conſuetudine abhorrere: ſed alia deinde via ad conſuetudinem redire. Nam quæ ſequuntur horum exempla, ſcimus inter paradoxa numerari. *Negamus* (inquit) *iniuriam accipere ſapientem: & tamen qui illum pugno percuſſerit, iniuriarum damnabitur. Negamus rem ſtulti eſſe: & tamen qui rem aliquam ſtulto ſurripuerit, furti condemnabimus. Inſanire omnes ſtultos dicimus: nec tamen omnes curamus elleboro. His ipſis quos vocamus inſanos, ſuffragium & iuriſdictionem committimus.* Hæc verò affert in exemplum alîus cuiuſdam Stoicorum dicti, quod itidem paradoxum videri, ſiue à quo omnium opinio (vt ipſe loquitur huius capitis initio) refugere poterat. Id autem eſt, Retuliſſe illum gratiã qui beneficium

neficium libenter accepit. Videmus autem Ciceronem quoque Paradoxa quędam tractaſſe, tanquam è Stoicorum ſchola prodeuntia: ex quibus illud eſt cuius paulo antè facta mentio fuit, *Stultos omnes inſanire:* eſt etiã hoc, *Peccata omnia eſſe æqualia.* Sed Stoici, quam inter peccata ſeu malefacta, eandem inter benefacta æqualitatem conſtituebant.

Verùm vt ad illud veniam à quo hic ſermo initium habuit, non omnia paradoxa propria Stoicis fuiſſe exiſtimandum eſt: quum illi paradoxo quod paulo antè commemoratum fuit, *ſapientem iniuriam non accipere* (quod aliis etiam modis dicitur, Iniuriam ad ſapientem non peruenire: &, Iniuriam in ſapientem non cadere, vt inſcribitur quoddam noſtri Senecæ opuſculum) aſſentiantur iſta Socratis, quæ & apud Arrianum leguntur, Ἐμὲ δ' Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δ' οὔ. Sic verò & apud Epictetum Socrates Critoni hoc dicit. Quòd ſi huius diſputationis fontem adire libeat, vide Platonicam Socratis Apologiam, & librum primum De republica. Ex eodem porro fonte & alia quædã paradoxa manaſſe, ex Cicerone diſcimus: quum eum audiamus dicentem, iſta quæ paradoxa appellantur, maximè videri eſſe

Socratica & nominatim in illo paradoxo in quo æqualia peccata & rectè facta eſſe docet, ſibi à quodã obiici fingit, Socratem iſto modo diſputaſſe. Quid quod ipſemet Seneca Paradoxum illud, *Solum ſapientem referre gratiam ſcire*, Epicuri etiam eſſe ait? *Sed ne nobis* (inquit) *fiat inuidia, ſcito idem dicere Epicurum.* Metrodorus certè ait, *ſolum ſapientem referre gratiam ſcire.* Leguntur autem hęc epiſt. LXXXI. Mirum eſt porro Senecã παράδοξα interpretari *inopinata*, quum Latini inopinatum vocent potiùs quod Græci ἀπροσδόκητον. Vt tamen minùs hanc interpretationem miremur facere poteſt hic Ciceronis locus Paradoxῶν, *Nec hoc tam re eſt quàm dictu inopinatum atque mirabile.* Vbi obſerua duo poni, *dictu inopinatum & mirabile:* quum tamen nonnulli hæc παράδοξα non aliter interpretati ſint quàm mirabilia. Sed minimè ſequẽdi ſunt.

CAPVT VI,

De Stoica lingua (vt Seneca vocat) id eſt, ſermone Stoicis peculiari: & de nonnullis Senecæ vocabulis, quibus ad exponenda Stoicorum dogmata vtitur.

ZENONEM, Stoicæ ſectæ conditorem, hominem fuiſſe diligentiam profeſſum, & qui

& qui verba examinare ſoleret, teſtatur Seneca, epiſtola LXXXIII: ac eundem Stoicam linguam, ſermonem Stoicis peculiarem vocantem audimus: eo videlicet modo quo hiſtoricam linguã alibi dicit. Nam Quæſtionum natur. lib. I, capite decimotertio, ſcribit, *Pluuiarum autem & hi ſoles (vtar enim hiſtorica lingua) indicia ſunt.* Scripſerat autem capite vndecimo, (quum dixiſſet, aliud virgarum genus apparere, quum radij per anguſta foramina nubium tenues, intenti diſtantéſque inter ſe diriguntur, qui & ipſi ſigna imbrium ſunt.) *Quomodo nunc me hoc loco geram? quid eas vocem? imagines ſolis? hiſtorici ſoles vocant, & binos ternóſque apparuiſſe memoriæ tradunt.* A Græcis autem Parelja vocari addit. Ab hiſtorica autem lingua ad Stoicam vt reuertar, huius mentionem facit epiſtola LXXIIII. Poſtquam enim dixit, bona illa eſſe vera quę ratio dat, ſolida ac ſempiterna, quæ cadere non poſſunt, nec decreſcere quidẽ aut minui: cætera, opinione bona eſſe, & nomen quidem habere commune cum veris, boni tamen proprietatem in illis non eſſe: addit, *Itaque commoda vocentur, & (vt noſtra lingua loquar) producta.* Hoc namque vocabulo *producta* interpretatus eſt Stoicorũ Grecorum vocem προηγμένα: quam Cicero

Promota etiam, necnon *Præpoſita* & *Præcipua*, gaudet interpretari:& his contraria, ἀποπροηγμένα, *Reiecta*.

Epiſtola autem L I X, illorum legi ſe adſtringere, de vſu vocabuli Voluptas, recuſat. Hoc enim eſt illius epiſtolæ principiũ, *Magnam ex epiſtola tua percepi voluptatem. Permitte enim mihi vti verbis publicis, nec illa ad ſignificationem Stoicam reuoca.* Quibus addit, quamuis voluptas vitium eſſe credatur, poni tamen ſolere ad demonſtrandam animi hilarem affectionem. Et quum ſubiungit, *ſi ad noſtrum album verba dirigimus*, quin de Stoicorum albo intelligat, minimè dubitandum videtur. ſcribit enim, *Scio, inquam, & voluptatem (ſi ad noſtrum album verba dirigimus) rem infamẽ eſſe, & gaudium niſi ſapienti non contingere.* Conſtat porro, quum talia de hoc vocabulo dicuntur, ei dari Græci ἡδονὴ ſignificationem. Nihil autem æquè odioſum reddidiſſe hanc vocem videtur ac philoſophia Epicurea, quæ ἡδονὴν ſummum bonum ſtatuebat: à qua & ἡδονικοὶ philoſophi fuerunt vocati. Nec verò nomen hoc tantùm, ſed verbum quoque ἥδεσθαι (à quo originem habet) infame inter philoſophos fuit. Potiſſimùm verò infamatum fuit ab illo qui dixit, μανείην ἂν μᾶλλον ἢ ἡσθείην: ſiue, μαινοίμην ἂν μᾶλλον ἢ ἡδοίμην.

ἡδοίμην. Ad quod dictum Seneca ipſe reſpexiſſe exiſtimatur in principio epiſtolæ LXXXII, in his verbis, *Malè mihi eſſe malo quàm molliter*. Sed tamẽ longè aliud eſt *Inſanire malo* (quod Græca verba ſonãt) quàm *Malè mihi eſſe malo:* præſertim ſi *malè* accipiatur pro eo quod aliter dici ſolet, Durè, vel Aſperè, vel Laborioſè: quę expoſitio ibi adiungitur. Verùm ad Latinam voluptatis appellationẽ vt reuertar, eá in bonam partem Senecam quoq; alibi, abſque vlla præfatione, vti videmus. Quinetiam quũ inter Gaudium & Lætitiam differentiam conſtituat, illis tamen ſine diſcrimine alicubi vtitur. Cicero, libro De finibus bon. & mal. tertio, quum dixiſſet Stoicos communi nomine, corporis & animi ἡδονὴν appellare, ſe Lætitiam malle appellare dixit, quaſi geſtiẽtis animi elationem voluptuariam. Legimus porro apud eundem, libro eiuſdem operis ſecundo, omnes iucundum motum, quo ſenſus hilarentur, Græcè ἡδονὴν, Latinè voluptatem vocare.

Stoica eſt illa quoque inter *morbos* animi & *affectus* diſtinctio, qua *morbos* eſſe dicit inueterata vitia, & dura: cuiuſmodi ſunt auaritia & ambitio nimia, poſtquam hæc animum implicuerunt, & perpetua eius mala eſſe cœperunt: *affectus* autem, eſſe motus

animi improbabiles, ſubitos & concitatos, qui frequẽtes neglectíque fecere morbum. Non tamen philoſophi tantùm, ſiue Stoici, ſiue alij, νόσους, id eſt morbos, de vitiis dixerunt, verumetiam poetæ, tragici præſertim (& nominatim Euripides) ita illo vocabulo vſi ſunt: eorúmque exemplo veteres etiam Latini Morbos eadem de re dicere ſibi permiſerunt. Sed animaduerti, Senecam dicere morbum inane etiam ſuperuacanea diſcendi ſtudium: & alicubi ita vocare & id quod κακοήθειαν fortaſſe potiùs quàm νόσον Græci dixiſſent. Itidémque κακοήθειαν dicere poſſumus fuiſſe id quod Catullus morbum vocat, quum dicit,

Quodcunq; agit, renidet: hunc habet morbũ.
At verò apud eundem Senecã libri decimi De benef. cap. XIIII, vbi legimus, *Morbo ſuo morem geßit*, de quodam grauioris morbi genere dicitur.

Quædam autem animis accidunt quæ quum vulgus Affectuum appellatione com plectatur, ipſe non Affectus, ſed Affectibus præludentia principia eſſe ſcribit: libri ſecundi de ira cap. ſecundo. Poſtquam enim ſcripſit, cantum & concitatam modulationem nõnunquam nos inſtigare: illum quoque Martium tubarũ ſonum mouere mentes, & atrocem picturam, & iuſtiſſimorum ſuppli-

ſuppliciorum (niſi forte ſcribendum eſt, vel iuſtiſſimorum) triſtem aſpectum: atque inde eſſe quòd arridemus arridentibus, & quòd viciſſim cõtriſtat nos turba mœrentium, & efferueſcimus ad aliena certamina: ſubiungit, *Quæ non ſunt iræ, non magis quàm triſtitia eſt quæ ad aſpectum inimici naufragi contrahit frontem: non magis quàm timor, qui Annibale poſt Cannas mœnia circumſidẽte, lectoris percutit animos: ſed omnia iſta motus ſunt animorum moueri volentium: nec affectus, ſed principia præludentia affectibus.* Et capite quarto, *Præparatio affectus* idem illi ſignificat. *Et vt ſcias* (inquit) *quemadmodum incipiant affectus, aut creſcant, aut efferantur, eſt primus motus non voluntarius quaſi præparatio affectus, & quædam commutatio.* Ita enim ſcribendum eſt, non *comminatio*, vt ex aliis exempl. affertur: quũ altera illa tertio alio cõfirmetur loco, vt in ſequentibus oſtendã.

Cæterùm hoc ipſum aliis quoq; duobus nominibus ab eo appellatur, *Primus animi ictus, & Prima animi agitatio.* Scribit enim cap. II, Inter voluntaria animi vitia, non ea quæ conditione quadam humanæ ſortis eueniunt, ideóque etiam ſapientiſſimis accidunt, ponendum eſſe primum illum animi ictum, qui nos poſt opinionem iniuriæ mouet. Et cap. III, *Ergo prima illa agitatio*

animi, quam ſpecies iniuriæ incuſſit, non magis ira eſt, quàm ipſa iniuriæ ſpecies: ſed ille ſequens impetus, qui ſpeciem iniuriæ non tantùm accepit ſed approbauit. Sed hîc vereor nè ſcribendum potiùs ſit, *non magis ira eſt, quàm ipſa iniuriæ ſpecies iniuria eſt: ſed ille ſequens impetus,* &c. Quis enim neſcit ipſam iniurię ſpeciem minimè iram eſſe? Dixerat autem antea opinionem iniuriæ, eadem de re loquens. Crediderim porro & Impetum primum id à nobis vocari poſſe, vel ex eo quòd ipſemet impetum ſequentem dicit, occaſione ſumpta. Hoc autem Græci itidem πρώτην ὁρμὴν (vt opinor) dixerint.

Non prætermittendum eſt aliud etiam loquendi genus, quo Seneca rem eandem exprimere conatus eſt. Dixit enim, talia qualia ſunt quæ commemorauit, non mouere nobis iram ſed quaſi iram. Nam huius De ira commentarij libri primi capite ſecundo ſcribit, *Quid? gladiatoribus quare populus iraſcitur? & tam iniquè, vt iniuriam putet quòd non libenter pereunt? Contemni ſe iudicat, & vultu, geſtu, ardore, de ſpectatore in aduerſarium vertitur.* Quæ verba iſtis excipiuntur, *Quod quidem tamen non eſt ira, ſed quaſi ira: ſicut puerorum, qui ſi ceciderunt, terram verberari volunt: & ſæpe neſciunt quidem cui iraſcantur, ſed tantùm iraſcuntur ſine cauſa*

& ſine

& ſine iniuria, non tamen ſine aliqua iniuriæ ſpecie, nec ſine aliqua pœnæ cupiditate.

Qualia verò de ira, talia & de timore ſcribit, epiſtola LVII, cuius initium, *Quum Baijs deberem Neapolim repetere.* Ibi enim legimus, *Senſi quendam ictum animi, & ſine metu mutationem. quam inſolitæ rei nouitas ſimul ac fœditas fecerat. Non de me nunc* (ſed, *Non de me tãtùm nũc* ſcribendũ puto) *tecum loquor, qui multũ ab homine tolerabili, nedum à perfecto, abſum, ſed de illo in quem ius fortuna perdidit: huius quoque ferietur animus, mutabitur color.* Quibus adiicit exempla aliarum rerum, quæ talem animi ictum talémque mutationem afferũt. Nam addit, *Quædam enim ſunt, mi Lucili, quæ nulla virtus effugere poteſt: admonet illam natura mortalitatis ſuæ. Itaque & vultum adducet ad triſtitiam, & inhorreſcet ad ſubita, & caligabit, ſi vaſtam altitudinem in crepidine eius conſtitutus deſpexerit.* Tandémque, ſicut in loco qui præcedit, iram eſſe negauit quod ira eſſe videtur, ita hîc timorem eſſe negat, ſed quod tamen vocare timorem ſolemus. *Non eſt hic timor* (niſi malumus, *Non eſt hoc timor*) *ſed naturalis affectio inexpugnabilis rationi.* Sic autem antea dixerat ſe ſenſiſſe quãdam ſine metu mutationem. Sed hîc poſtquam illud timorem eſſe negauit, alia exempla

profert. *Itaque* (inquit) *fortes quidam & paratiſſimi fundere ſuum ſanguinem, alienum videre nõ poſſunt: quidam ad vulneris noui, quidam ad veteris & purulenti tractationem inſpectionémque ſuccidunt & liquuntur animo: alij gladium facilius recipiunt quàm vident.* Tandémque locum hunc verbis iſtis claudit, *Senſi ergo (vt dicebam) quandam non quidem perturbationem ſed mutationem.* Vbi inter alia animaduerte, *mutationem* duobus locis facere pro illis exemplaribus quæ in paulo antè citato loco non *comminationem* ſed *commutationem* habent. De his porro motibus qui non voluntate noſtra fiunt, loquitur & libro De ira ſecundo, circa principium. atque vt hîc dicit illũ animi ictum non eſſe timorem, ſed naturalem affectionem inexpugnabilem rationi: ita illic, omnes motus qui non voluntate noſtra fiunt, inuictos & ineuitabiles eſſe. Atq; hoc exemplis probat, inter quæ & illud de caligatione affert, ſed vertiginem dicens. *Omnes enim motus* (inquit) *qui non voluntate noſtra fiunt, inuicti & ineuitabiles ſunt: vt horror frigida aſperſis, ad quoſdam ictus conſternatio: ad peiores nuntios ſubriguntur pili, & rubor ad improba verba ſuffunditur, ſequitúrque vertigo prærupta cernentes.*

Simul verò obſeruandum eſt, cum timori qui-

ri quidem perturbationis nomen dare (nam quum negat ſe perturbationem ſenſiſſe, ſe timore negat correptum fuiſſe, vt ex præcedentibus apparet) at illud quod nõ timor quidem ſed tanquam timor eſt, & ictum animi & motum vocare. Græci licet ſuum πάθος hîc, vt illic, non dicerent, tamen pro illis Senecę verbis, Senſi quendam ictum animi, dicere non dubitarent, ἔπαθόν τι.

Hoc porro inter dolorem, & id quod eſt quaſi dolor, diſcrimen, in memoriam mihi alium huius ſcriptoris locum reuocat, vbi non minus diligentem ſe in ſeruanda vocum proprietate oſtendit. Morſum enim tantummodo appellandũ cenſet quod non tantùm vulgus, ſed fortaſſe philoſophorum etiam nonnulli dolorem nominarent. Locus eſt in epiſtola XCIX, *Non debes itaque cauſas doloris accerſere, nec leuia incommoda indignãdo cumulare. Non hortor vt nitaris & vrgeas. nõ tam malè de te iudico vt tibi aduerſus hæc totam putem virtutem aduocandam. Non eſt dolor iſte, ſed morſus: tu illum dolorem facis.* Itidémque in libello quo docet in ſapientem non cadere iniuriam, de eo loquens qui contumelia afficitur, *Non dubiè enim contemptum ſe iudicat, & hic morſus non ſine quadam humilitate animi euenit, ſupprimentis ſe ac deſcendentis.* Atque vt his in

locis Morſus, ſic alibi Morderi ab eo dicitur, eodem metaphoræ genere qua & Ouidius vtens dixit,

Mordeat iſta tuas aliquãdo cura medullas. Græci quoque antea δάκνειν & δάκνεσθαι ita dixerant: vnde eſt δακέθυμον, videlicet ἀπὸ τοῦ δακεῖν θυμόν. Sed & δάκρυον quaſi δάκνυον quidam dictum crediderunt.

Ad affectuum autem appellationẽ quod attinet, dicere poſſe videmur, Senecam imitando, muta animalia affectus non habere, ſed quaſi affectus: quemadmodum id quod propoſuit, non iram, ſed quaſi iram eſſe dixit. Nam libri primi De ira, cap. tertio, legimus, *Muta animalia humanis affectibus carent, habent autem ſimiles illis quoſdam impulſus.*

Quod Stoici τὸ ἡγεμονικὸν appellarunt, Cicero autem *principatum* nominauit, noſter Seneca *principale* dixit. Epiſtolã enim XCII ab his verbis inchoat, *Puto, inter me téque conuenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli: in animo eſſe partes miniſtras, per quas mouemur alimúrque, propter ipſum principale nobis datas. In hoc principali eſt aliquid irrationale, eſt & rationale.* Verùm vulgares ſuperioris tẽporis editiones, non *partes miniſtras*, (vt in vet. exempl. legitur) ſed *partes mixtas* habent. Rurſum autem libri

bri primi De ira capite tertio, oſtendens quid ſit inter homines & muta animalia diſcriminis, inter cætera dicit nulli niſi homini conceſſam eſſe prudentiam, prouidentiam, diligentiam, cogitationem: ne tantùm virtutibus humanis animalia ſed etiam vitiis prohibita eſſe. quinetiã totam illorum vt extra, ita intra, formam humanæ diſſimilem eſſe. Quibus ſubiungit, *Regium illud & principale, parum ſubtile, parum exactum. vt vox eſt q.* Ita enim ſcribendus eſt hic locus, non, vt in ſuperioribus editionibus legitur, *Regium illud & principale aliter dicunt. vt vox eſt q.* Et quum in illis editionibus verba hęc, *ita ipſum principale, parum ſubtile, parum exactum*, locum hunc claudant, ſunt omittenda.

Præſumptionem quum dicit pro anticipata opinione, veniat nobis in memoriam Græcum πρόληψις, quod hoc Latino repręſentatur. Vtitur autem hoc vocabulo, cum alibi, tũ epiſtola CXVII, vbi ſcribit, *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum: apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri. Tamquam, deos eſſe* (id eſt, veluti, deos eſſe) *inter alia ſic colligimus, quòd omnibus de dijs opinio inſita eſt: nec vlla gens vſquam eſt adeo extra leges moréſque proiecta, vt non aliquos deos credat.* Apud

Ciceronem quoque *præſumptionem*, ſicut & πρόληψιν, legimus, ſed in loco qui eandem ſignificationem non admittit: adeo vt vtriuſque vocabuli ſuſpecta mihi ſit ſcriptura, & πρόληψιν quidem in πρόσληψιν, at *præſumptionem* in *aſſumptionem* mutandum exiſtimem.

In alio autem eius loco, libro videlicet primo De natura deorum, πρόληψιν rectè legi conſtat: ſed non *præſumptionem*, verùm *anticipationem* vertit, quum prius periphraſi vtens dixiſſet *anteceptam animo rei quãdam informationem.* Vbi obſeruãdum, idem προλήψεως exemplum afferri. Dicit enim anticipationem quandam deorum. *Quæ eſt enim gens* (inquit) *aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam deorum?* Et addit, quam appellat πρόληψιν Epicurus. Dicit autem *anticipationem deorum*, non *de dijs*, quum tamen Græci πρόληψιν περὶ θεῶν potius dicant. Cæterùm Senecam hoc Ciceroni aſſenſurum fuiſſe non puto, Epicurum ante Stoicos hoc vocabulo vſum eſſe. Neque verò hac interpretatione cõtentus eſt Cicero, ſed aliam addit, *prænotionem.* Scribit enim, *hanc nos habere ſiue anticipationem, vt antè dixi, ſiue prænotionem deorum.* Neque tamen πρόγνωσιν itidem à Græcis dictam fuiſſe crediderim. Sed

quod

quod hîc *Prænotionem* compoſita voce appellat, alibi ſimplici vtens nominat *Notionem* & *Notitiam:* & non tantùm Græci προλήψεως, ſed & ἐννοίας mentionem facit. Verùm cur *anticipationem*, aut certè cum Seneca *præſumptionẽ* dicere malim, alibi doceo.

Aliud ibidem habemus multo minus vſitatum, vel potius inuſitatum vocabulum, & Stoicis non minus fortaſſe quàm vllum aliud proprium. Id autẽ eſt *adexpetendum:* nimirum ad exemplum Græci προσαιρετὸν factum. Scribit enim paulo ante illa quæ modò attuli, *Etiamnum quoque noſtris illud opponitur, Vultis ſapere? Ergo expetenda res eſt ſapere: ſi expetenda res eſt, bonum eſt.* Atque hîc Stoicos cógi ait verba torquere, & vnam ſyllabã expetendo interponere, quam ſermo Latinus inſeri non patitur. ſe tamen illam, ſi ipſe patitur, (Lucilium autem alloquitur) adiuncturum. *Expetẽdum eſt* (inquit) *quod bonum eſt: adexpetendum, quod bono contingit. quod, quum bonum conſequuti ſumus, non petitur tamquam bonum, ſed petito bono accedit.* Hac enim voce adexpetendum quin exprimere voluerit προσαιρετὸν, ſicut vocabulo Expetẽdum exprimi ſolet αἱρετὸν, minimè dubium eſt. Sed meritò ſuſpecta fuerit huius loci lectio in eo quod cogi Stoicos dicit vnam ſyllabam *expetẽdo* interpo-

nere. Quomodo enim dicere poteſt ſyllabam *ad* interponi, quæ præponitur ſeu præfigitur? Et tamen *inſeri* etiam dicit ſtatim poſt: quod eiuſdem cum verbo *interponi* eſt ſignificationis. Verùm vt hoc *inſeri* pro illo *interponi* facit, ita diſſentit ab vtroq; & mihi aſſentitur quod ſequitur, *adiungam*. Scribit enim, *Coguntur noſtri verba torquere, & vnam ſyllabam Expetendo interponere: quam ſermo noſter inſeri non ſinit. Ego illam, ſi pateris, adiungam*. Sed admonendus eſt lector, malè in vulgaribus ſuperioris temporis editionibus, non *adexpetendum* ſed *expetibile* legi, & *nobis contingit:* non *bono contingit*.

Stoica ſunt etiam *Cõtractio animi* & *Diffuſio animi*. id eſt, facta è Stoicis, συστολὴ ψυχῆς & διάχυσις. Epiſt. LXVI, *Vtraque res ergo ſine cauſa animũ & diffundit & mordet: nec illa gaudio nec hæc metu digna eſt*. Vbi tamen lector verbum *contrahit* oppoſiturum illi *diffundit* putauiſſet. *Contrahi* certè itidem ſine adiectione dicit pro συστέλλεσθαι: vt in comment. quo docet, iniuriam non cadere in ſapientem, capite IX, *Adeo ad offenſiones rerum hominúmque non contrahitur*. Sic *Contrahere ſe*, cap. proximè ſequenti, *Hunc affectum mouet humilitas animi contrahentis ſe ob factum dictumq; inhonorificum*. Et paulo poſt morſum de hac ipſa cõtractione dicit:

ſicut

ſicut *diffundit* & *mordet* opponi in loco paulo antè allato videmus. Cicero quoque, in commemoranda quorundam philoſophorum opinione, vtroque vſus eſt, videlicet & verbo *diffundi* & verbo *contrahi* : ſed illi præfigens *quaſi*. Idem, quod Stoici dicunt, λύπην eſſe συστολὴν ἄλογον, vertit, *Ægritudinem, eſſe animi, aduerſante ratione, contractionem.*

Quum irrationalẽ animi partem (id eſt, τὸ ἄλογον μέρος τῆς ψυχῆς) duas habere partes dicit: quarũ altera, eſt animoſa, ambitioſa, impotẽs, poſita in affectionibus: altera, humilis, languida, voluptatibus dedita: *animoſam partem* vocat quã non Stoici tãtùm ſed alij etiam τὸ θυμοειδὲς μέρος appellarunt: (à Cicerone dicitur *Pars animi in qua irarum exiſtit ardor.* verùm interpretationem Senecæ huic antefero: cur autem, alibi doceo) at *voluptatibus deditam*, quam illi τὸ ἐπιθυμητικὸν dixerunt: eodémque modo Cicero appellat eam partem animi quæ voluptate alitur. Sed ego ab vtroque diſſentio : quum non dixerint Græci τὸ ἡδονικὸν μέρος τῆς ψυχῆς, ſed τὸ ἐπιθυμητικὸν, id eſt, Animi pars ad concupiſcendum propenſa, ſeu cui inſita eſt ad concupiſcendum propenſio: vt docui in meo Græcæ linguæ Theſauro.

Quum apud Senecam ſapientiæ ſtudio-

ſus aliquid ad rem nõ pertinere dicit, intelligit nõ pertinere ad illud quod ei eſt ſumma humani boni,ſiue ſumma humanæ felicitatis.id eſt,nõ pertinere ad ſapiẽtiam: quã & perfectum bonum mentis humanæ alicubi appellat. Sic enim epiſt. LXXXVIII, *Numerare docet me arithmetica, & auaritiæ commodare digitos:potiùs doceat, nihil ad rem pertinere iſtas computationes, non eſſe feliciorem cuius patrimonium tabularios laſſat.* Sic dixerat aliquanto ante,*Hoc quidem me quærere, vtrum maior ætate fuerit Homerus an Heſiodus, non magis ad rem pertinet, quàm ſcire an maior fuerit Hecuba quàm Helena, & quare tam malè tulerit ætatem.* Hæc enim locum iſtum proximè præcedunt, *Demus illis, Homerum philoſophum fuiſſe: nempe ſapiens factus eſt antequam carmina vlla cognoſceret:ergo illa diſcamus quæ Homerum fecere ſapientẽ.* Perinde eſt igitur acſi diceret, Diſcere me quæ Homerũ fecerunt ſapientem, ad rem pertinet: contra verò diſcere illud quod de Homero & Heſiodo quæri ſolet, ad rem cuius ſtudio teneor, minimè pertinet. Sic quũ doceri vult quomodo patriam amet, quomodo vxorẽ, quomodo patrem: doceri quid ſit pudicitia, & quantum in ea bonum, atque vtrum in corpore an in animo poſita ſit: nempe doceri vult quæ ad rem

rem pertinere exiſtimat: id eſt, pertinere ad ſternendam viam ad virtutem: vt in eadem epiſtola loquitur. Epiſtola autem LXXVI, Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm perlucido poculo bibat, ſed quàm bonus ſit: perinde eſt acſi diceret hæc nihil commune habere cum eo quod in homine requiritur, vt finem naturæ ſuæ attigiſſe dici poſſit. Alioqui hoc loquendi genus (quo frequenter vtitur) pro loco exponendum eſt epiſtola LXXIII, poſtquã dixit Seneca ſe Anneum Serenum ſibi chariſſimũ immodicè fleuiſſe: ſed nunc factum ſuum damnare, & intelligere, maximam ſibi cauſam lugendi fuiſſe, quòd mori eum ante ſe poſſe, nũquam cogitaſſet: quoniam hoc vnũ illi occurrebat, minorẽ eſſe, & quidẽ multo minorem: nimirum tanquã ordinẽ ſeruare fata ſolerent: vbi inquã hæc dixit, addit, *Tunc ego dicere debui, Minor eſt Serenus meus: quid ad rẽ pertinet? Poſt me mori debet, ſed ante me poteſt.* Breuiter autẽ hoc dicitur, nõ alio (vt opinor) quàm hoc ſenſu, Quid pertinet ad ſpem quam de eius longiore vita cõcipio? longiore inquam quàm mea. Id eſt, Quid hoc confert ad hanc ſpem mihi confirmandam?

Libri autem de Benef. primi capite tertio, Neceſſarium eſſe illud ſcire, & Ad rem pertinere illud ſcire, tanquam eundem ſenſum habentia ponit.

At verò quum dicit, Res hęc nihil ad nos non pertinet, illud eſt quod Stoici Græci dicunt, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Sic epiſtola LXXX, *Ad nos quidem nihil pertinebit poſterorum ſermo, tamẽ etiam non ſentientes colet ac frequentabit.* Et in LXXVI, *Poteram reſpondere quod Epicurus ait, Sapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, Dulce eſt: &, Ad me nil pertinet.*

Senecæ *Mediocris vir*, & *Tolerabilis*, eadem ſignificatione dicuntur, & vel eadem, aut penè eadem, qua *imperfectus* & *proficiẽs*, de quibus antea dictum à me fuit. Legimus enim epiſtola LVII, *Non de me nunc tecum loquor, qui multùm ab homine tolerabili nedum à perfecto abſum: ſed de illo in quem ius fortuna perdidit: huius quoq; ferietur animus, mutabitur color.* Et in principio epiſt. LXVI, ſcribit Lucilio, ſe ſcire hoc liquere illi, neminem poſſe beatè viuere, ne tolerabiliter quidem, ſine ſapientiæ ſtudio: & beatam vitam perfecta ſapientia effici: tolerabilem, etiam inchoata. Caput autem vndecimum libri De tranquillitate ab his verbis orditur, *Ad imperitos & mediocres & malè ſanos*

hic meus

hic meus ſermo pertinet, non ad ſapientem. Verùm alteram ſcripturam huic anteferẽdam cenſeo, quæ non *imperitos* ſed *imperfectos* nobis exhibet. Quemadmodum autem hîc ſapientiam imperfectis & mediocribus opponit, ita illic homini tolerabili, eum in quem ius fortuna perdidit. Quis autem hic eſſe alius quàm ſapiens poteſt? ſed idem eſt (vt opinor) ille quem perfectum dixerat. Nam aliter intelligẽdum hunc locum non puto, quàm ſi ſcripſiſſet, *ſed de perfecto illo in quem ius fort.* Nam vt in loco proximè pręcedente, ſic & alibi, imperfectum ſapienti, tanquam perfecto, opponi videmus. Atque adeò epiſtola centeſimanona ſcribit, *Quærit itaque aut perfectum virum, aut proficientem, vicinumq́; perfecto.*

CAPVT VII.

Comparationes etiam quaſdam, ſeu ſimilitudines, quibus vtitur Seneca, apud Græcos Stoicos inueniri.

SENECÆ familiares ſunt & quędam ſimilitudines, quas & apud Stoicos Græcos inuenio. Ex earum numero illa eſt quæ vitæ hominis partes partibus fabulæ comparat, & vnamquanque vitæ partem actum eodem modo vocat. Id facit cùm alibi, tum

epiſtola LXXVI, vbi de viro bono ſcribit, *Ergo ſi honeſtum vtique ſequuturus eſt, turpe itaque vitaturus, & in omni actu vitæ ſpectaturus hæc duo, nullum aliud bonum quàm honeſtum, nec aliud malum, quàm turpe.* Et cap. XXVI, libelli De vita beata, *Nihil magis perſuaſi mihi quàm ne ad opiniones veſtras actus vitæ meæ flecterem.* Ita enim ſcribendum puto, non *actum.* Quod tamen ſi retinendum eſſet, adderem *vllum*, & ſcriberem, *vllum vitæ meæ actum.* In his certè aliiſque locis eum ad fabulæ actus reſpicere, liquet ex iſto loco, qui epiſtolam LXXVII claudit, *Quo modo fabula, ſic vita, non quàm diu, ſed quàm bene acta ſit, refert.* Sic autem Epictetus, Μέμνησο ὅτι ὑποκριτὴς εἶ δράματος οἵου ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος. ἂν βραχὺ, βραχέος· ἂν μακρὸν, μακροῦ. ἂν πτωχὸν ὑποκρίνεσθαί σε θέλῃ, ἵνα καὶ τοῦτον εὐφυῶς ὑποκρίνῃ· ἂν χωλὸν, ἂν ἄρχοντα, ἂν ἰδιώτην. σὸν γὰρ τοῦτ᾽ ἔστι, τὸ δοθὲν ὑποκρίνεσθαι πρόσωπον καλῶς· ἐκλέξασθαι δ᾽ αὐτὸ, ἄλλου. Id eſt, *Memineris te actorem eſſe fabulæ quæ talis futura ſit qualem magiſter eſſe voluerit. ſi breuem, breuis: ſi longum, longæ. Si mendici perſonam tibi dederit, fac eam ſcitè repræſentes: ſi claudi, ſi principis, ſi hominis priuati. Tuum enim officium hoc eſt, datam perſonam bellè repræſentare: eam autem eligere, alius eſt.* Sed (quid enim vetat lectorem de

his

his obiter monere?) ſcripſiſſe Epictetum crediderim, ἂν μακρὸν, μακρῦ. ἂν πλούσιον, ἂν πτωχὸν ὑποκείνεσθαί σε θέλῃ. Item πτωχὸν mutãdum in καλὸν, & addendum ἂν αἰσχρόν: hoc modo, ἂν καλὸν, ἂν αἰσχρόν· ἂν ἄρχοντα, &c. & ita vbique duo contraria ſibi opponentur. Nolo autem diſſimulare, veterem illam Epicteti editionem, quæ Victoris Trincauelli auſpiciis, beneficio autẽ Georgij à Selua, Venetiis vnà cum Arriano prodiit, poſterioris cõiecturæ occaſionem mihi præbuiſſe: ex qua prior illa nata fuerit. Nam quum χαλὸν, in ea, non χωλὸν legiſſem, ſuſpicatus ſum malè quoſdam χωλὸν ex illo χαλὸν feciſſe: quum καλὸν facere debuiſſent: deinde mihi in mentem venit, oppoſitum quoque αἰσχρὸν ab Epicteto adiectum fuiſſe: ſicut ἄρχοντα & ἰδιώτην opponi videmus. Tãdem verò, Quidni? inquam, πλούσιον, ſicut & πτωχὸν, ab eo ſcriptum fuiſſe dicamus?

Cęterùm Ciceronem quoque metaphora illa vſum videmus: quum in ſuo De ſenectute opuſculo Catonem maiorem ita loquentem inducit, *A qua natura non veriſimile eſt, quum cæteræ partes ætatis bene deſcriptæ ſint, extremum actum, tanquã ab inerti poeta eſſe neglectum.* Sic tertia in Verrem, *Itaque primum illum actum iſtius vitæ turpiſ-*

d. iij.

ſimum prætermittam. Verumtamen vnius loci Senecæ recordor, in quo actum vitæ dixiſſe eum veriſimile eſt, pro vitæ curſu: non ad illud genus loquendi reſpicientē in quo quis Agere fabulam dicitur, ſed ſimpliciter ad illud quo Agere vitam dicimus. Locum illum habet epiſtola nonageſima, *Non fuit tam inimica natura, vt quum alijs omnibus animalibus facilem actum vitæ daret, homo ſolus non poſſet ſine tot artibus viuere.* Vbi alioqui videmus, actum vitæ, beneficio naturæ, ſicut & apud Ciceronem, adſcribi.

Nequaquam verò omittendū puto, hanc ſimilitudinem alîus anſam Senecę præbuiſſe, ab iis itidem qui fabulæ alicuius perſonas reprę ſentant ſumptæ, & ad repræſentandam vitæ humanæ conditionem appoſitiſſimæ. Nam ex eo quod modò diuitis, modò pauperis perſonam ſuſcipiūt, ideóque modò ſplendidam, modò ſordidam veſtem induunt, eam quæ in rebus humanis eſt mutationem ante oculos nobis ponit.

Huc autē pertinet etiā cōparatio cū pueris, qui ludētes omne perſonarum genus ſumunt: & (vt loquitur Seneca) *Inter ſeipſos magiſtratus gerunt, & prætextam faſcéſque ac tribunal imitantur:* vt autem loquitur Epictetus, ἃ (intellige autem παιδία) νῦν μὲν παλαιστὰς παίζει, νῦν δὲ αὐλητὰς, νῦν δὲ μονομάχους.

μάχους. Nec verò comparationem dialecticorum argutiis vtentium cum præſtigiatoribus primus attulit. Eam dico quam legimus epiſtola XLV. Poſtquam enim dixit, eum qui interrogatur an cornua habeat, non eſſe tam ſtultum vt frontem ſuam tentet: nec rurſus tam ineptum aut hebetem, vt non habere ſe neſciat: quod tamen dialecticus illi ſubtiliſſima collectione perſuaſerit: iſta ſubiungit, *Sic iſta ſine noxa decipiũt quomodo præſtigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.* Non primus (inquam) Seneca comparationẽ hanc attulit: quum ante illum dixiſſet Arceſilaus, dialecticos ſimiles eſſe τοῖς ψηφοπαίκταις, οἳ χαριέντως ἡμᾶς παραλογίζονται.

CAPVT VIII.

Ad vnum aliquem ex Stoicis non ſe alligare Senecam, ac ne ad vnum quidem aliquem ex Stoicorum proceribus.

Ad illa quæ Stoicis aliiſq; philoſophis obiiciebantur, à Seneca reſponderi.

Epicuri multa laudari à Seneca, & quæ ab illo de voluptate dicuntur, de ſobria quadam ac ſicca voluptate dicta exiſtimari.

SCRIBIT Seneca in ſuo de vita beata opuſculo, non alligare ſe ad vnum ali-

d. iiij.

quem ex Stoicis proceribus. In quo numero poni ab illo exiſtimo hos potiſſimũ, Zenonẽ, Chryſippũ, Cleanthem, Panætium, & Poſidonium. Nã Zenonem & Chryſippum multis in locis coniungit: ſed & iſtorũ omnium ſimul mentionem alicubi, tanquam Stoicæ ſectæ procerũ, facit. Ac conſentanea ſunt hæc quæ legimus in principio capitis trigeſimi eiuſdem libelli, *Hæc Stoicis quoque placere oſtendam: non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis Chyſippíve committere: ſed quia res ipſa patitur me ire in illorum ſententiam: quam ſi quis ſemper vnius ſequitur, nónne iniuriam infert cæteris?* Superioris tamen temporis editiones (vt de hoc obiter moneam) longè aliã lectionem habent: nimirum iſtam, *quam ſiquis ſemper vnius ſequitur, nõ id vitæ, ſed factionis eſt*. Ideo autem illa de quibus agit, Stoicis quoque placere, vult oſtendere, quòd hanc ſibi obiectionẽ finxiſſet, *Dices mihi, Quid agis Seneca? Deſeris partes. Certè Stoici veſtri dicũt, Vſque ad vltimum vitæ finem in actu erimus.* Et paucis interiectis, *Quid nobis Epicuri præcepta in ipſis Zenonis principijs loqueris?* Vbi (nequis fallatur) *principia*, pergens in metaphora, dicit eo modo quo ille apud Terentium, *Hîc ego ero poſt principia.* Cæterùm quomodo ad hanc obiectionem in ſequen-

ſequentibus reſpondeat, videndum tibi relinquo. Sed hoc addam, cum paulo etiam magnificentius loqui in altero illo cuius memini initio huius capitis loco: videlicet eſſe & ſibi cenſendi ius. Scribit enim, *Noſtram verò* ſententiam *quum dico, non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus. eſt & mihi cenſendi ius.* Quinetiam addit, fore vt aliquem ſequatur, aliquem iubeat ſententiam diuidere. Quid autem ſit Sententiam diuidere, in ſequentibus docebo. Adijcit porro & hæc, *Fortaſſe & poſt omnes citatus, nihil improbabo ex ÿs quæ priores decreuerint: & dicam, Hoc amplius cenſeo.* Denique & in principio epiſtolæ c x v i i, ſcribit Lucilium quæſtiunculas illi proponere, in quibus nec diſſentire à ſuis, ſalua gratia, nec conſentire ſalua conſcientia poteſt. Ea autem de qua tum agebatur, hæc erat, An verum ſit quod Stoicis placet, Sapientiam bonum eſſe: ſapere, bonum non eſſe. *Primùm* (inquit) *exponam quid Stoicis videatur: tum dicere ſentẽtiam audebo.* Quinetiam in principio epiſt. c x i i i, reſpondens Lucilio de hac quæſtione iactata apud ſuos Stoicos, an virtutes animalia ſint: ſe, quid illis videatur, expoſiturum dicit: verùm addit, *ſed me in alia ſententia profiteor eſſe.* Nec verò dubitat errare etiam dicere illos in quibuſ-

dam: vt epiſt. LVII. ſed non videtur intelligere, omnes Stoicos id quod ibi narrat ſenſiſſe. Quod ſi ita eſt, ſcribendum fuerit, *Nunc me putas de Stoicis illis dicere*. Non vno certè in loco quædam affert quæ vni tantum parti illorum placuiſſe ſcribit: vt epiſtola LXXXIX. Sic in fine Conſolationis ad Polybium, *Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis quàm fortis prudentiæ viros, qui negent doliturum eſſe ſapientem*. Nā hîc quoq; Stoicos (vt opinor) ſed non omnes, reprehendit.

Modeſtè autem & cum præfatione in quendam Zenonis ſyllogiſmum inquirit, epiſtola LXXXIII. Ibi enim cogitare ſe dicit quid ſibi voluerint prudētiſſimi viri, qui rerum maximarum probationes leuiſſimas & perplexas fecerunt: quę, vt ſint verę, mendacio tamen ſimiles ſunt. A genere enim ad ſpeciem deſcendens, proponit ſyllogiſmum, quo vſus ſit Zeno (quē honorificentiſſimè appellat virum maximum, Stoicæ ſectæ fortiſſimæ ac ſanctiſſimæ conditorem) vt probaret, virum bonum non futurum ebrium. Oſtendit autem, Poſidonium iam quæ aduerſus illam probationē obiici poſſent præuidiſſe. ait enim illum quo vno modo poteſt Zenonis cauſam agere: ſed ne ſic quidem agi poſſe.

Ne hoc quidem diſſimulat Seneca, fuiſſe qui

qui ſub ſpecie Stoicæ ſectæ ad vitia hortarentur: epiſt. penultima, *Hoc nunc me exiſtimas dicere, eos tantùm pernicioſos eſſe auribus noſtris qui voluptatem laudant, qui doloris metum, per ſe formidabilis rei, incutiunt. Illos quoque nocere nobis exiſtimo qui nos ſub ſpecie Stoicæ ſectæ hortantur ad vitia.* Et quomodo id facerent, addit, *Hoc enim iactant, ſolum ſapiētem & doctum eſſe amatorem.* coniunge autem *doctum* & *amatorem:* vt intelligas, ſolum ſapiētem, amatorem etiam eſſe doctum. Adijcit, *Solus aptè ad hanc artem æquè combibendi & conuiuandi ſapiens eſt peritiſſimus.* Vbi pro *æquè* libenter legerem *atque:* quamuis & aliud aliquod mendum ſub his poſtremis verbis deliteſcere videatur, & *aptè* in *æquè* mutandum eſſe.

Ad ea autem quod attinet quæ aduerſus vitam ac mores non Stoicorum tātùm, ſed aliorum etiam philoſophorum, afferebantur, eorum mentionem facit in ſuo De vita beata commentario: atque adeò reſpondet ad varias obiectiones eorum qui philoſophiam (vt ipſe loquitur) conlatrabant. Quarum hæc vna erat, & quæ alias multas complectebatur, *Aliter loqueris, aliter viuis.* Hoc enim per maligniſſima capita, & optimo cuique inimiciſſima, Platoni obiectum fuiſſe, obiectum Epicuro, obiectū Zenoni.

Omnes enim iſtos dicere ſolitos nō quemadmodum ipſi viuerēt, ſed quemadmodum viuendum eſſet. Et aliquāto poſt, Non præſtant philoſophi quæ loquuntur: multum tamen præſtant, quòd loquuntur, quòd honeſta mente concipiunt. Circa finem autem huius libelli diſputat aduerſus eos qui ita in philoſophis actionem (pro quo & ciuilem vitam dicit) requirebant, vt vix vllum ad contemplationem otium relinquere illis vellent. Ac fatetur quidem, de ſapiente loquens, illum debere profectus ſuos in opere tentare: nec tantùm quid faciendum ſit cogitare, ſed etiam aliquando manum exerere, & ea quæ meditata ſunt, ad verum perducere: *quòd ſi per ipſum non eſt mora*, (inquit) *ſi non actor deeſt, ſed agenda deſunt, ecquid illi ſecum eſſe permittes?* Quum autem *Secum eſſe* dicit, Contemplationi vacare intelligit. ſubiūgit enim, *Quo animo ad otium ſapiens ſecedit? vt ſciat ſecum quoque ea acturum per quæ poſteris proſit.* Atque hoc eleganter alibi Poſterorum negotium agere appellat. Hîc autem adiicit, *Nos certè ſumus qui dicimus & Zenonem & Chryſippum maiora egiſſe quàm ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non vni ciuitati ſed toti humano generi tulerunt.* Et paucis interiectis, *Ad ſummam quæro an ex præceptis*

ptis

ptis ſuis vixerint Cleanthes & Chryſippus & Zenon. Non dubiè reſpondebis, ſic illos vixiſſe quemadmodum dixerāt eſſe viuendū. Atqui nemo illorum remp. adminiſtrauit. Non fuit (inquis) aut ea fortuna, aut dignitas quæ admitti ad publicarum rerum tractationem ſolet: ſed ijdem nihilominus non ſegnem egere vitam.

Quum autem Stoicam philoſophiā profiteretur Seneca, mirum videri non immeritò poſſit quomodo tantus Epicuri laudator fuerit: ſed ad hoc reſponſio ex ipſomet Seneca petenda eſt, præſertímque ex variis epiſtolarum locis. Quinetiam libelli De vita beata capite XIII, poſtquam ſcripſit, voluptatis laudationem pernicioſam eſſe, quia honeſta præcepta intra latent, quod corrumpit, apparet, inuitis etiam ſuis popularibus (ita enim Stoicos appellat) ſancta & recta vocare audet quæ ab Epicuro præcipiuntur. *Mea quidem iſta ſententia eſt (inuitis hoc noſtris popularibus dicam) ſancta Epicurū & recta præcipere, &, ſi propius acceſſeris, triſtia.* Et rationem addit, *Voluptas enim illa ad paruū & exile reuocatur: & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. iubet illam parere naturæ. Parum eſt autem luxuriæ, quod naturæ ſatis eſt.* Et paucis interiectis, *Itaque non dico quod plerique noſtrorum, ſectam Epicuri flagitiorū magiſtram eſſe:*

ſed illud dico, Malè audit, infamis eſt: & immeritò. Quomodo igitur ſibi Seneca cõſtat, vbi Epicureorum delicatã & vmbraticam turbam vocat in conuiuio ſuo philoſophantium, & apud illos virtutem voluptatũ miniſtram eſſe dicit? (hoc autem dicit capite ſecũdo libri quarti De beneficiis) Reſponderi poſſe exiſtimo, hæc quæ à Seneca in illo De vita beata opuſculo ſcribuntur, Illũ, qui deſidioſum otium & gulæ ac libidinis vices felicitatem vocat, bonum malæ rei quærere autorem: & dum illò venit, blando nomine inductum, ſequi voluptatem, non quam audit, ſed quam attulit: & quum cœpit putare vitia ſua ſimilia præceptis, illis non timidè nec obſcurè indulgere: luxuriari etiam inoperto capite. Ac pertinent eodem & hæc, *Ita non ab Epicuro impulſi luxuriantur, ſed vitijs dediti luxuriam ſuam in philoſophiæ ſinu abſcondunt: & eò concurrunt vbi audiunt laudari voluptatem. Nec æſtimatur voluptas illa Epicuri (ita enim mehercules ſentio) quum ſobria ac ſicca ſit: ſed ad nomen ipſum aduolant, quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod & velamentum.* In eiuſdem libelli capite trigeſimo alia de re agens, de eo videlicet quod Stoici promittebant, ſe vſque ad vltimum vitæ finem in actu futuros, nec deſituros communi bono

operam

operam dare: ac ſe vllis annis vacationem dare negabant: ſcribit, duas maximè in hac re diſſidere ſectas, Epicureorum & Stoicorum: ſed vtranque tamen ad otium diuerſa via mittere. Epicurum enim dicere, *Non accedet ad remp. ſapiens, niſi ſiquid interuenerit:* at Zenonem, *Accedet ad remp. niſi ſiquid impedierit.* Atque ita ab altero otium ex propoſito peti, ab altero ex cauſa. Propoſitum autem hîc vocat προαίρεσιν: pro quo recentiores & πρόθεσιν dixerunt.

Iam verò & epiſt. LXVII, de æqualitate loquens eorum quæ bona appellantur, *Nec eſt* (inquit) *quòd hoc inter noſtra placita mireris: apud Epicurum duo bona ſunt, ex quibus ſummum illud beatúmque componitur: vt corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione.* Et aliquanto poſt, *Dabo apud Epicurum tibi etiam nunc ſimillimam huic noſtræ diuiſionem bonorum.*

Quum autem multas ſententias, tãquam floſculos, epiſtolis ſuis inſerat, eas Epicuro adſcribens, tamen in XXXIII, *Eiuſmodi vocibus* (inquit) *referta ſunt carmina, referta hiſtoria. Itaque nolo Epicuri illas eſſe exiſtimes: publicæ ſunt, & maximè noſtræ.* Et addit, in illo magis annotari, quia rarę interueniunt, quia inſperatæ: quia mirum eſt aliquid fortiter dici ab homine mollitiem profeſſo.

Sed ſubiungit, tanquam διόρθωσιν adhibens, *ita enim plerique indicant. Apud me verò Epicurus eſt & fortis, licet manuleatus ſit.* Vbi quòd *manuleatus* dicitur, conuenit cùm iis quæ commentarioli De vita beata capite decimotertio, ſcribit de eodem, *Hoc tale eſt quale vir fortis ſtola indutus:* poſtquam dixit frontem ipſam dare locũ fabulæ, & ad malam ſpem irritare. Sub quibus verbis intelligi debet quod antea dixerat, honeſta præcepta (Epicuri videlicet) intra latere, quòd corrumpit, apparere. Quid porro eſt illud prima fronte occurrens, quod corrumpit? laudatio voluptatis. Debet autem vox iſta Manuleatus in memoriam nobis reuocare iſtum Virgilij verſum,

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Cui conſentanea eſt Perſarum etiam quæ ſtatim ſequitur mentio.

Cæterùm quod ſcribit, ſententias illas (quas appellat vóces) ſub Epicuri nomine allatas, eſſe publicas, in mentem mihi reduxit quandam quæ quum Epicuro ab ipſo etiã Seneca adſcribatur, ego illi ſimilem alij tribui video. Eſt autem hæc, epiſtola XXI, ex quadam ipſius Epicuri ad Idomeneum epiſtola, *Si vis Pythoclea diuitem facere, non pecuniæ adyciendum, ſed cupiditatibus detrahendum*

hendum eſt. ex his Epicuri verbis, Εἰ βούλει τὸν Πυθοκλέα πλούσιον ποιῆσαι, μὴ χρημάτων προστίθει, τῆς δὲ ἐπιθυμίας ἀφαίρει. Atqui ſub alius nomine hæc afferuntur, τοσοῦτον εἰς ἀρετὴν προσθήσεις ὅσον ἂν ὑφέλῃς τῶν ἡδονῶν. Cæterùm ſub finem huius epiſtolæ ſcribit Seneca, ſe eo libentius Epicuri egregia dicta commemorare, vt ijs qui ad illa confugient, ſpe mala inducti, qui velamentum ipſos ſuorum vitiorum habituros exiſtimant, probet, quocunque ierint, honeſtè eſſe viuendum. Sub quo loco menda duo latere exiſtimo, de quibus alibi à me dicetur.

Quamuis autem hæc ita ſint, multa occurrent tamen de quibus ab Epicuro diſſentit: & quidem in ipſis etiam epiſtolis, vt in ea quæ eſt LXXXV, poſtquam dixit Xenocratem & Speuſippum putare beatum vel ſola virtute fieri poſſe, non tamen vnum bonum eſſe quod honeſtum eſt: addit, *Epicurus quoque iudicat, quum virtutẽ habeat, beatum eſſe: ſed ipſam virtutem non ſatis eſſe ad beatam vitam: quia beatum efficiat voluptas, quæ ex virtute eſt, non ipſa virtus*. Et ſubiungit, *Inepta diſtinctio*.

AD SENECÆ LECTIONEM PROODOPOEIÆ,

Liber Secundus.

CAPVT I.

De ſtructura orationis Senecæ.

SENECA talem adhibet orationi ſuæ ſtructuram, vt non animaduerſa obſcuritatem locis qui alioqui clari ſunt afferre poſſit. Primùm enim membratim cæſimq; plerunque loquitur: deinde particulas, quæ orationis vincula ſunt (ideóque cõiunctiones voca tur) omittit: poſtremò, quum ſæpe rem eandem diuerſis modis efferat, interdum ad præcedentia pertinent quæ tamen alius ſermonis eſſe principiũ videri queant: ſicut viciſſim ex præcedentibus pendere nonnunquam credimus quæ ſunt ad alium ſermonem tranſeuntis.

De tribus his ſingulatim tractaturus, & multa ſingulorum exempla propoſiturus, ab illo

ab illo primo initium, vt par eſt, ſumam: ſi prius de illa orationis Senecæ forma pauca diſſeruero. Quum igitur oratio omnis periodis, periodus omnis (in cuius Græci vocabuli interpretatione Ciceronem liberaliorem quàm in alîus cuiuſquam fuiſſe exiſtimo, quum Ambitum, Circuitum, Comprehenſionem, Continuationem, Circumſcriptionem interpretetur) membris conſtet, & ita quidem vt habere debeat membra minimùm duo, medius autem numerus ſit quatuor: qui breuibus eóque magis denſis periodis vtuntur, quoniam apud eos interdum ſingula membra totidem periodorum ſpeciem præ ſe ferunt, hinc factum eſſe puto vt Membratim loqui dicantur. Nam Fabius non aliter hoc verbo vti videtur, libri noni cap. vltimo, quũ ſcribit, *Vbicunque acriter erit & inſtanter pugnacitérque dicendum, membratim cæſimq; dicemus. Nam hoc in oratione plurimũ valet.* Et pauciſſimis verbis interiectis, *Membratim plerunq; narrabimus, aut ipſas periodos maioribus interuallis & velut laxioribus nodis reſoluemus.* Obſerua autem, illi *membratim* adiungi & *cæſim:* pro quo libenter *inciſim* ſcripſerim: etiamſi apud Ciceronem quoque vtrunq; legamus, in locis qui ſibi vicini ſunt. nam apud eum pariter ſcribendum vtrobique *in-*

ciſim crediderim. Eius verba ſunt, circa finem Oratoris, *Inciſim autem & membratim tractata oratio in veris cauſis plurimum valet: maximéque his locis quum aut arguas, aut refellas. vt noſtra in Corneliana ſecunda, O callidos homines: ô rem excogitatam: ô ingenia metuenda. Membratim adhuc, deinde cæſim. Rurſus membratim, Diximus: teſtes dare volumus. Extrema ſequitur comprehenſio: ſed ex duobus membris: qua non poteſt eſſe breuior, Quem, quæſo, noſtrûm fefellit, ita vos eſſe facturos?* Vbi alia etiã oriri dubitatio poteſt, quòd poſteriora verba, quæ Cicero in exemplum affert, à Fabio proponantur de inciſis loquente, tanquam eorum exemplum ſint. Poſtquã enim ſcripſit, *Inciſum (quantũ mea fert opinio) erit ſenſus non expleto numero concluſus: pleriſque pars membri. Tale eſt enim quo Cicero vtitur* (hunc autem locum & ipſe Cicero in exemplũ affert, vt aliquanto pòſt videbis) *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas.* His inquam ſubiungit, *Fiunt autem etiam ſingulis verbis inciſa. vt, Diximus: teſtes dare volumus. Inciſum eſt, Diximus.* Atque vt Inciſum eſſe dixit ſenſum nòn expleto numero cõcluſum, ita, in iis quæ proximè addit, Membrum eſſe ait ſenſum numeris concluſum, ſed à toto corpore abruptũ, & per ſe nihil efficientem.

tem. Id enim (inquit) *O callidos homines*, perfectum eſt: at remotum à cæteris, vim non habet: vt per ſe manus, & pes, & caput. Et, *O rem excogitatam: ô ingenia metuenda.* Quibus hæc ſubiunguntur, Quando ergo incipit corpus eſſe? quum venit extrema concluſio, *Quem, quæſo, noſtrûm fefellit, id vos ita eſſe facturos?* Vt autem ad illum Ciceronis reuertar locum, quod ille membratim dictum ſcribit, ex Fabio dicere poſſumus inciſim dictum eſſe: vt ex eius quæ attuli verbis manifeſtum eſt. Sed quum nihil minus quàm à Cicerone diſſentire illum velle exiſtimem, (præſertim quum & alia ibi tradat, in quibus ſe illum ſequi non diſſimulat) potius mihi perſuaſerim, apud Ciceronem, verba iſta, *Rurſus membratim*, non præfixa his verbis, *Diximus: teſtes dare volumus:* ſed poſtpoſita fuiſſe: & eorum exemplum deſiderari. vt Cicero, poſtquam illa attulit, *O callidos homines: ô rẽ excog.* &c. addat, *Membratim adhuc: deinde inciſim* (vel *cæſim*) *Diximus: teſtes dare volumus. Rurſus membratim:* ſed exemplum horum poſteriorum membrorum ſit (vti dixi) omiſſum.

Interim animaduertendum eſt, nullis verbis melius formam orationis Senecæ poſſe repræſentari, quàm ſi membratim & inciſim eum loqui dicamus: aut membra-

tim cæſimque dicere, vt apud Fabium (ſi hoc *cæſim* pro *inciſim*, apud illum, ſicut & apud Ciceronem, ſuſpectũ eſſe non debet) legimus. Poſſumus alioqui, quum idem ſcribat, Periodi genera eſſe duo: alterum, ſimplex, quum ſenſus vnus longiore ambitu circũducitur: alterum, quod conſtat membris & inciſis quæ plures ſenſus habent: dicere periodos Senecæ huius poſterioris generis exemplum eſſe. Quinetiam obſeruandum eſt quod ab illo traditur, hoc orationis genus ijs qui acriter & inſtanter pugnacitérque dicere volunt, conuenire. Si enim ita ſe res habet (vt certè habet, quum Cicero itidem ſcribat, inciſim & membratim tractatã orationẽ in veris cauſis plurimum valere, maximéque vbi quis arguit, aut refellit) cuius magis quàm Senecæ orationi conuenire dici poteſt? quis illo acrior? quis magis inſtanter, pertinaciter, pugnacitérq; loquitur?

Sed quoniam & alia apud Ciceronem exempla inciſorum & membrorum (id eſt κομμάτων & κώλων) habemus, ea adiiciam, (quum ſimul de inciſis & membris latius diſſerat) alia noſtri Senecæ illis ſubiuncturus. Scribit igitur paulo ante illum quem attuli locum, *Sed quæ inciſim aut membratim efferuntur, ea vel aptiſſimè cadere debent. vt eſt*

apud

apud me, Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Atque admonet, hæc quatuor, inciſim (vel inciſè, vt in aliis exempl.) dicta eſſe: at membratim, duo quæ ſequuntur, *Incurriſti amens in columnas: in alienos inſanus inſaniſti.* Quibus adiicit, omnem deinde tanquam crepidine quadã comprehenſionem longiorem ſuſtineri, *Depreſſam, cæcam, iacentem domum pluris quàm te & quàm fortunas tuas æſtimaſti.* Scripſerat autem aliquanto antè, nõ modò non frequenter, verumetiam rarò in veris cauſis aut forenſibus circumſcriptè numeroſéque eſſe dicendum: at inciſa & membra in veris cauſis maximam partem orationis obtinere. Conſtare enim illum ambitum & plenam comprehenſionem (intellige, plenam periodum) è quatuor ferè partibus quæ membra vocãtur. Et paucis interiectis, hæc membra nodis comparat. Scribit enim, *E quatuor igitur quaſi hexametrorũ inſtar verſuum quod ſit* (vel *quæ*, vt corrigunt quidam: ſed ego *quoddam* legendum cenſeo) *conſtat ferè plena comprehenſio*: & ſubiungit, *His in ſingulis verſibus quaſi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus.* Nec dubito quin ad hunc locum reſpexerit Fabius, quum ſcripſit, *aut ipſas periodos maioribus interuallis & velut laxioribus nodis reſolue-*

mus. Itidémque, quum paulo poſt ſcribit (nam & de hoc obiter monebo) hiſtoriam orbem quendam cõtextúmque deſiderare, metaphoram iſtam ex Cicerone ſumpſiſſe arbitror. Sed ad huius locum vt redeam, poſtquam paucis interiectis hæc Craſſi attulit, *Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos?* ſcribit, *Prima ſunt, illa duo, quæ κόμματα Græci, nos inciſa dicimus: deinde tertium, κῶλον illi, nos membrum. ſequitur non longa (ex duobus enim verſibus, id eſt membris, perfecta eſt) comprehenſio, & in ſpõdeos cadit.* Sed mihi nõ dubium eſt quin hîc iſtã comprehenſionem, id eſt iſtius comprehenſionis verba, librarij omiſerint. Neque enim credibile eſt, Ciceronem comprehenſionis appellatione intellexiſſe verba illa, *Cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos?* Quòd ſi pro comprehenſione haberi deberent, vbinam illa duo κόμματα inueniremus? Sic autem & in his eiuſdem Craſſi verbis, quæ paruo interuallo præcedunt, *Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant*, inciſa, non membra, habere nos exiſtimo: quæ tamen fortaſſe & pro membris haberi poſſunt. Atque hoc iudicandum tibi relinquo ex ſuperioribus exemplis, & iſto quod illa præcedit, cuius prima pars ſunt, *O M. Druſe, patrem appello*: ſecunda,

cunda, *tu dicere ſolebas, ſacram eſſe rempubl.* tertia, & poſtrema, *quicunque eam violauiſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas.* Nam illa quidem, *O M. Druſe, patrem appello,* inciſa eſſe vult: iſta autem, *tu dicere ſolebas, ſacram eſſe remp.* membra: ſed & hæc, *quicunque eam violauiſſent,* &c. pro membris habet. à quorum tamen poſteriore non video quomodo ſeparari vox *perſolutas* poſſit.

Tempus tandem eſt vt ex noſtro etiam Seneca inciſorum & membrorum exempla (vt promiſi me facturum) proponam. Legimus cap. XXIIII, libri VII (qui & vltimus eſt) De beneficiis, *Socrates amicis audientibus, Emiſſem,* inquit, *pallium, ſi nummos haberem. Neminem popoſcit, omnes admonuit. à quo acciperet, ambitus fuit.* Vbi verba iſta, *neminem popoſcit, omnes admonuit,* pro duobus inciſis: at hæc, *à quo acciperet, ambitus fuit,* pro membro vno habenda puto. Initio aũt cap. proximè ſequẽtis, habes *Ariſtippus aliquando delectatus vnguento, Malè, inquit, iſtis eueniat, qui rem tam bellam infamauerint:* quæ periodus eſt tricolos, id eſt trimẽbris.

In fine libri ſecundi operis eiuſdem, legimus, *Vis reddere beneficium? benignè accipe: retuliſti gratiam, non vt ſoluiſſe te putes, ſed vt ſecurior debeas.* Hîc tria primùm membra eſſe videntur. Primum, *Vis reddere be-*

neficium? ſecundum, *benignè accipe:* tertium, *retuliſti gratiam.* Deinde inciſa duo, quæ comprehenſionem abſoluunt: prius, *non vt ſoluiſſe te putes:* poſterius, *ſed vt ſecurior debeas.*

Tertius eiuſdem operis De beneficiis liber initium iſtud habet, *Non referre beneficijs gratiam, & eſt turpe, & apud omnes habetur, Ebuti Liberalis.* Vbi fortaſſe tria membra, potius quàm inciſa, conſtituenda ſunt. Sequuntur autem hæc, *Ideò de ingratis etiam ingrati querũtur: quum interim hoc omnibus hæreat quod omnibus diſplicet.* Vbi pro membro videntur habẽda iſta, *Ideo de ingr. etiam ingr. queruntur:* at quæ ſequuntur, vel pro vno membro, vel pro duobus inciſis. Et libri eiuſdem cap. XXXVIII, legimus, *Parentibus meis parui: ceſſi imperio eorum, ſiue æquum, ſiue iniquum fuit: obſequentem ſubmiſſumq́; me præbui. ad hoc vnum contumax fui, ne beneficijs vincerer.* Vbi tria prima verba membrum efficere videntur: octo ſequentia, aliud membrum vel duo inciſa. itidémque hæc poſtrema, *ad hoc vnum contumax fui, ne beneficijs vincerer,* vel pro vno membro, vel pro duobus inciſis haberi debere.

Verùm vt ab exemplis quæ cum multis habet communia, ad illa veniam quę, ſi non illi peculiaria, ſaltem multo quàm alij cui-
quam

quam ſunt frequentiora: legimus, epiſtola XLIIII, *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc ſumus nobiles. Nec reÿcit quempiam philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Quid eſt quare deſperes his te poſſe fieri parem?* Multa hîc membra vides, (initio inde ſumpto, *Patricius Socrates non fuit*) quę ſuſpenſam orationem tenent vſque ad illud, *Quid eſt quare deſp.*&c. Sed redditio quæ hoc loco manifeſta eſt, non eſt itidem in pleriſque alijs.

Sic libelli De vita beata capite XXV, *Fac me victorem vniuerſarum gentium. Delicatus ille Liberi currus triumphantē vſque ad Thebas à ſolis ortu vehat. Iura reges Perſarum petant. Me hominem maximè cogitabo, quum deus vndique conſalutabor.* Nam ad hoc vltimum membrum cætera reſpiciunt: quum tamen ſeparata eſſe videantur, præſertim ſi talis interpunctionis & maiuſculę etiam literæ quæ initio huius membri, ſicut aliorũ, eſt poſita, ratio habeatur. At poterant hæc ita efferri, (Etiamſi me facias victorem vniuerſarum gentium, & delicatus ille Liberi currus triumphantem vſque ad Thebas à ſolis ortu vehat, & iura reges Perſarum petant: me tamen hominem eſſe maximè cogitabo,

gitabo, quum Deus vndique conſalutabor.

Suſpenſam orationem nõ animaduertimus in nonnullis etiam locis qui antitheſin habent. vt Conſolationis ad Heluiam capite XIIII, *Viderint illæ matres quæ potentiã liberorum muliebri impotentia exercent: quæ, quia fœminis honores non licet gerere, per illos ambitioſæ ſunt: quæ patr.* &c. Eſt enim hoc in loco antitheſis, ſed quæ nõ facilè ab eo qui Senecæ lectioni aſſuetus nõ eſt, animaduertatur. Perinde acſi dixiſſet, Viderint illæ matres, quę ita & ita ſe gerunt: tu contrario illis modo omnibus in rebus te geſſiſti: & ad exempla deinde veniſſet. Sic autem & aliis pleriſq; locis antitheſes latentes ſunt, quum particulæ quæ earum ſunt indices, omittantur. Cuius rei aliud exemplum in hac ipſa Conſolatione habes, capite XVII, *Solent mœrentes ea quæ maximè diligunt fugere, & libertatẽ dolori ſuo quærere. Tu ad illam te & quidquid cogitaueris confer.* quum dicendum fuiſſet, *Solent mœrentes ea quæ max. dil. fugere, & lib. dolori ſuo quærere: tu contrà ad illam te & quidq.* &c. vel, *tu verò contrà ad ill.* vel, *at tu ad ill.*

Sed quum talium antitheſeωn multa ſim exempla propoſiturus vbi de omiſſione vocularum quæ aduerſatiuæ vocantur, verba faciam, eò te remittam: & quum, membra-

tim

tim loqui, narrationibus etiam conuenire, ex Cicerone pariter & Fabio diſcamus, pulchra talium quoque narrationum exempla ex Seneca proferam. Videbis enim quomodo in illis quoque ſit comprehenſio & ambitus verborum contractus & breuis, & in membra quædam, quæ κῶλα Græci vocant, diuiſus: vt iis vtar verbis quibus Cicero, de quadam L. Craſſi oratione loquens, vtitur. Huiuſmodi igitur eſt hæc narratio, libri III, De benef. cap. XXVI, *Sub Tiberio Cæſare fuit accuſandi frequens & penè publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum ſermo, ſimplicitas iocantium. Nihil erat tutum. Omnis ſæuiendi placebat occaſio. Nec iam reorum expectabatur euentus, quum eſſet vnus. Cœnabat Paulus prat.* &c. Alioqui ſi altera orationis forma vti voluiſſet, dicendum erat, Quũ ſub Tib. Cæſare eſſet accuſ. freq. (&c.) & exciperetur ebriorum ſermo, ſimplicitas iocantium: nihílque eſſet tutum, quòd omnis ſæuiendi placeret occaſio: nec iam reorum expectaretur euentus, quum eſſet vnus: cœnabat Paulus prætorius in conuiuio quodam. Sed membra illa malè in omnibus editionibus à ſe ita ſeparantur vt ſi pendentem orationem non relinquerent: quum alioqui deberent ita ſcribi, *Excipie-*

rium in primis amicis habebat,ſer.(&c.) *Huic in conuiuio, item in concione obiecit.* Alia tamen orationis forma, non minus vſitata, dicere poterat, Quum Aſiaticum Valerium in primis amicis haberet. Sic, Quum duceretur Ath. ad ſuppl. Ariſtides. Item, Quum minaretur Theodoro philoſopho tyrannus mortem. Eodem modo, *Timagenes, hiſtoriarum ſcriptor, quædam in ipſum dixerat.* vbi dici poterat, Quum Timag. hiſt. ſcr. quædam in ipſum dixiſſet.

Præterquam autem quòd membratim inciſimque loquitur, id eſt, per cola & commata (ſi Græca hæc vocabula magis placent) alia etiam quædam habet in ſua orationis ſtructura, quæ lectorem obſeruare operæpretium eſt. Præcipuum eſt autem iſtud, de quo eum monebo. Meminerit igitur, eſſe frequentem Senecæ & iſtam orationis ſtructurã, cui adhibetur certus quidã imperatiui vſus, qui magis poeticus quàm oratorius eſt. Cuiuſmodi eſt iſte epiſtolæ LXXVII, *Sed ſepara iſta, nihil erit quod tibi faciat errorem.* Pro eo quod eſt, Sed ſi ſepares iſta, nihil erit quod t.f. errorem. Et De benef. libro quarto, *Fac nos ſingulos, quid ſumus?* Id eſt, Si facias vt ſinguli ſimus. Eodem modo epiſt. XXXVI, *Obſerua orbem rerum in ſe remeantiũm: videbis in hoc mundo nihil extingui.*

extingui. Itidémque epiſt. xxix, Sed *non eſt illa hilaritas longa: obſerua, videbis eoſdem intra exig.*&c. Vtrobique pro, Si obſerues. vel, ſi obſeruaueris. Malè igitur in edit. Romana & poſt *longa* & poſt *obſerua* ponitur ſtigme teleia. Sic alibi dicit *Intuere*, pro eo quod eſt, Si intuearis. Eodem modo dictum eſt *Pone*, in libello De vita beata, *Pone in opulentiſſima me domo, pone vbi aurum argentúmque in promiſcuo vſu ſit: non ſuſpiciam me ob iſta*,&c. ſed cum in alijs edit. tum verò in Romana quæ nuper prodijt, ſcriptũ eſt, *Pone vbi aurum argentúmque in promiſcuo vſu ſit. Non ſuſpiciam me*,&c. quaſi hæc, *non ſuſpiciam me*, ex illis non penderent, ſed alius ſermonis initium eſſent: quum extra controuerſiam ſit, illud *pone*, idem valere quod *Si ponas.* Conſtat autem hunc imperatiui vſum eſſe poeticum: atque adeo in memoriam mihi venit Horatij quidam locus, in quo hoc ipſo verbo ita poſito ſuſpenſam orationem relinquit,

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ, malúſq;
Iuppiter vrget:
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:

& ſubiungit,

AD SENECÆ LECTIONEM PROODOPOEIÆ,

Liber Secundus.

CAPVT I.

De ſtructura orationis Senecæ.

SENECA talem adhibet orationi ſuæ ſtructuram, vt non animaduerſa obſcuritatem locis qui alioqui clari ſunt afferre poſſit. Primùm enim membratim cæſimq; plerunque loquitur: deinde particulas, quæ orationis vincula ſunt (ideóque cõiunctiones voca tur) omittit: poſtremò, quum ſæpe rem eandem diuerſis modis efferat, interdum ad præcedentia pertinent quæ tamen alius ſermonis eſſe principiũ videri queant: ſicut viciſſim ex præcedentibus pendere nonnunquam credimus quæ ſunt ad alium ſermonem tranſeuntis.

De tribus his ſingulatim tractaturus, & multa ſingulorum exempla propoſiturus, ab illo

ab illo primo initium, vt par eſt, ſumam: ſi prius de illa orationis Senecæ forma pauca diſſeruero. Quum igitur oratio omnis periodis, periodus omnis (in cuius Græci vocabuli interpretatione Ciceronem liberaliorem quàm in alîus cuiuſquam fuiſſe exiſtimo, quum Ambitum, Circuitum, Comprehenſionem, Continuationem, Circumſcriptionem interpretetur) membris conſtet, & ita quidem vt habere debeat membra minimùm duo, medius autem numerus ſit quatuor: qui breuibus eóque magis denſis periodis vtuntur, quoniam apud eos interdum ſingula membra totidem periodorum ſpeciem præ ſe ferunt, hinc factum eſſe puto vt Membratim loqui dicantur. Nam Fabius non aliter hoc verbo vti videtur, libri noni cap. vltimo, quũ ſcribit, *Vbicunque acriter erit & inſtanter pugnacitérque dicendum, membratim cæſimq́; dicemus. Nam hoc in oratione plurimũ valet.* Et pauciſſimis verbis interiectis, *Membratim plerunq; narrabimus, aut ipſas periodos maioribus interuallis & velut laxioribus nodis reſoluemus.* Obſerua autem, illi *membratim* adiungi & *cæſim*: pro quo libenter *inciſim* ſcripſerim: etiamſi apud Ciceronem quoque vtrunq; legamus, in locis qui ſibi vicini ſunt. nam apud eum pariter ſcribendum vtrobique *in-*

ciſim crediderim. Eius verba ſunt, circa finem Oratoris, *Inciſim autem & membratim tractata oratio in veris cauſis plurimum valet: maximéque his locis quum aut arguas, aut refellas. vt noſtra in Corneliana ſecunda, O callidos homines: ô rem excogitatam: ô ingenia metuenda. Membratim adhuc, deinde cæſim. Rurſus membratim, Diximus: teſtes dare volumus. Extrema ſequitur comprehenſio: ſed ex duobus membris: qua non poteſt eſſe breuior, Quem, quæſo, noſtrûm fefellit, ita vos eſſe facturos?* Vbi alia etiã oriri dubitatio poteſt, quòd poſteriora verba, quæ Cicero in exemplum affert, à Fabio proponantur de inciſis loquente, tanquam eorum exemplum ſint. Poſtquã enim ſcripſit, *Inciſum (quantũ mea fert opinio) erit ſenſus non expleto numero concluſus: pleriſque pars membri. Tale eſt enim quo Cicero vtitur* (hunc autem locum & ipſe Cicero in exemplũ affert, vt aliquanto pòſt videbis) *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas.* His inquam ſubiungit, *Fiunt autem etiam ſingulis verbis inciſa. vt, Diximus: teſtes dare volumus. Inciſum eſt, Diximus.* Atque vt Inciſum eſſe dixit ſenſum nõn expleto numero cõcluſum, ita, in iis quæ proximè addit, Membrum eſſe ait ſenſum numeris concluſum, ſed à toto corpore abruptũ, & per ſe nihil efficientem.

tem. Id enim (inquit) *O callidos homines*, perfectum eſt: at remotum à cæteris, vim non habet: vt per ſe manus, & pes, & caput. Et, *O rem excogitatam: ô ingenia metuenda.* Quibus hæc ſubiunguntur, Quando ergo incipit corpus eſſe? quum venit extrema concluſio, *Quem, quæſo, noſtrûm fefellit, id vos ita eſſe facturos?* Vt autem ad illum Ciceronis reuertar locum, quod ille membratim dictum ſcribit, ex Fabio dicere poſſumus inciſim dictum eſſe: vt ex eius quæ attuli verbis manifeſtum eſt. Sed quum nihil minus quàm à Cicerone diſſentire illum velle exiſtimem, (præſertim quum & alia ibi tradat, in quibus ſe illum ſequi non diſſimulat) potius mihi perſuaſerim, apud Ciceronem, verba iſta, *Rurſus membratim*, non præfixa his verbis, *Diximus: teſtes dare volumus:* ſed poſtpoſita fuiſſe: & eorum exemplum deſiderari. vt Cicero, poſtquam illa attulit, *O callidos homines: ô rẽ excog.* &c. addat, *Membratim adhuc: deinde inciſim* (vel *cæſim*) *Diximus: teſtes dare volumus. Rurſus membratim:* ſed exemplum horum poſteriorum membrorum ſit (vti dixi) omiſſum.

Interim animaduertendum eſt, nullis verbis melius formam orationis Senecæ poſſe repræſentari, quàm ſi membratim & inciſim eum loqui dicamus: aut membra-

tim cæſimque dicere, vt apud Fabium (ſi hoc *cæſim* pro *inciſim*, apud illum, ſicut & apud Ciceronem, ſuſpectũ eſſe non debet) legimus. Poſſumus alioqui, quum idem ſcribat, Periodi genera eſſe duo : alterum, ſimplex, quum ſenſus vnus longiore ambitu circũducitur: alterum, quod conſtat membris & inciſis quæ plures ſenſus habent: dicere periodos Senecæ huius poſterioris generis exemplum eſſe. Quinetiam obſeruandum eſt quod ab illo traditur, hoc orationis genus ijs qui acriter & inſtanter pugnacitérque dicere volunt, conuenire. Si enim ita ſe res habet (vt certè habet, quum Cicero itidem ſcribat, inciſim & membratim tractatã orationẽ in veris cauſis plurimum valere, maximéque vbi quis arguit, aut refellit) cuius magis quàm Senecæ orationi conuenire dici poteſt? quis illo acrior? quis magis inſtanter, pertinaciter, pugnacitérq; loquitur?

Sed quoniam & alia apud Ciceronem exempla inciſorum & membrorum (id eſt κομμάτων & κώλων) habemus, ea adiiciam, (quum ſimul de inciſis & membris latius diſſerat) alia noſtri Senecæ illis ſubiuncturus. Scribit igitur paulo ante illum quem attuli locum, *Sed quæ inciſim aut membratim efferuntur, ea vel aptiſſimè cadere debent. vt eſt*

apud

apud me, Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Atque admonet, hæc quatuor, inciſim (vel inciſè, vt in aliis exempl.) dicta eſſe: at membratim, duo quæ ſequuntur, *Incurriſti amens in columnas: in alienos inſanus inſaniſti.* Quibus adiicit, omnem deinde tanquam crepidine quadã comprehenſionem longiorem ſuſtineri, *Depreſſam, cæcam, iacentem domum pluris quàm te & quàm fortunas tuas æſtimaſti.* Scripſerat autem aliquanto antè, nõ modò non frequenter, verumetiam rarò in veris cauſis aut forenſibus circumſcriptè numeroſéque eſſe dicendum: at inciſa & membra in veris cauſis maximam partem orationis obtinere. Conſtare enim illum ambitum & plenam comprehenſionem (intellige, plenam periodum) è quatuor ferè partibus quæ membra vocãtur. Et paucis interiectis, hæc membra nodis comparat. Scribit enim, *E quatuor igitur quaſi hexametrorũ inſtar verſuum quod ſit* (vel *quæ*, vt corrigunt quidam: ſed ego *quoddam* legendum cenſeo) *conſtat ferè plena comprehenſio*: & ſubiungit, *His in ſingulis verſibus quaſi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus.* Nec dubito quin ad hunc locum reſpexerit Fabius, quum ſcripſit, *aut ipſas periodos maioribus interuallis & velut laxioribus nodis reſolue-*

mus. Itidémque, quum paulo poſt ſcribit (nam & de hoc obiter monebo) hiſtoriam orbem quendam cõtextúmque deſiderare, metaphoram iſtam ex Cicerone ſumpſiſſe arbitror. Sed ad huius locum vt redeam, poſtquam paucis interiectis hæc Craſſi attulit, *Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos?* ſcribit, *Prima ſunt, illa duo, quæ* κόμματα *Græci, nos inciſa dicimus: deinde tertium*, κῶλον *illi, nos membrum. ſequitur non longa (ex duobus enim verſibus, id eſt membris, perfecta eſt) comprehenſio, & in ſpõdeos cadit.* Sed mihi nõ dubium eſt quin hîc iſtã comprehenſionem, id eſt iſtius comprehenſionis verba, librarij omiſerint. Neque enim credibile eſt, Ciceronem comprehenſionis appellatione intellexiſſe verba illa, *Cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos?* Quòd ſi pro comprehenſione haberi deberent, vbinam illa duo κόμματα inueniremus? Sic autem & in his eiuſdem Craſſi verbis, quæ paruo interuallo præcedunt, *Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant*, inciſa, non membra, habere nos exiſtimo: quæ tamen fortaſſe & pro membris haberi poſſunt. Atque hoc iudicandum tibi relinquo ex ſuperioribus exemplis, & iſto quod illa præcedit, cuius prima pars ſunt, *O M. Druſe, patrem appello*: ſecunda,

cunda, *tu dicere ſolebas, ſacram eſſe rempubl.* tertia, & poſtrema, *quicunque eam violauiſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas.* Nam illa quidem, *O M. Druſe, patrem appello,* inciſa eſſe vult: iſta autem, *tu dicere ſolebas, ſacram eſſe remp.* membra: ſed & hæc, *quicunque eam violauiſſent,* &c. pro membris habet. à quorum tamen poſteriore non video quomodo ſeparari vox *perſolutas* poſſit.

Tempus tandem eſt vt ex noſtro etiam Seneca inciſorum & membrorum exempla (vt promiſi me facturum) proponam. Legimus cap. XXIIII, libri VII (qui & vltimus eſt) De beneficiis, *Socrates amicis audientibus, Emiſſem,* inquit, *pallium, ſi nummos haberem. Neminem popoſcit, omnes admonuit. à quo acciperet, ambitus fuit.* Vbi verba iſta, *neminem popoſcit, omnes admonuit,* pro duobus inciſis: at hæc, *à quo acciperet, ambitus fuit,* pro membro vno habenda puto. Initio aũt cap. proximè ſequẽtis, habes *Ariſtippus aliquando delectatus vnguento, Malè, inquit, iſtis eueniat, qui rem tam bellam infamauerint:* quæ periodus eſt tricolos, id eſt trimẽbris.

In fine libri ſecundi operis eiuſdem, legimus, *Vis reddere beneficium? benignè accipe: retuliſti gratiam, non vt ſoluiſſe te putes, ſed vt ſecurior debeas.* Hîc tria primùm membra eſſe videntur. Primum, *Vis reddere be-*

neficium? ſecundum, *benignè accipe:* tertium, *retuliſti gratiam.* Deinde inciſa duo, quæ comprehenſionem abſoluunt: prius, *non vt ſoluiſſe te putes:* poſterius, *ſed vt ſecurior debeas.*

Tertius eiuſdem operis De beneficiis liber initium iſtud habet, *Non referre beneficijs gratiam, & eſt turpe, & apud omnes habetur, Ebuti Liberalis.* Vbi fortaſſe tria membra, potius quàm inciſa, conſtituenda ſunt. Sequuntur autem hæc, *Ideò de ingratis etiam ingrati queruntur: quum interim hoc omnibus hæreat quod omnibus diſplicet.* Vbi pro membro videntur habēda iſta, *Ideo de ingr. etiam ingr. querantur:* at quæ ſequuntur, vel pro vno membro, vel pro duobus inciſis. Et libri eiuſdem cap. XXXVIII, legimus, *Parentibus meis parui: ceſſi imperio eorum, ſiue æquum, ſiue iniquum fuit: obſequentem ſubmiſſumq; me præbui. ad hoc vnum contumax fui, ne beneficijs vincerer.* Vbi tria prima verba membrum efficere videntur: octo ſequentia, aliud membrum vel duo inciſa. itidémque hæc poſtrema, *ad hoc vnum contumax fui, ne beneficijs vincerer,* vel pro vno membro, vel pro duobus inciſis haberi debere.

Verùm vt ab exemplis quæ cum multis habet communia, ad illa veniam quę, ſi non illi peculiaria, ſaltem multo quàm alij cui-

quam

quam ſunt frequentiora: legimus, epiſtola XLIIII, *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc ſumus nobiles. Nec reÿcit quempiam philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Quid eſt quare deſperes his te poſſe fieri parem?* Multa hîc membra vides, (initio inde ſumpto, *Patricius Socrates non fuit*) quę ſuſpenſam orationem tenent vſque ad illud, *Quid eſt quare deſp.* &c. Sed redditio quæ hoc loco manifeſta eſt, non eſt itidem in pleriſque alijs.

Sic libelli De vita beata capite XXV, *Fac me victorem vniuerſarum gentium. Delicatus ille Liberi currus triumphantẽ vſque ad Thebas à ſolis ortu vehat. Iura reges Perſarum petant. Me hominem maximè cogitabo, quum deus vndique conſalutabor.* Nam ad hoc vltimum membrum cætera reſpiciunt: quum tamen ſeparata eſſe videantur, præſertim ſi talis interpunctionis & maiuſculę etiam literæ quæ initio huius membri, ſicut aliorũ, eſt poſita, ratio habeatur. At poterant hæc ita efferri, (Etiamſi me facias victorem vniuerſarum gentium, & delicatus ille Liberi currus triumphantem vſque ad Thebas à ſolis ortu vehat, & iura reges Perſarum petant: me tamen hominem eſſe maximè cogitabo,

gitabo,

gitabo, quum Deus vndique conſalutabor.

Suſpenſam orationem nō animaduertimus in nonnullis etiam locis qui antitheſin habent. vt Conſolationis ad Heluiam capite XIIII, *Viderint illæ matres quæ potentiā liberorum muliebri impotentia exercent: quæ, quia fœminis honores non licet gerere, per illos ambitioſæ ſunt: quæ patr.*&c. Eſt enim hoc in loco antitheſis, ſed quæ nō facilè ab eo qui Senecæ lectioni aſſuetus nō eſt, animaduertatur. Perinde acſi dixiſſet, Viderint illæ matres, quę ita & ita ſe gerunt: tu contrario illis modo omnibus in rebus te geſſiſti: & ad exempla deinde veniſſet. Sic autem & aliis pleriſq; locis antitheſes latentes ſunt, quum particulæ quæ earum ſunt indices, omittantur. Cuius rei aliud exemplum in hac ipſa Conſolatione habes, capite XVII, *Solent mœrentes ea quæ maximè diligunt fugere, & libertatē dolori ſuo quærere. Tu ad illam te & quidquid cogitaueris confer.* quum dicendum fuiſſet, *Solent mœrentes ea quæ max. dil. fugere, & lib. dolori ſuo quærere: tu contrà ad illam te & quidq.*&c. vel, *tu verò contrà ad ill.* vel, *at tu ad ill.*

Sed quum talium antitheſεων multa ſim exempla propoſiturus vbi de omiſſione vocularum quæ aduerſatiuæ vocantur, verba faciam, eò te remittam: & quum, membratim

tim loqui, narrationibús etiam conuenire, ex Cicerone pariter & Fabio diſcamus, pulchra talium quoque narrationum exempla ex Seneca proferam. Videbis enim quomodo in illis quoque ſit comprehenſio & ambitus verborum contractus & breuis, & in membra quædam, quæ κῶλα Græci vocant, diuiſus: vt iis vtar verbis quibus Cicero, de quadam L. Craſſi oratione loquens, vtitur. Huiuſmodi igitur eſt hæc narratio, libri III, De benef. cap. XXVI, *Sub Tiberio Cæſare fuit accuſandi frequens & penè publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum ſermo, ſimplicitas iocantium. Nihil erat tutum. Omnis ſæuiendi placebat occaſio. Nec iam reorum expectabatur euentus, quum eſſet vnus. Cœnabat Paulus præt.* &c. Alioqui ſi altera orationis forma vti voluiſſet, dicendum erat, Quũ ſub Tib. Cæſare eſſet accuſ. freq. (&c.) & exciperetur ebriorum ſermo, ſimplicitas iocantium: nihílque eſſet tutum, quòd omnis ſæuiendi placeret occaſio: nec iam reorum expectaretur euentus, quum eſſet vnus: cœnabat Paulus prætorius in conuiuio quodam. Sed membra illa malè in omnibus editionibus à ſe ita ſeparantur vt ſi pendentem orationem non relinquerent: quum alioqui deberent ita ſcribi, *Excipie-*

batur ebr.ſermo,ſimplicitas iocantium: nihil erat tutum: omnis ſæuiendi plac.&c.

Venio ad aliam narrationem, vel potius narratiũculam, quæ itidem membratim (vt Cicero loquitur)eſt ſcripta:& quidem paulo ante præcedentem, cap. videlicet xxIIII, *Corſinium Cæſar obſidebat: tenebatur incluſus Domitius: imperauit medico, eidémque ſeruo ſuo,vt ſibi venenum daret.Quum tergiuerſantem videret, Quid cunctaris,*(inquit)*tanquam in tua poteſtate totum iſtud ſit? mortem rogo armatus.* Verùm hîc typographicas editiones non itidem ſum imitatus, quæ & hæc membra eo quo dixi modo ſeparant,*Corſinium Cæſar obſidebat. Tenebatur incluſus Domitius.Imperauit med.*&c.Cæterùm alius ita hęc vincta,non autem ſoluta,nobis propoſuiſſet, Quum Cæſare Corfinium obſidente, teneretur incluſus Domitius, imperauit med.&c.

De Augûſto, *Delatum eſt ad eum indicium,L.Cinnam,ſtolidi ingenij virum,inſidias ei ſtruere. Dictum eſt & vbi, & quando & quemadmodum aggredi vellet. Vnus ex conſcijs deferebat. Conſtituit ſe ab eo vindicare. Conſilium amicorum aduocari iuſſit. Nox illi inquieta erat, quũ cogitaret.* &c. Quum poſſet hac orationis forma vti, quæ orationem non itidem interruptam habet,*Delatum eſt ad eum*

ad eum indicium ab vno ex conſcijs, L. Cinnam,ſtol.ing.&c. *Quum autem dictum eſſet & vbi & quando & quemad. aggredi vellet*, & *ſe ab eo vindicare conſtituiſſet, conſilium* (aut *concilium) amicorum aduocari iuſſit.* Leguntur autem hæc libri prioris De clem.capite nono.

Obſeruatu digna eſt illa quoque διήγησις de Caluiſio Sabino, quæ incluſa eſt epiſtola XXVII, *Caluiſius Sabinus memoria noſtra fuit diues, & patrimonium habebat liberum & ingenuum. Nunquam vidi hominem beatum indecentius. Huic memoria tam mala erat, vt illi modò nomen Vlyſſ.*&c. Paucis interiectis, *Nihilominus eruditus volebat videri. Hanc itaque compendiariam excogitauit: magna ſumma emit ſeruos: vnum, qui Homerum teneret: alterum, qui Heſiodum. Nouem præterea Lyricis ſingulos aſſignauit. Magno emiſſe illum non eſt quod mireris: non inuenerat, faciendos locauit.*

Solet porro in narrationibus imperfecto tempore vti, vt, *Ducebatur Athenis ad ſupplicium Ariſtides.* Item, *Minabatur Theodoro philoſopho tyrannus mortem, & quidem inſepultam, Habes*, inquit, *cur tibi placeas.* Vbi alius dixiſſet, At ille, Habes, inquit, cur tibi placeas. Legimus itidem in alius narrationis principio, *Aſiaticum Vale-*

rium in primis amicis habebat,ſer.(&c.) *Huic in conuiuio, item in concione obiecit.* Alia tamen orationis forma, non minus vſitata, dicere poterat, Quum Aſiaticum Valerium in primis amicis haberet. Sic, Quum duceretur Ath. ad ſuppl. Ariſtides. Item, Quum minaretur Theodoro philoſopho tyrannus mortem. Eodem modo, *Timagenes, hiſtoriarum ſcriptor, quædam in ipſum dixerat.* vbi dici poterat, Quum Timag. hiſt. ſcr. quædam in ipſum dixiſſet.

Præterquam autem quòd membratim inciſímque loquitur, id eſt, per cola & commata (ſi Græca hæc vocabula magis placent) alia etiam quædam habet in ſua orationis ſtructura, quæ lectorem obſeruare operæpretium eſt. Præcipuum eſt autem iſtud, de quo eum monebo. Meminerit igitur, eſſe frequentem Senecæ & iſtam orationis ſtructurã, cui adhibetur certus quidã imperatiui vſus, qui magis poeticus quàm oratorius eſt. Cuiuſmodi eſt iſte epiſtolæ LXXVII, *Sed ſepara iſta, nihil erit quod tibi faciat errorem.* Pro eo quod eſt, Sed ſi ſepares iſta, nihil erit quod t.f. errorem. Et De benef. libro quarto, *Fac nos ſingulos, quid ſumus?* Id eſt, Si facias vt ſinguli ſimus. Eodem modo epiſt. XXXVI, *Obſerua orbem rerum in ſe remeantium: videbis in hoc mundo nihil extingui.*

extingui. Itidémque epiſt. xxix, Sed *non eſt illa hilaritas longa: obſerua, videbis eoſdem intra exig.*&c. Vtrobique pro, Si obſerues. vel, ſi obſeruaueris. Malè igitur in edit. Romana & poſt *longa* & poſt *obſerua* ponitur ſtigme teleia. Sic alibi dicit *Intuere,* pro eo quod eſt, Si intuearis. Eodem modo dictum eſt *Pone,* in libello De vita beata, *Pone in opulentiſſima me domo, pone vbi aurum argentúmque in promiſcuo vſu ſit: non ſuſpiciam me ob iſta,*&c. ſed cum in alijs edit. tum verò in Romana quæ nuper prodijt, ſcriptũ eſt, *Pone vbi aurum argentúmque in promiſcuo vſu ſit. Non ſuſpiciam me,*&c. quaſi hæc, *non ſuſpiciam me,* ex illis non penderent, ſed aliûs ſermonis initium eſſent: quum extra controuerſiam ſit, illud *pone,* idem valere quod *Si ponas.* Conſtat autem hunc imperatiui vſum eſſe poeticum: atque adeo in memoriam mihi venit Horatij quidam locus, in quo hoc ipſo verbo ita poſito ſuſpenſam orationem relinquit,

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ, maluſq;
Iuppiter vrget:
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:

& ſubiungit,

Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Id eſt, Si ponas me in locis illis (pro eo quod eſt, Siquis me ponat) ego nihilominus amabo Lalagen.

Quemadmodum autem in illo libri De vita beata loco peccatum eſſe dixi in interpunctione, ita vt lector pendere orationem non ſit animaduerſurus: ita aliis plerisque idem accidiſſe, tu ipſe (à me nunc admonitus) comperies: & nominatim ex illis vbi oratio à verbo *Aſpice* aut *Circũſpice* incipit: vt in fine epiſt. XLII, *Circumſpice iſta, quæ nos agunt in inſaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus. Scies non damnum in his moleſtum eſſe, ſed opinionem damni.* Nam & in Romana illa editione, in fine paginæ 94, ita hæc ſeparantur: perinde videlicet acſi duas ſententias afficerent: quum tamen eodem modo quo in præcedentibus exemplis, perinde ſit acſi dictum eſſet, Si circumſpicias iſta, quæ nos ag. in inſaniam, ſcies nõ damn. Vel, Si circũſpexeris: vt ipſe in epiſtola centeſima dicit, *Si circumſpexeris omnia, nullas videbis anguſtias inanes.* Nolo tamen diſſimulare, non eſſe alicubi ita reſoluendum hunc imperandi modum (etiamſi primo aſpectu faciendum hoc videri poſſit) ſed cauſalem particulam cum membro ſequenti

ſubau-

ſubaudiendam. vt in Conſol. ad Heluiam matrem, *Reſpice fratres meos, quibus ſaluis fas tibi non eſt accuſare fortunam. In vtroque habes quod te diuerſa virt.* Cur tibi ſaluis illis accuſare fortunam eſt nefas? quoniam in vtroque habes quod te diuerſa virtute delectet.

Interdum voculam copulatiuam futuro quod imperandi modum ſequitur, præfigit: veluti vbi ſcribit, *Hanc ſocietatem tolle, & vnitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, ſcindes.*

QVÆDAM interdum per parentheſin interiicit, quæ quum poſſint videri ad præcedentia pertinere, ad ſequentia tamen referuntur: vt poſtea oſtendam, vbi de iis agam locis vbi ad ſequentia pertinent quæ ad præcedentia ſpectare fronte prima videri poſſunt, & viciſſim.

Interim verò & de hoc moneo, eum verba quæ παρενθετικῶς ponit, in principio lubenter, potius quàm in medio, ponere: vt epiſt. LXXIIII, *Occurrent acti in exilium, & euoluti bonis, occurrent (quod genus egeſtatis grauiſſimũ eſt) in diuitijs inopes.* Et epiſt. XV, *Ille enim (quod eſt primum) ſcit viuere.* Quod alius in fine poſuiſſet: hoc modo, Ille enim ſcit viuere: quod eſt primũ. Sic & in hoc loco, qui minimo interuallo ſequitur, *Ille ſibi*

non viuit, ſed (quod eſt turpiſſimum) ventri, ſomno, libidini: idem feciſſet. In hoc autem, qui eſt, libelli De vita beata, capite x v, *Nã (quæ maxima ſeruitus eſt) incipit illi opus eſſe fortuna:* alius vel illa verba quæ parẽtheſεωs notis incluſa ſunt, ad finem itidẽ reſeruaſſet, vel in medio collocans, & *quæ* in *quod* mutans (vitandæ ambiguitatis cauſa) dixiſſet, Nam illi fortuna (quod maxima ſeruitus eſt) incipit opus eſſe.

GAVDET interrogatione oratio Senecæ, & præſertim interrogatiua particula *Quid*, interdum quidem per ſe poſita: ſæpe verò ſubiunctam habente voculam *ergo*, aut *igitur:* (vbi proponitur quod obiici à quopiam poſſit) interdum *porro*. Relinquitur autem ſubaudiendum poſt has particulas verbum: & quidẽ ſubaudiri alicubi plura queunt: ideóque non ſolùm ad excitandam lectori attentionem valent, ſed etiam ad breuitatem conferunt: ideóque de illis agam vbi de breuitate tractabo.

Sunt verò & alia de quibus expectat fortaſſe lector vt hîc diſſeram: ex quibus eſt mutatio formæ orationis, quum videlicet per mimeſin loquitur: ſed & de hoc & de cæteris quę ad ſermonem de ſtructura orationis Senecæ pertinere videri poſſunt, à me poſtea dicetur. Nũc ad illa ſtructuræ exempla re-

pla reuertar, quam Senecæ familiarem eſſe dixi: & quomodò oratio ita ſtructa in aliam reſolui formam poſſit, ex qua etiam apertior ſit mens Senecæ, oſtendam.

CAPVT II.

De quibuſdam Senecæ locis, vbi quod membratim & inciſim dicitur, apertius, mutata ſtructura, reddi poteſt.

Item, De nonnullis quæ ſi per parentheſin interiecta eſſe non animaduertantur, perturbare orationis ſtructuram ſeu filum videbuntur.

LOQVI membratim & inciſim Senecam, ex iis quos capite præcedenti protuli locis manifeſtum feci: in hoc autem oſtendam, ex illis qui hanc ſtructuram habent, quoſdam poſſe aliam accipere, & in aliam orationis formam reſolui, ex qua nobis apertior eius mens reddatur.

Animaduerte autem, dici à me non illos omnes, ſed quoſdam ex illis: quoniam ſunt in quibus non facilè fieri idem, aut etiam fortaſſe ne fieri quidem omnino poſſit. Sunt etiam in quibus præſtare quidem hoc poſſimus, ſed nonniſi interiectis extrinſecus quibuſdam verbis. Ex iis autem locis eſt iſte, epiſtola CII, *Alia origo nos expectat,*

alius rerum ſtatus. Nondum cœlum niſi ex interuallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. Tranſeundum eſt. Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem. Non licet plus efferre quàm intuleris. Imò etiam ex eo quod in vitam attuliſti, pars magna ponenda eſt. Crediderim enim poſſe orationi iſti aliam formam, & quidem hanc, dari, in qua vt pauciores, ita longiores ſint periodi, & Senecæ mentem paulo habeamus apertiorem: ſed ita vt nobis aliqua addere verba ad membrorũ inter ſe iuncturam permittamus: hoc modo, Alia origo nos expectat, alius rerum ſtatus: quum in eo nunc ſimus vt nondum cœlum niſi ex interuallo pati poſſimus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice, quę non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid autem circa te iacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: ex quo quum tibi tranſeundum ſit, cogita à natura excuti redeuntem, ſicut intrantem: & non licere plus efferre quàm intuleris: imò etiam ex eo quod in vitam attuliſti, partem magnam ponendam eſſe.

Sed alij plerique ſunt loci in quibus duo membra in vnum iungi poſſunt, vel potius ex duo-

ex duobus membris inter ſe vnius particulæ aut duarum vinculo iunctis, & mutato Verbi Modo, periodus vna effici queat. Sic iſta epiſtolæ CI, *Quàm ſtultum eſt ætatem diſponere: ne craſtino quidem dominamur:* ita mutare potes, Quàm ſtultũ eſt ætatem diſponere, quum ne craſtino quidem dominemur. Itidémque hæc, quę leguntur capite XIII libelli De vita beata, *Et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Iubet illam parere naturæ:* ita mutari poſſunt, Et quã nos vir. legem dic. ęam ille dicit vol. quum iubeat illã parere naturæ. Vel, quippe qui iubet. Alioqui certè, dum mẽbra hęc ita diſiuncta ſunt, ſubaudienda fuerit particula cauſalis in principio poſterioris. Idem de hoc dicendum loco fuerit, *Ne putes iſtam Stoicam eſſe duritiam. Epicurus* (omitto quæ in parentheſi ſunt) *Raro, inquit, ſapienti interuenit fortuna.* Nam huius loci oratio eandem ſumere faciem poteſt, ſi dicamus, Ne putes iſtam St. eſſe duritiam: quum Epic. inquiat, rarò ſapienti interuenire fortunam. Niſi *Ne putes* dictũ ſit pro Ne fortè putes.

Nonnunquam iſto reſolui modo oratio poteſt, etiam vbi poſterius membrum particulam aliquam ex iis habet quæ vinculi vſum præſtant, vt epiſtola LXXXIII, *Vult nos ab ebrietate deterrere Zenon, vir maxi-*

mus, huius ſectæ fortiſſimæ ac ſanctiſſimæ conditor. Audi ergo quemadmodum colligit, virum bonum non futurum ebrium. Nam hæc vna periodo ita comprehendi poterant, Quum velit nos ab ebrietate deterrere Zenon, vir max. huius ſectę f. ac ſ. conditor, audi quemadmodum colligit.

Multo tamen minus lectorem tales loci fallere poſsēt, ſi ſtigmē teleian in fine prioris membri & literam maiuſculam in principio poſteriores editiones typographicæ non haberent: ſed tantùm hypoſtigmen, & literam nihilo aliis maiorem: hoc modo, *Vult nos ab ebr. deterr. Z. vir max. huius ſ. fort. ac ſanct. conditor: audi ergo q.* Hoc enim, ſuſpenſam manere orationem, ſtatim admoneret. Idem dicēdum de hoc loco epiſt. XVII, *Perpeſſi ſunt exercitus inopiā omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdam tulerunt famem. Hæc omnia paſſi ſunt pro regno (quo magis mireris) alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum furoribus liberet?* Quum poſt *famem*, itidémq; poſt *alieno*, hypoſtigme tātùm ponenda eſſet, & poſt illam litera non maiuſcula, ſed aliis æqualis: hoc modo, *Perpeſſi ſunt exer. inop. omn. r. vixer. herb. rad. & dictu f. tul. famem: hæc omnia paſſi ſunt pro regno (q. ma. mireris) alieno: dubitabit, aliquis ferre paup.* Nā

hæc

hæc quoque oratio commodè reſoluetur ita, (lectore argumentum eſſe à minori ad maius ſtatim animaduertente) *Quum perpeſſi ſint exer.in.omn.r. & vixerint h.r. & dictu f.tulèrint famem:quúmque hæc omnia paſſi ſint pro regno (quo m.mireris) alieno: dubitabit aliq.* Idem fortaſſe dici poteſt de hoc loco qui legitur ſub finem epiſtolæ LXXIX, *Nulla virtus latet : & latuiſſe , non ipſius eſt damnum. Veniet qui conditam,& ſeculi ſui malignitate compreſſam dies publicet.* Nam ab alio quopiā ſcriptore expectare potuiſſemus,vel, *Veniet enim qui cond.*&c.vel,*quī venturus ſit dies qui conditam,& ſec.*&c. Eodémq; modo iſta quæ proximè ſequuntur, *Paucis natus eſt qui populum ætatis ſuæ cogitat : multa annorum millia , multa populorum ſuperueniēt:* ita efferri potuiſſent, *Paucis natus eſt qui pop.æt. ſuæ cogitat,quum multa annorum millia, multa populorum ſint ſuperuentura.* In iis autē quæ his ſubiunguntur deeſt particula cauſalis,ſicut in alijs pleriſque (vt alibi doceo)locis. *Ad illa reſpice.etiamſi omnibus tecum viuentibus ſilentium liuor indixerit: venient qui ſine offenſa,ſine gratia iudicent.* Neque enim dubium eſt quin hæc rationē reddant cur ad illa ſit reſpiciendum: perinde acſi dixiſſet, *Nam etiamſi omn.* vel, *Etiamſi enim omn.*

Alicubi quædam etiam particula voculæ *quum* adiici poſſet, orationis formam ita mutando vt dixi. Hoc videmus in iſto loco, lib. II, De ira, cap. XVI, vbi de animalibus loquitur, *Errat qui ea in exemplum hominis adducit quibus pro ratione eſt impetus. homini pro impetu ratio eſt.* Nam hîc aduerbium *contrà* adiici poſſet, alteram illam formam orationi dando: hoc modo, *Errat qui ea in exempl. hom. adducit quibus pro rat. eſt impetus: quum homini contrà pro impetu ratio ſit.* Verùm ne hoc quidem omittendum, particulam *enim* vel *nam* ſubaudiẽdam hîc quoque relinqui, in illa quæ Senecæ magis placuit orationis forma. Perinde eſt enim acſi dixiſſet, *homini enim pro imp. ratio eſt.*

Cæterùm vt quibuſdam locis aptè adhiberetur illa particula *quũ*, cõtinuando orationem tanquam ſub vno membro, quæ in duo diuiſa erat: ita etiam nonnullis alia adhiberi poteſt. Exempli gratia, ſic orditur libri ſecũdi De beneficiis caput vigeſimumquartum, *Alij peſſimè loquuntur de optimè meritis. Tutius eſt quoſdam offendere quàm demeruiſſe.* Nam hæc poſteriora, *Tutius eſt quoſdam off. quàm dem.* ita ad præcedentia pertinent, vt perinde ſit acſi dixiſſet, *Alij peſſ. loq. de optimè meritis: adeo vt tutius ſit quoſdam offendere quàm demeruiſſe.* Obiter

autem

autem admonebo, mihi magis placiturum *offendiſſe*, vt conueniat cum *demeruiſſe*.

Sic etiam in fine epiſt. LXXIX, hæc oratio, *Tenue eſt mendacium: perlucet, ſi diligenter inſpexeris*, poteſt, vt opinor, ita reſolui, Adeo tenue eſt mendacium vt perluceat, ſi diligenter inſpexeris. Sed eadem opera lectorem hîc alia de re monebo, quæ & in quibuſdam alijs Senecæ locis obſeruanda eſt: eum in antitheſi nonnunquam vbi vnum alteri oppoſuit, ad illud de quo prius dixit reuerti. Exemplum enim hic epiſtolæ LXXIX finis nobis ſuppeditat, *Nihil ſimulatio proficit: paucis imponit leuiter extrinſecus inducta facies: veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi. Tenue eſt mendacium: perlucet, ſi diligenter inſpexeris.* Nam ita reſoluendo orationem huius loci, vt aliorum quorundam à me reſoluta eſt, & quæ de horum oppoſitorum altero ſcribuntur, non ſeparando, dicere ita poſſis, Quum ſimulatio nihil proficiat, & paucis imponat leuiter extrinſecus inducta facies: & quum ea quæ decipiunt, nihil habeant ſolidi: quum adeo tenue ſit mendacium vt perluceat, ſi diligenter inſpexeris: cõtrà veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt.

Aliam autem particulam locus hic, ad

huiuſmodi continuationem, poſcit, *Hæc ſunt quæ autoritatem præceptis veſtris detrahant. Magna promittitis, & quæ ne optari quidem, ne dum credi poſſint. Deinde ingentia loquenti, quum paup.* Fortaſſe autem vocula *quòd* hîc conueniret, *Hæc ſunt quæ autoritatem præceptis veſtris detrahant, quòd magna promittitis*, &c.

Is verò quem afferam locus alia vocula opus habet. Legitur autem in extrema ferè epiſtola LXXXVIII, *Putemus nos ad concionem vocatos. Lex de abolendis diuitijs fertur. his interrogationibus ſuaſuri aut diſſuaſuri ſumus?* Scribo autem hæc vt in typogr. editionibus habētur: quū alioqui malè ſtigme teleia poſt *vocatos* ponatur, & litera maiuſcula malè initio ſequentis voculæ detur: malè item poſt *fertur* idem interpunctionis genus collocetur: debeántq; contrà hæc ita legi, *Putemus nos ad concionem vocatos: lex de abol. diuit. fertur: his interrog.* Vnum autem membrum ex duobus efficiēdo, particulam *vbi* aſſumeremus: hoc modo, *Putemus nos ad cōcionem vocatos, vbi lex de abol. diuit. feratur: his interrog.* &c.

Alio denique alius locus vocabulo ad orationē eo quo oſtendi modo continuandā opus habet: quod deligere tui iudicij erit.

VENIO ad alterum illud de quo dictu-

rum

rum me promiſi, ad eam videlicet ſtructuræ orationis ſeu cõtextus perturbationem, quæ alicubi eſſe videtur, quòd nonnulla ibi ſint quæ per parentheſin interiecta eſſe non animaduertuntur. Alicubi verò nę cohærere quidem ſatis apto vinculo ſequentia cum præcedentibus aliquis arbitretur, quem talis parentheſis latebit. Huius autem rei exemplum memini eſſe in principio capitis quinti libri ſecundi De beneficiis. Poſtquam enim Seneca hoc propoſuit, *Nihil æquè amarum quàm diu pẽdere*, adijcit, *Æquiore quidam animo ferunt præcidi ſpem ſuam quàm trahi. Pleriſque autem hoc vitium eſt, ambitione praua differendi promiſſa, ne minor ſit rogantium turba. Quales regiæ potentiæ miniſtri ſunt, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum: minúſque ſe iudicant poſſe, niſi diu multúmque ſingulis quid poſſint oſtendant. Nihil confeſtim, nihil ſemel faciunt. Iniuriæ illorum præcipites, lenta beneficia ſunt. Quare veriſſimum exiſtima quod ille comicus dixit, Quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quãtum moræ adijcis?* Omnino enim potius vtendum erat aduerſatiua voce *Atqui*, quàm dicendum *Quare*, ante verba iſta, *veriſſimum exiſtima:* ſi hæc ad proximè precedentia referuntur. Illis enim conſentanea hæc (aut ſimilia) fuiſſent, Atqui tãtum abeſt

vt illos imitari, vt contrà veriſsimum exiſtiſtimare debeas quod ille comicus dixit. Verùm ſi hæc non ad ea quæ proximè præcedunt, ſed ad illud capitis initium, *Nihil æquè amarum quàm diu pendere*, referri animaduerteris, & cætera per parentheſin interijci, aduerſatiuam particulam locum habere hîc negabis, & contrà *quare* optimè cõuenire dices. Manifeſtius autẽ hoc fuerit ſi oratio hæc ita reſoluatur, appoſitis etiam parentheſeωs notis, *Nihil æquè amarum quàm diu pendere: adeò vt æquiore quidam animo ferant præcidi ſpem ſuã quàm trahi(pleriſque autem hoc vitium eſt*[ſed mallem *pleriſque tamen* legere] *ambitione praua differendi promiſſa, ne minor ſit rogantium turba. Quali vitio regiæ pot. miniſtri laborant, quos delectat ſuperb. ſuæ longum ſpectaculum, minúſque ſe iud.*&c.) *Quod quum ita ſit, veriſſimum exiſtima.*

Magis etiam hærebit in quibuſdam aliis locis qui hac de re admonitus non fuerit: præſertim verò in hoc capitis ſeptimi eius diſſertatiunculæ quæ iniuriam & contumeliam non cadere in ſapientem nobis vult perſuadere. Nam circa eius principium, ſtatim poſt hęc verba, *Cæterùm hic ipſe M. Cato, à cuius mẽtione hæc diſputatio proceſſit, vereor*

reor ne ſupra noſtrum exemplar ſit, audiet iſta, *Denique validius debet eſſe quod lædit eo quod læditur. Non eſt autem fortior nequitia virtute. Non poteſt ergo lædi ſapiens.* Quo enim vinculo cum præcedẽtibus iuncta hæc ſunt? Nemo certè eſt qui, ea re non animaduerſa de qua lectorem commonefacio, ḿulta huic loco deeſſe non ſit ſuſpicaturus. At ſi conſideret vltima pręcedentis capitis verba, & illa quæ ſunt huius principium, ac tandem ad iſta in quibus ſyllogiſmo vtitur, veniat, ſuſpicionem hanc deponet, & ſe à me bene moneri fatebitur. Ita enim clauſerat caput ſextum, *Illa quæ ſapientem tuentur, à flamma & ab incurſu tuta ſunt: nullum introitum habent, nec præbent, excelſa, inexpugnabilia, dijs æqua.* At ſeptimi hoc eſt principium, *Non eſt quòd dicas, ita vt ſoles, hunc ſapientem noſtrum nuſquam inueniri. Non fingimus iſtud humani ingenij vanum decus, nec ingentem imaginem falſæ virtutis concipimus: ſed qualem confirmamus, exhibuimus & exhibemus. Rarò forſitan magníſque ætatum interuallis inuenitur. neque enim magna & excedẽtia ſolitum ac vulgarem modum, crebrò gignuntur. Cæterùm hic ipſe M. Cato, à cuius mentione hæc diſputatio proceſſit, vereor ne ſupra noſtrum exemplar ſit. Denique validius debet eſſe quod lædit eo quòd læditur. Non*

eſt autem fort.&c. Quæ eſt huius ſyllogiſmi cum illa obiectione & ad illam reſpōſione iunctura? At ſi hunc ſyllogiſmum iungas iis quibus præcedens caput clauſit, & iſta omnia quæ in medio ſunt, per parentheſin poſita cenſeas, cohærere nō negabis. Si quis me tamen roget an talis verborum interpoſitio, & poſt illam abrupta ad præcedentem ſermonem regreſsio mihi placeat, potius diſplicere confitebor. Nec verò diſsimulabo, me nō omnino perſuaſum habere, ita ſcriptum hunc locum à Seneca relictum eſſe, & inter illa verba, *Vereor ne ſupra noſtrū exemplar ſit*, & iſta, *denique validius debet eſſe quod lædit eo quod læditur*, nihil interieciſſe: verùm, vt ſcriptum hunc locum habemus, quin ita excuſandus ſit, minimè dubitare.

Incluſam porro videri hac magna parentheſi quandam paruam, haud tacebo. Nam hæc verba, *Neque enim magna & excedentia ſolitum ac vulgarem modum, crebrò gignuntur*, crediderim itidem parentheticè poſita eſſe: vt perinde ſit acſi Seneca, illis non interiectis, loquutus ita eſſet, Fateor quidem, raro magniſque ætatum interuallis talem inueniri: ſed hic ipſe M. Cato, qui paulo ante ætatem noſtram inuentus eſt, adeo non eſt infra noſtrum exemplar, vt etiam verear

ear ne ſupra ipſum eſſe dicendus ſit.

Ne hoc quidem omittam, poſteriorem yllogiſmum à te intellectũ nõ iri, niſi ver-a quædam ipſi quoque eodem modo eſſe nterіecta animaduertas, & ab illius parti-us ea in mente tua ſepares. Nã poſt prio-em ſyllogiſmum habes, *Iniuria in bonos non ntatur niſi à malis. Bonis inter ſe pax eſt. Mali tam bonis pernicioſi ſunt quàm inter ſe. Quòd ſi lædi niſi infirmior non poteſt, malus au-em bono infirmior eſt:* (quod membrum in uperioris tẽporis editionibus deſideratur) *ec iniuria bonis niſi à diſpari verenda eſt: in-uria in ſapientem virum non cadit.* Sed quum rioris ſyllogiſmi verba hæc ſint, *Validius ebet eſſe quod lædit, eo quod læditur: non eſt utem fortior nequitia virtute: non poteſt ergo edi ſapiens:* poſterioris hæc erunt, (illa quæ ixi verba à cæteris ſeiungendo) *Iniuria in onos non tentatur niſi à malis: quòd ſi lædi niſi nfirmior non poteſt, malus autem bono infir-mior eſt: nec iniuria bonis niſi à diſpari veren-a eſt: iniuria in ſapientem virum non cadit.* nimaduertẽdum eſt autem reſumi in hoc oſteriore maiorem prioris. Cæterùm non gnoro, in Rom. editione quæ nuper in lu-em prodiit, omitti hæc verba, *Mali tam onis pernicioſi ſunt quàm inter ſe:* ſed aut re-nenda, aut non minus omittenda viden-

tur fuiſſe iſta, *bonis inter ſe pax eſt*. Siquidem perinde eſt acſi dictum ita eſſet per parentheſin, Nam bonis inter ſe pax eſt: quum mali contrà tam bonis pernicioſi ſint quàm inter ſe.

Quanti autem referat te de iſta re moneri, intelliges ex illa huius libri parte in qua doceo quam malè aſſignata ſint multis librorum Senecæ capitibus principia. Nam illorum vnum eſt quod à concluſione ſyllogiſmi incipere oſtēdo, quoniam quæ minorem proximè ſequebātur, per parentheſin interiecta eſſe non animaduertebant qui hoc illi principium dabant.

Alia porro nonnulla quæ de parentheſεωs apud hunc ſcriptorem vſu dicta capite præcedenti fuerunt, his adiici à te poterunt.

CAPVT III.

De particulis ad iungenda inter ſe orationis membra aptis, quæ à Seneca plerunque prætermittuntur.

QVANTAM orationi commoditatem afferant particulæ quæ Coniunctiones vocantur, quòd orationis membra inter ſe iungant, & ita eius velut vincula quædā ſint: ex iis potiſſimùm locis apparet in quibus deſiderātur: ſicut multa ſunt quorum

rum vtilitas tum magis cognoſcitur, quum iis caremus. Pöetis tamen ignoſcitur, quum huiuſmodi voculas prætermittunt: partim quòd nouitatem aliquam & differentiam à ſoluta oratione quærãt: partim etiam quòd illæ iniquis numerorũ ſpatiis interdum excludãtur. Sed inter poetas Horatius præſertim hunc morem habet: at verò ex iis qui proſa (ſiue prorſa) oratione vſi ſunt, vix vllus (vt opinor) ad minimam partem eius libertatis accedit quam Seneca vſurpauit. A Cicerone Hegeſię mentio fit, qui, dum imitari Lyſiam vult, ſaltat, incidens particulas: ſed an idem hic quod Seneca ſibi permitteret, in dubio eſt. De iſto quidem certè hac potiſſimùm de cauſa dixiſſe Cæſarem Caligulam crediderim, eum meras commiſſiones (vel potiùs commiſſuras, niſi illud huius loco dici poſſe exiſtimauit) componere, & arenam ſine calce eſſe. Quamuis autem tales locos quibus deeſt copulatiua ſeu connexiua vocula, quæ συνδέειν illorum membra debebat, ex eo ἀσυνδέτους vocare poſſimus: tamen ἀσύνδετον quod inter ſchemata ſeu figuras numeratur, peculiariter de iis dici locis à Donato videmus, qui verba narrationi adhibita illo connexiuæ particulæ vinculo inter ſe non iungunt. Aſyndeton enim dicit eſſe hîc (eſt autem Andriæ

locus) *-funus interim Procedit. ſequimur. ad ſepulcrum venimus. In ignem poſita eſt, fletur.* Itidémque in iſto Phormionis loco, *imus, venimus, videmus.* Sic & in iſto Adelphorũ, *Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia,* ait, *hæc inferri* (niſi ſcripſit potiùs *afferri) ἀσυν-δέτως, vt multa videantur.* Denique in iſtum (qui & ipſe eſt Andriæ) *Acceſſi, vòs ſemotæ, nos ſoli*, annotat, eſſe hîc figuras quæ propriè ſunt Terẽtianæ, Aſyndeton & Ellipſin. Quomodo autem Aſyntheton quidam vocare potuerint quod alij Aſyndeton, haud video: & non ignoro tamen, apud Porphyrionem quoque ἀσυνθέτως legi hac in ſignificatione: ſed quidni eum ἀσυνδέτως ſcripſiſſe, mihi potiùs perſuadeam? Vtrocunque tamen modo ſcripſerit, Horatium (vti dixi) talia pleraque Aſyndeta habere conſtat, qualia ſunt quæ apud Senecam inueniuntur: quum Aſyndeta Terentiana alîus generis ſint.

Inter exempla autem particularum huiuſmodi, quæ plerunque in Senecæ oratione omiſſæ, aliquãdo multum negotij lectori non admonito faceſſere poſſunt, à Coniunctione quam grammatici cauſalem vocant, ſiue *enim*, ſiue *nam*, ſiue *quoniam*, initium ſumam. Dico igitur, eam prætermiſſam fuiſſe ſub finem tertij capitis, eius diſſerta-

ſertatiunculæ quæ iniuriã & contumeliam in ſapientem cadere negat, *Itaque non refert quàm multa in illum conijciantur tela, quum ſit nulli penetrabilis. Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia eſt.* Nam hęc comparatio & duæ ſequentes rationem reddunt cur dixerit ſapientem nulli telo eſſe penetrabilem: nec dubium eſt quin perinde ſit acſi dictũ eſſet, *Nam quomodo quor.* vel, *Quomodo enim quor.*

Itidem ante *Quemadmodum* omiſſum eſt huiuſmodi vocabulum, libelli De breuitate vitæ capite I x, in fine, *Quemadmodũ quos aut ſermo, aut lect.*&c. Quinetiam in iis quæ præcedunt, locum habere dici poſſit. Poſtquam enim ſcripſit, *Non dubium eſt ergo quin prima quæque optima dies fugiat mortalibus miſeris & occupatis, quorum pueriles adhuc animos ſenectus opprimit, ad quam imparati inermeſque veniunt:* adiicit, *Nihil enim prouiſum eſt: ſubitò in illam nec-opinantes inciderunt. Accedere eam quotidie non ſentiebant. Quemadmodum quos aut ſermo, aut lect.* Cur imparati inermeſque veniunt? *Nihil enim prouiſum eſt.* Cur autem nihil prouiſum eſt? *Quia ſubitò in illam nec-opinãtes inciderunt.* Nec minus in eo quod ſequitur membro talis vocula locum habere videtur: vt hæc, *accedere eam quotidie non ſen-*

tiebant, ſint rationem reddentis cur ſubitò in illam nec opinantes inciderint. At quæ ſubiungitur comparatio oſtẽdit quomodo fiat vt homines ad ſenectutem ſe quotidie accedere non ſentiant. Atque ita,in tribus contiguis locis particulam talem relinqui ſubaudiendam,dicere fortaſſis licebit.

Cæterùm & initio quarumdam aliarum comparationum eandem omiſſionem inuenies: vt epiſt. L V I I, circa finem, *Quemadmodum flamma non poteſt opprimi.* hac enim comparatione reddere vult rationem cur Stoici errare ſibi videantur. Sic epiſt. L X V I, *Quemadmodum ſerenitas cœli:* quum intelligendum ſit, *Quemadmodum enim ſer.* vel,*Nam quemad.ſer.* Sic cap.X I I I,De vita beata, *Et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati : iubet illam parere naturæ.*quia intelligendum eſt,*iubet enim illam p. n.* Quod qui non animaduertet, quæret quęnam ſit illa lex de qua loquitur:quia neſciet, hæc, *iubet illam parere naturæ*, ad præcedentia referri,& eorum expoſitionem eſſe. Poſſet autem alioqui (vt antea dixi) ex duobus membris coniunctis vna periodus hoc modo effici, parua cum mutatione, Et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati : quum iubeat illam parere naturæ.

Sic

Sic epiſtola XXIX, *Malis artibus popularis fauor quæritur, ſimilem te illis facias oportet. non probabunt, niſi agnouerint,* dicere debuerat, *ſimilem enim te illis fac. op.* quum rationem reddat eius quod dixit, Malis artibus popularem fauorem quæri. Componere enim mores ſuos ad mores populi, & ſuos mores eius moribus accommodare (vt ita loquar) atque hoc modo ſimilem illi ſe facere, non dubium eſt quin ſit malis artibus fauorem eius acquirere. Itidem verò tertium illud membrum, *non probabunt, niſi agn.* eſſe rationem ſecundi dicere poſſumus. perinde acſi ſcriptum eſſet, *quoniam non probabunt.*

Necnon in fine epiſtolæ LXXXVIII, *Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura eſt niſi dubium: ſi Nauſiphani, hoc vnum cert.* &c. Cur dicis Seneca, ab his tibi oculos effodi? (id eſt, perinde illos facere acſi tibi oculos effoderent: perinde loqui acſi tibi nullus oculorum vſus eſſet, nihilomagis quàm ſi nullos haberes) *Quoniam, ſi Protagoræ credo, nihil in r. n. eſt niſi dubium: ſi Nauſiphani,* &c.

Itidem circa finē epiſtolæ XCIIII, poſtquam dixit, ſolitudinem nō eſſe per ſe magiſtram innocentiæ, nec rura docere fruga-

litatem: ſed vbi teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidere, quorum fructus eſt monſtrari & conſpici: adiungit, *Quis eam quam nulli oſtẽderet induit purpuram?* pro eo quod eſt, *Nam quis eam q.*&c. vel, *Quis enim eam q.* vel (vt alibi loquitur) *Hoc vt ſcias ita eſſe, quis eam quam nulli oſtend. induit purpuram?*

Denique & LXVI epiſtola, *Vtraque res ergo ſine cauſa animum diffundit & mordet. nec illa gaudio, nec hæc metu digna eſt.* quum dicendum eſſet, *nam nec illa gaud.* vel, *quoniam nec illa gaud.* vel, *nec enim illa gaud.* Siquidem ratio eſt cur vtraque res ſine cauſa animum & diffundat & mordeat.

Hæc denique prætermiſſio in nonnullis etiam occurrit locis, vbi quæ ad reddendam pręcedentiũ rationem adiiciuntur, dubitari poſſit an alius ſermonis ſint initium. Quod fortaſſe de hoc etiam loco dici poteſt, epiſt. XXXIII, *Apud me verò Epicurus eſt & fortis, licet manuleatus ſit. Fortitudo & induſtria & ad bellum prompta mens tam in Perſas quàm in altè cinctos cadit.* Neq; enim hæc quæ de Perſis & iis qui altè cincti ſunt, dicit, illos inter ſe opponens, aliò quàm ad ea quę proximè de Epicuro dixit, pertinent. addit enim cur mirum videri non debeat ſi in illum quoque fortitudo cadere dicatur.

Alioqui certè Seneca adeo vſum cauſalis par-

lis particulæ non vitauit, vt etiam duabus periodis contiguis eam aliquãdo adhibuerit. vt Conſol. ad Heluiam capite vndecimo, *Æquè enim exiguo tegitur corpus quàm alitur. Nihil enim homini natura, quod neceſſarium ſciebat, fecit operoſum.* Vni tamen loco, Nam, alteri Enim adhibere poterat: quod alibi fecit: vt capite VIII, De vita beata. Sed & ita dicere poterat, (ad vitandam repetitionem huius particulæ Enim) *Æquè enim exig. teg. corp. quàm alitur: quum nihil hom. nat. quod nec. ſc. fecerit operoſum.* Sic in eo quem mox afferam loco ex epiſtola LXVI, vbi in vet. ſcriptum eſt, *omne enim illi bonum in animo eſt*, dici poterat, *quum omne illi bonum in animo ſit.* Nec minus conuenit iſta particula huic loco epiſtolæ XXXIII, *Si tamen exegeris, non tam mendicè tecum agam: ſed plena manu fiet. Ingens eorum turba eſt paſſim iacentium.* Nam itidem hîc dicere poterat, *ſed plena manu fiet, quum ingens eorum turba ſit paſſim iacentium.* Interim verò obſeruandum eſt, ex iis eſſe locis in quibus cauſalis vocula prætermiſſa fuit.

Cæterùm non dubito quin multis quidem in locis hanc particulam Seneca ipſe ponere neglexerit, ſed in nõnullis etiam ab eo poſitam librarij prætermiſerint. Hoc

autem coniicere eſt ex eo quòd alicubi ex veterum librorum autoritate adiici poſſit. Quod videre eſt epiſt. LXVI, *Ratio ergo eſt arbitra bonorum & malorum:* & paucis, quæ hoc membrum finiunt, adiectis, *Omne illi bonum in animo eſt*. Nam in vet. exempl. ſcriptum eſt, *omne enim illi bonum.* Sic fortaſſe in principio epiſtolę CV, aliqua vet. exempl. illam habent. Nam quum dixiſſet, *Ex omnibus iſtis adeò leuiſſimum eſt contemptus, vt multi in illo remedij cauſa delituerint:* ſubiungit, *Quem quis contemnit, calcat ſine dubio, ſed tranſit.* Nemo enim negabit quin his verbis ratio reddatur eius quod præcedit: & oſtendatur quomodo contemptus multis remedium eſſe potuerit. Afferam & alium locum (ex aliis plurimis vnum) ex libri ſecundi De ira capite ſecundo, *Hic ſubit etiam inter ludicra ſcenæ ſpectacula, & lectiones rerum vetuſtarum. ſæpe Clodio Ciceronem expellenti & Antonio occidenti videmur iraſci.* Omnino enim poſteriora hæc ad illud quod dixit, *lectiones rerum vetuſtarum*, referantur neceſſe eſt: ſiue ſubaudiendam cauſalem particulam reliquerit, ſiue librarius eam omiſerit: quod potius de hoc quidem loco mihi perſuaſerim. Quidam enim ſunt loci vbi minus excuſari poſſe videtur eius ab ipſomet autore prætermiſſio: ſed mihi

quoque

quoque inter illos diſcrimen ponere, difficile eſſe non negauerim. De hoc quidẽ certè non dubito, quin plerunque eam omiſerit librarius quum in principio duarum periodorum quæ contiguæ erant, occurrebat: vt occurrit in loco quem attuli ex Conſolatione ad Heluiam.

Addam locum in quo omiſſum itidem videtur hoc λεξείδιον, ſed quod ex proximè præcedente periodo ſit petendum. Is eſt epiſt. LXXXIIII, de apibus, *Quibuſdam enim placet, non faciendi mellis ſcientiam eſſe illis, ſed colligendi. Aiunt inueniri apud Indos mel in arundinum folijs.* Siquidem, *Aiunt enim inueniri*, ſcribendum eſſe dico: vt ratio ſit propter quam nõnulli in ea ſint opinione de apibus, non faciendi mellis ſed colligendi ſcientiam illiſ ineſſe. Poteſt autem illa particula ex proximè præcedente periodo huc transferri, in eius ſedem ſubſtituendo *tamen*, quod in vet. exempl. legitur.

Cùm alias autem particulas tum verò hãc ipſam à poetis potius quàm ab aliis ſcriptoribus interdum omitti videmus. Sed tamen & apud Ciceronem alicùbi hãc omiſſionem obſeruaui: atque adeo eius exemplum hoc afferri poſſe videtur, ex epiſtola decima libri tertij, ad Appium Pulchrum, *Omnia volo à me & poſtules & expectes. vin-*

cam meis officijs cogitationes tuas. Neque enim dubium eſſe videtur quin talem voculam poſterius membrũ requirat. Sed quum apud poetas ſtatim cognoſci poſſit an ipſimet an librarij talem aliquam particulam omiſerint, contra in iis qui ſoluta oratione ſcripſerunt, vbi librariis imputare huiuſmodi omiſſionem oporteat, in dubio eſt.

VENIO ad illud Coniunctionis genus quod particulas quæ aduerſatiuæ vocantur comprehendit: cuiuſmodi ſunt, *Sed*, *At*, *Atqui*. Nam & has à Seneca plerunque prętermitti oſtendam.

Vt à particula *Sed* initium ſumam, licet ab huius vſu non abhorreat (vt ex pleriſque locis cognoſcere eſt) hãc tamen à nobis deſiderari interdum patitur. Cuius rei exemplum habemus initio libelli De breuitate vitæ, *Nec huic publico (vt opinantur) malo turba tantùm & imprudens vulgus ingemuit. Clarorum quoque virorum hic affectus querelas euocauit.* vbi alius dixiſſet, Nec huic publico malo turba tantũ & impr. vulg. ingemuit: ſed clarorum quoq; virorum hic aff. &c. Quòd ſi in typogr. editionibus finis vnius membri & principium alterius non illo ponerentur modo, ſed hoc, *ingemuit: clarorum quoque virorum hic aff.* timẽdum non eſſet ne quis verba hæc, *clarorum quoque v.*

alîus

alius ſermonis initium eſſe putaret.

Sic etiam epiſt xc, circa finem, *Non enim dat natura virtutem. Ars eſt bonũ fieri:* quum intelligere debeamus, Non enim dat nat. virtutem: ſed ars eſt bonum fieri. Sic & epiſtola c i i, *Nunc quia omnia exigis, omnia quæ dicunt perſequar, deinde ſingulis occurram. niſi aliquid prædixero, intelligi non poterunt quæ refelluntur. Quid eſt autem quod prædicere velim?* Vbi dictum ab alio fuiſſet, *Sed niſi aliquid prædixero, intell.* &c. Ita enim ſcribendum eſt, non *præcidero*, & in ſequentibus pariter *prædicere*, non *præcidere*. Itidémque paulo poſt, *Quid eſt quod etiam nunc prædicere velim?* non *præcidere*.

Alicubi autem vel hæc particula, vel vocula *tamen* prætermiſſa videri poteſt. Cuius rei in eo qui proximè præcedit loco exemplum (meo quidem iudicio) habemus. Non enim minus aptè dici poſſe exiſtimo, *Niſi tamen aliquid prædixero, intelligi non poterunt quæ refellentur.*

Quinetiam obſeruaui, aliquot locis vel *Sed* vel *Imò* poſſe adiici. Ex illorum autem numero eſt hic, libri tertij De ira, capite vigeſimo: vbi poſtquam dixit, ſibi propoſitum eſſe iræ malum ſcribere: (niſi potius legendum eſt deſcribere) quæ non tantùm viritim furit, ſed gentes totas lancinat, ſed

vrbes, ſed flumina exuta ab omni ſenſu doloris cõuerberat: addit, *Sicut rex Perſarũ totius populi nares recidit in Syria: inde Rhinocolura loci nomen eſt. Peperciſſe illum indicas, quòd non tota capita præcidit. Nouo genere pœnæ delectatus eſt.* Hîc enim ab eo dici potuiſſe aio, *ſed nouo genere pœnæ delectatus eſt.* Perinde acſi dixiſſet, Tu quum iſtud audis, illum peperciſſe iudicas, quòd non tota capita præciderit: ſed falleris: nam hoc fecit non vt illis parceret, ſed quòd nouo genere pœnæ delectaretur. Alterum autem vocabulum *Imò* locum (vt verum fatear) tam aptum non videtur habiturum eſſe, niſi potius interrogatiuè ſcribatur, *Peperciſſe illum indicas quòd non tota capita præcidit?* Conuenienter enim ſubiungetur, *Imò nouo genere pœnæ delectatus eſt.*

Quod autem de vocula *enim* dixi, etiam de iſta qua de nunc agitur, de *ſed* inquam, dico, alicubi non à Seneca neglectam ſed à librario videri prætermiſſam: quòd non ſine nimia negligentia prætermitti ab ipſo autore potuiſſe iudicem. Ac vnum certè locum proferam ex iis quibus hoc accidiſſe exiſtimo, & modo non perſuaſum habeo. Is eſt eo in opuſculo in quo non cadere iniuriam in ſapientem nec contumeliam, multis argumentis probare conatur: capitis ſecundi

cundi initio. Nam poſtquam dixit, deos immortales Catonem certius exemplar ſapientis viri, quàm Vlyſſem & Herculem prioribus ſeculis dediſſe: quos Stoici ſapientes pronuntiauerũt, inuictos laboribus, & contemptores voluptatis, & victores omnium terrarum: ad hanc Catonis cum Hercule comparationem venit, *Cato cum feris manus non contulit, quas conſectari, venatoris agreſtiſque eſt: nec monſtra igne ac ferro proſequutus eſt: nec in ea tempora incidit, quibus credi poſſet cœlum vnius humeris inniti, excuſſa iam antiqua credulitate, & ſeculo ad ſummam perducto ſolertiam. Cum ambitu congreſſus, multiformi malo, & cum potentiæ immenſa cupiditate, quam totus orbis in tres diuiſus ſatiare non poterat, aduerſus vitia ciuitatis degenerantis, & peſſum ſua mole ſidentis ſtetit ſolus.* Quis enim non ſolùm fateatur, particulam *ſed* aptiſſimum habituram hìc eſſe locum, (dicendo, *ſed cum ambitu congreſſus*, poſita tantùm hypoſtigme poſt accuſatiuũ *ſolertiam)* ſed ſe quoque ſuſpicari ſaltem à librario potius quàm à Seneca eſſe omiſſam, fateri cogatur?

Non minus frequenter (quãtum quidem meminiſſe poſſum) occurret lectori diligenter obſeruanti particulæ AT prætermiſſio: & quidem ex iis locis in quibus hæc omiſ-

ſio tibi occurſura eſt,nõnulli ſunt in quibus ſedem habere non minus poſſit vocula *ſed.* Ex illis eſt iſte, De benef. libri quinti capite quinto, *Nam tamdiu illos odio habemus, quamdiu graues iudicamus, & quamdiu beneficia illorum non intelligimus. Quum iam ætas aliquid prudentiæ collegit, & apparere cœpit, propter illa ipſa eos amari à nobis debere, propter quæ non amabantur, admonitiones, ſeueritatem, & inconſulta adoleſcentiæ diligentem cuſtodiam, rapiuntur à nobis.* De parẽtibus autem hæc intelligenda ſunt. nam dixerat, *A parentibus fere vincimur.* quibus, ad reddendam huius dicti rationem, ſubiunguntur illa, *Nam tamdiu illos odio habemus, quamdiu graues iudic.* Sed quicunque ſint ij de quibus hæc dicuntur, quis non videt, non aliter intelligi à nobis debere quàm ſi dictum eſſet, *at quum iam ætas aliquid prud.* vel, *ſed quum iam ætas aliquid prud.* ſic tamen vt illam particulam melius quàm hãc, iſto quidem in loco, meis auribus ſonare fatear.

Minus verò dubium quin de hoc loco idem dicendum ſit, epiſtola x x x, *Alia genera mortis, ſpei mixta ſunt. Deſinit morbus, incendium extinguitur: ruina quos videbatur oppreſſura, depoſuit: mare, quos hauſerat, eadem vi qua ſorbebat* (niſi potius *ſorbuerat* ſcribẽdum eſt) *eiecit incolumes: gladium miles ab*

les ab ipſa perituri ceruice reuocauit. Nihil habet quod ſperet quem ſenectus ducit ad mortem. Huic vni intercedi nõ poteſt. Si ſcriptum eſſet, *gladium miles ab ipſa perituri ceruice reuocauit: at nihil habet quod ſp.* quis primò aſpectu non animaduerteret, iſtud mortis genus per antitheſin cum præcedentibus comparari? Eadem autem opera te illam orationis Senecæ de qua dixi ſtructuram conſiderare iubebo, & hoc exemplum ſuperioribus addere. Alius enim fortaſſe dicere maluiſſet, Quũ deſinat morbus, quum incendium extinguatur: quum ſæpe eueniat vt ruina, quos videbatur oppreſſura, deponat: quum mare, quos hauſerat, eadem vi qua ſorbebat, eiiciat incolumes: quum aliquando contigerit vt miles gladium ab ipſa perituri ceruice reuocarit: ſola ſenectus eſt quæ quũ ducit ad mortem, nihil quidquam ſpei cuiquam relinquit.

Sic epiſt. LXIII, circa principium, *Quũ legeris Sextium, dices, Viuit, viget, liber eſt:* quum itidem expectandum potius eſſet, *at quum legeris Sextium.* aut, *at verò quum legeris Sext.* Dixerat enim, *Quorundam ſcripta clarum habent tãtùm nomen: cætera exanguia ſunt. Inſtituunt, diſputant, cauillantur. Non faciunt animum, quia non habent.* Verùm ne hoc quidem reticebo, duas fortaſſe particu-

las alium hîc fuiſſe poſiturū, *quidem* & *ſed:* nõ omiſſa & ante illud membrum aduerſatiua vocula:hoc modo, Quorundam ſcripta cl. hab.t. nomen: cætera exanguia ſunt. Inſtituunt quidem, diſputant, cauillantur: ſed non faciunt animum, quia non habent: at quum legeris Sextium,dices,&c. Quinetiam fieri poteſt vt aliud *μόϱιον* locum habeat hîc: videlicet *quum:* poſt verba illa, Clarum habent tantùm nomen. ſi quidem illud *cætera* ita dictum eſt vt à Virgilio, *cætera Graius.* Tunc autem hæc totius loci ſtructura fuerit, Quorūdam ſcripta cl.hab. tan.nomen, quum cætera exanguia ſint: & inſtituant quidem, diſputent, cauillentur: ſed non faciant animum, quia non habent. Quibus ſubiungentur illa,At quum legeris Sext.Dicens autem,(vt obiter de hoc etiam moneam) *Non faciunt animum,quia non habent,* intelligit, lectorem non reddere animoſum, quòd ipſa minimè ſint animoſa. Sunt autem animoſa illius ſcripta, *qui*, vt Horatius loquitur,

-fortunæ te reſponſare ſuperbæ
Liberū & erectū præſens hortatur & optat.

Cum quibus & quę ab ipſo Seneca ſubiunguntur,optimè conueniunt.

Sic epiſtola LXXIX, *Alius erit affabilior, alius expeditior,alius promptior in eloquendo,* *alius*

alius facundior. Illud de quo agitur, quod beatum facit, æquale eſt omnibus. Nam & hîc dixiſſent alij multi ſcriptores, *at illud de quo agitur:* aut certè, *ſed illud de quo agitur.* Tibi autem lector in his exemplis ſcripturam illam typographicã repræſento, quæ teleian ſtigmen habet in fine prioris membri, & maiuſculam literam in principio poſterioris: non quòd eam probem (vt antea ſæpe monui) ſed vt te aliis propemodum infinitis locis, in quibus talis eſt, aſſuefaciam: & talem ſiue ſeiunctionem ſiue ſeparationem (ſi ita loqui licet) in omnibus editionibus typographicis, etiam in Romana, quæ nuper prodiit, inueniri noueris, etiam vbi non eſt alius ſermonis initium, ſed cõtrà ſuſpenſa oratio relicta eſt.

Addam illius de qua agitur prætermiſſionis exemplum, è libri quinti De benef. capite octauo, *Vt concedam, aliquem ſibi dare beneficium: dum dat, & recipit. Vt cõcedam, aliquem à ſe accipere beneficium: dum accipit, reddit. Domi (quod aiunt) verſura fit, & velut luſorium nomen ſtatim tranſit. Neque enim alius dat quàm qui accipit, ſed vnus atque idem. Hoc verbum Debere non habet niſi inter duos locum.* Negari enim non poteſt quin & hîc ſit antitheſis (ſi locus attentè conſideretur) ideóque aptè dicturus fuerit, *At hoc verbum*

Debere non hab. Atque hoc in loco, ſicut & in aliis pleriſque, meminiſſe te oportet eius quod à me pag. 76, huius libelli, dictũ fuit, alicubi latentes eſſe antitheſes, quòd particulæ quæ earum ſunt indices, omittantur. Quod tamen de quibuſdam aliis locis (& quidem de eo quem inter proximè ſequentia afferam) magis quàm de hoc dici poſſe non inficiabor. Cæterùm te ſimul & de hoc admonebo, particulam cauſalem commodè adiici potuiſſe, poſt verba illa, *Dum accipit, reddit:* & dici, *Nam domi*. vel, *Domi enim.*

Non minus autem, vel potius magis, conueniret ATQVI, quàm *at*, vbi ſcribit, *Solemus dicere, ſummum bonum eſſe ſecundum naturam viuere. Natura ad vtrunque genuit, & ad contemplationem rerum & actionem.* Perinde eſt enim acſi dixiſſet, *Atqui natura ad vtrunque genuit.* Sunt enim duæ priores ſyllogiſmi partes, Summum bonum eſt ſecundum naturam viuere: Atqui natura & ad contemplationem rerum & ad actionem nos genuit.

Aliud notabile exemplum afferam, & quidem ideo notabile, quòd inde ſit petitum vbi prætermiſſio huius vel alius vocabuli deprauationis ipſius loci cauſa fuit. Eſt autem ex epiſt. LXXIIII, in fine, *Eodem modo fit vt animos libenter ægros & captantes*

cauſas

cauſas doloris vetera atque obliterata contri-ſtent: & quæ præterierunt & quæ futura ſunt, abſunt, neutra ſentiamus. Ita enim hæc in ſuperioris temporis editionibus, quæ Romanam illam præceſſerunt, ſcripta ſunt: quum tamen ſcribendum ſit, *Eodem modo ſit vt an. lib. agros & capt. c. dol. vet. atque obl. contri-ſtent. Et quæ præterierunt & quæ fut. ſunt, abſunt: neutra ſentimus.* Nam perinde eſt acſi particulam *Atqui* huic poſteriori periodo præfigens, dixiſſet, *Atqui & quæ præt.* Verùm, quum hæc ellipſis non animaduerteretur, ſed ea Verba ex quibus poſterior periodus conſtat, prioris periodi poſterius membrum eſſe exiſtimarentur, ideóq; verbum vltimum ad particulam *Vt* itidem referri: ex *ſentimus* facere *ſentiamus* audaces προσδιορθωταὶ non dubitarunt.

Fieri autẽ poteſt vt hîc librarius hoc vocabulũ prætermiſerit, quum alioqui Seneca talibus locis id non illibenter adhibeat. vt epiſtola LXXXVIII, *Vis ſcire quàm non ad docendum virtutem conſederint? aſpice quàm diſſimilia inter ſe omnium ſtudia ſint. Atqui ſimilitudo eſſet idem docentium.* Alicubi verò multis etiam vicinis adhibetur locis: vt capite ſexto libri ſecundi De ira.

Illi tamen loco qui ex LXXIIII epiſtola fuit allatus, aliam etiam particulam poſſe

conuenire non negauerim. Sicut enim po-teſt dici, *Atqui & quæ præterierunt:* ita etiã, *Tamen & quæ præterierunt:* vel, *Sed tamen & quæ pr.* vel, *Attamen.* Alicubi certè *contrà* videtur ſedem ſibi conuenientiſſimam ha-biturum fuiſſe: vt epiſt. C I I I, *Tempeſtas mi-natur, antequam ſurgat. Crepant ædificia, an-tequam corruant: prænuntiat fumus incẽdium. Subita eſt ex homine pernicies.* Apertior enim eſſet antitheſis, hoc modo, Tempeſtas mi-natur, antequam ſurgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænuntiat fumus in-cendium: contrà ſubita eſt ex homine per-nicies. Quanquam & particula at potuiſſe hîc poni videtur.

Antitheſi porro quum & hæ, & quædam aliæ (vt pagina 76 huius libelli oſtendi) & adhiberi poſſint, & adhibeantur, ſciendum eſt non minus frequentem vſum eſſe vocu-læ NVNC, quum prius membrum habet SI. Cuius vſus proferam exempla, vt à me admonitus lector cautius multos Senecæ locos legat, in quibus illa typographica diſ-iunctio ſeu ſeparatio (ſicut antè mihi per-miſi loqui) antitheſin occultat. Incipiam autem ab epiſtola XCI, *Eſſet aliquod imbe-cillitatis noſtræ ſolatium, rerúmque noſtrarum, ſi tanta celeritate repararentur cuncta quanta finiuntur. Nunc incrementa lentè exeunt, feſti-*
natur

natur in damnum. quũ ſcribendũ eſſet, *quanta finiuntur: nunc incrementa,* &c. Sed minus aperta eſt antitheſis, epiſtola CIIII, *O quàm bene cum quibuſdã ageretur, ſi à ſe aberrarent. Nunc primi ſeipſos ſolicitãt, corrumpunt, territant.* Ita enim legendum eſt, non, *Nunc primùm ſeipſos ſol.* Minus autem aperta eſſe hîc poteſt antitheſis, tum quòd hæc verba, *Nunc primi ſeipſos ſol.* eo quo dixi modo à præcedentibus velut ſeparentur, quum tamen orationem alioqui ſuſpenſam claudant: tum quòd hæc tria, ſeipſos ſolicitare, corrumpere, territare, non animaduertantur opponi illi quod dixit, A ſeipſis aberrare. Meminerit igitur lector non aliter intelligendum hunc locum quàm ſi ita ſcriptus eſſet, O quàm bene cum quibuſdam ageretur, ſi à ſe aberrarent: contrà, primi ſeipſos ſol. Non apud Senecam tamen ſolùm, ſed apud alios etiã qui àliquoties hac particula ita vtuntur (quorum in numero eſt Quintilianus) eo quo dixi modo parentheſis in typographicis libris occultatur. vt libri XII, capite VIII, *Hi porro non tantum nocerent, ſi omnia ſcriberent vti geſta ſunt. Nunc conſilium & colores adijciunt.* Sed occultatio illa ibi potiſſimũ accidit vbi longa eſt ante redditionem periodus.

Interdum autem & *Nunc verò* Seneca

dicit, vt Græci νῦν δὲ (non autem νῦν, ſine illa adiectione, quod ſciam) dicunt. Sic cap. XXIX, libri III De ira, *Multos abſoluemus ſi cœperimus antè iudicare quàm iraſci. Nunc autem primum impetum ſequimur.* Perinde eſt enim acſi diceret, At nunc contrarium facimus: quippe qui iraſcimur antequam iudicemus. Nam hoc eſt primum impetum ſequi. Ex eo autem Græcos ſuæ particulæ νῦν vſum hunc (quem Latini imitati ſunt) dediſſe arbitror, quòd ſuperioris tēporis præſertímq; ſuperioris ſeculi mores opponere noſtris, ſimúlq; alia quę tum fiebant, iis quę noſtro tēpore fiunt, opponentes, dicere ſoleamus, Nunc autem: vel At nunc. Qualem etiã vſum apud Quintilianum habent iſtæ particulæ, libri quarti capite ſecundo, *Tum autē optimè dicit orator quum videtur vera dicere. At nūc velut campū nacti expoſitionis, hîc potiſſimū & vocē flectunt, & ceruicem rep.* &c.

SED VT redeam ad particulas membrorum coniunctrices (vnde Coniunctiones vocantur) quas Seneca non rarò pretermittit, harum in numero eſſe AVTEM admoneo: & in exemplum locum hunc affero, ex fine epiſtolæ LXXXVIII, *Non facilè dixerim, vtrum magis iraſcar illis qui nos nihil ſcire voluerunt: an illis qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire.* (quæ epiſtolã claudunt)

dunt) Quum enim dixiſſet, ex Protagoræ ſententia, nihil in rerum natura eſſe niſi dubium : ex Nauſiphanis, hoc vnum certum eſſe, nihil eſſe certi: ex Parmenidis, nihil eſſe præter vnum: ex Zenonis, ne vnum quidem: ſubiungit, *Quid ergo nos ſumus? quid iſta quæ nos circunſtant, alunt, ſuſtinent? Tota rerum natura vmbra eſt aut inanis, aut fallax.* Atque his illa quæ dixi ſubnectit, *Non facilè dixerim:* quum (meo quidem iudicio) particulæ *autem* adminiculò cum præcedentibus hæc iungēda eſſent: ſic tamen vt fatear parui referre an dicamus, *Non facilè autē dixerim*, an, *Sed non facilè dixerim*: niſi quis malit, *Non facilè dixerim.* quemadmodū loquutus eſt initio libri primi de beneficiis. Verùm ea quæ præcedūt, interrogatiuè legere malim, *Tota rerum natura, vmbra eſt aut inanis, aut fallax?* Q. d. Itáne, ſi fides illis habēda eſt, tota rerum natura vmbra eſt aut inanis, aut fallax?

Neque omittendum à me eſt, omiſſam alicubi à Seneca eſſe & particulā TAMEN. vt libri ſecundi De benef. cap. VII, *Aliquid Tiberius ſequutus eſt.* pro eo quod eſt, Aliquid tamen Tib. ſeq.

Sed magis etiam neceſſaria videtur huic loco, Cōſolationis ad Polybium, capite vltimo, *Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis quàm fortis prudentiæ viros, qui neg.* Nam ſi

conſideres quæ præcedunt, dices ſequi omnino debuiſſe, *Et ſcio tamen inueniri.* Aut certè, *Etſi ſcio inueniri.*

Vbi autem legimus (epiſtola videlicet LXXIIII,) *Cætera opinione bona ſunt, & nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non eſt:* non dubito quin vel idem vocabulum vel *ſed* librarius omiſerit: ita vt legere debeamus, *proprietas tamen in ill.* vel, *ſed proprietas.*

Si etiam vocabulum ITAQVE alicubi apud illum deſiderari dixero, & quidem librarij culpa, quorundam veterum librorum pro me faciet autoritas. Nam in principio Conſolationis ad Heluiam matrem, quum in ſuperioris tẽporis editionibus legamus, *Nam in morbis quoque nihil eſt magis periculoſum, nec pernicioſum, quàm immatura medicina. Expectabam dum ipſe vires ſuas frangeret, & ad ſuſt.* &c. affertur ex quibuſdam exempl. vetuſtis hæc lectio, *Nam in morbis quoque nihil eſt pernicioſius quàm immatura medicina. Expectabam itaque dum vires ſuas frangeret.* Scio tamen poſſe videri duriuſculum huius vocabuli vſum hoc in loco, quòd paruo interuallo præcedat, *Itaque vtcunque conabar.* Sed hunc eiuſdem verbi (præſertímque Coniunctionis aut Aduerbij) in locis valde vicinis vſum non vitare Senecam,

alij

alij etiam loci oſtendunt.

Cæterùm quod illic ex vet. etiã librorum autoritate, id ex mea tãtummodo cõiectura de hoc loco dicam, qui eſt initio libri ſecundi De beneficiis, *Moleſtum verbum eſt, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, Rogo. Huius facienda eſt gratia amico, & cuicunque quem amicum ſis promerendo facturus.* Nam aptum hîc locum haberet *itaque*, vel *ideo:* hoc modo, *Huius itaque gratia facienda eſt.* Idẽ de hoc loco dixerim epiſtolæ LXXIX, circa finem, *Gloria vmbra virtutis eſt: etiam inuitos comitabitur.*

Denique & de iſto loco idẽ ſentiendum dico, epiſtolæ LXXVI, *At in illo loco in quo vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent, & hi pleriſque videntur nihil boni negotij habere quod agant: inepti & inertes vocantur.*

Iam verò & QVEMADMODVM vel SICVT in comparationis principio interdum omittit. Sic in principio epiſtolæ, *Et hoc ipſum argumentũ eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibuſdam ægris gratulatio fit quum ſe ipſos ægros eſſe ſenſerunt.* Nam intelligẽdum nobis eſt, *quemadmodum quibuſdam ægris gratulatio fit.* vel, *ſicut quib.* Eſt autem & apud Plutarchum eadem comparatio.

Sic capite XXVI De vita beata, *Sapiens*

tunc paupertatem præcipuè meditatur quum in medijs diuitijs conſtitit. Nunquam imperator ita paci credit, vt non ſe præparet bello, quod, etiamſi non geritur, indictum eſt. Nec verò procul abeundum eſt vt aliud exemplum eiuſdem prætermiſſionis inueniamus. Nam & caput proximũ nobis aliud ſuppeditat, ante hæc verba, *Duritia ſilicis nulli magis quàm ferientibus nota eſt.*

Hæc ferè ſunt illa vocabula, adiungenda inter ſe orationis membra accommodata, quorum potiſſimum frequens eſt apud Senecam prætermiſſio. Et verò horum quædam ab aliis etiam nonnullis ſcriptoribus omitti fateor, ſed tam frequenter à quoquam, nego. Et omiſſionis quidem coniunctionis cauſalis *enim*, ſiue *nam*, exemplum in præcedentibus attuli, cui alia ſcio poſſe adiici. Quòd ſi & particulæ *ſed* habere ex alio quopiam deſideras, en tibi ex Quintiliano, libri XII, capite VIII, *Nec ſemel audiſſe ſit ſatis: cogendus eadem iterum ac ſæpius dicere litigator.* Nam ſermonis Latini conſuetudo poſtulabat vt hîc diceretur, *ſed cogendus.* Sic etiam aliquanto poſt, *Ideóque opus eſt intueri omne litis inſtrumentum: quod videre non eſt ſatis: perlegendum erit.* quum dicendum eſſet, *ſed perlegendum erit.* Verùm tales omiſſiones inter illas numerandæ non

ſunt

ſunt quæ lectori obſcuritatẽ afferre & mo-donon in errorem inducere illum poſſunt.

CAPVT IIII.

De alijs quibuſdam vocabulis, alium in oratione vſum præſtantibus, quæ Seneca interdum omittit.

Item, De locis nonnullis vbi vna vocula pro altera, vel vna duarum loco ponitur.

Item, De particulis Senecæ frequentiſſimis quæ interrogationi ſimul & breuitati ſeruiunt: & de interrogatiua orationis forma, illi familiari.

DE ALIIS quibuſdam vocabulis nunc mihi lector monendus eſt, quæ quum illum quem præcedentia vſum (ob quem Coniunctiones vocantur) præſtare nõ propriè dici poſſint, omiſſa itidem eſſe dicere poſſumus.

Meminerit igitur, ipſius etiam orationis principium interdum alicuius particulę ellipſim habere videri: vt epiſt. CVIII, *Quoniam cœpi tibi exponere quàm tum* (niſi *quãto* ſcribendũ eſt) *maiori impetu ad philoſophiam iuuenis acceſſerim quàm ſenex pergam, nõ pudebit fateri.* &c. Nemo enim negauerit quin magis ex Latinæ linguę vſu ſit, *Ac quoniam.* vel, *Et quoniam.* vel, *Quoniam autem.* Eſt enim ad alium ſermonem tranſitio.

Sic etiam initio narrationis ſæpe omitti ab eo particulam Nam vel aliam videmus. Quod certè fecit vt alicubi narratio, quæ in exemplum affertur eius quod dictum fuit, in alio capite poſita ſit. Nam libri ſexti De benef. caput trigeſimumprimum incipit ab hac narratione, *Qùum bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitúmque quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat non lat.* quum tamen hæc narratio pendeat ex eo quod proximè dictum eſt, & eius exemplum ſiue teſtimonium ſit: vt oſtendam vbi de capitibus quibus malè aſſignata ſunt ſua principia diſſeram.

Sed & aduerbium *tantùm* alicubi deeſſe, tibi (vt opinor) ſicut & mihi videbitur, ſi diligenter quos proponam locos conſideraueris. Nã legimus in fine epiſtolæ LXXIX, *Paucis natus eſt qui populum ætatis ſuæ cogitat.* vbi non dubito quin intelligi voluerit, *qui populum ætatis ſuæ tantùm cogitat.* Cur enim me & ætatis meæ populum cogitare nolit? Epiſtola autem CX ſcribit, *Siquis hanc humanorum diuinorúmque notitiam acceperit, ſi illa ſe non perfuderit ſed infecerit.* Vbi perinde eſſe dico acſi ſcriptum eſſet, non tantùm perfuderit ſed etiam infecerit. Atque hic locus in memoriam mihi reuocat quod alibi ab eo dicitur *perfuſoria voluptas,*

luptas, & malè à quibuſdã, quòd ſuſpectum eſſet,mutatum fuit.Cęterùm vt illo in loco dicit, *ſi illa ſe non perfuderit ſed infecerit,* (vt plus ſit Inficere quàm Perfundere)ita viciſſim alibi dicit,*non colorauit,ſed infecit,*omittens itidem aduerbium *tantùm:* vt plus ſit Colorare quàm inficere. Sic autem & alibi poſt particulã *ſed* obſeruaui omiſſum hoc vocabulum. Verùm hæc omiſſio minus videri mira debet, quum viciſſim *etiam* poſt illam ab aliis quoque, & nominatim ab ipſo etiam Cicerone prætermitti videamus.

Pronomen *id* vel *illud* ſæpe ab illo,Gręcorum more,prætermittitur. Et manifeſta quidem alicubi eſt hæc prætermiſſio: veluti quum ſcribit, *Annon putas inter cauſas facti operis numerandum quo remoto factum non eſſet?* Neque enim latere nos poteſt,intelligi debere,*numeradum id*, vel *illud,quo rem.*&c.

Sic epiſt. xcix, circa principium, *Philoſophia ſapientiæ amor eſt & affectatio : hæc oſtendit quò illa peruenit.* Nã perinde eſſe puto acſi dictum eſſet, Hæc oſtendit illud ad quod illa iam peruenit. Niſi quis licere putat ſubaudire duo hæc verba, *iter illuc:* vel, *iter ad illud.* Quum autem dicit *hæc* (vt de hoc obiter moneam) non refert ad ſapientiam : ſed ad ſapientiæ affectationem, quæ philoſophia eſt. Alioqui aut *hæc* ad remo-

tius tenderet, aut, quod ad vnam pertinet, alteri tribueretur. Sed vt ab his locis ad alium veniã in quo huiuſmodi prætermiſſio faceſſere negotium poteſt, legimus epiſtola XLII, *Sæpe maximum pretium eſt pro quo nullum datur.* Atque hanc periodum præcedit iſta, *Idem itaque in omnibus conſilijs rebúſque faciamus quod ſolemus facere quoties ad inſtitorem alicuius mercis acceſſimus: videamus, hoc quod concupiſcimus quanti deferatur.* Ex his certè coniicere eſt, hæc, ſæpe maximum pretium eſſe pro quo nullum datur, non alio ſenſu dici quàm dictum antea erat, gratuita nobis videri quę cariſſimè conſtant: ſed ſi verborum habẽda ratio eſt, & ipſis inſiſtendum, quónam illud *quo* referri dicemus? an ad pretium? At ineptè dictum iri videtur; ſæpe maximũ eſſe id pretium pro quo pretio nullum datur. Nihil tamen aliud video quod dicere poſſimus, niſi vel *maximum pretium eſt*, in *maximi pretij eſt*, mutemus, vt ſubaudiatur *id*, vel *illud*: vel retinentes noſtram lectionem ſubaudiamus genitiuum, cuius duriuſcula eſt omiſſio. vt perinde ſit acſi ita loquutus eſſet; Sæpe maximum pretium eſt eius pro quo nullum datur.

Eadem opera dicendum aliquid eſt & de ipſo pronomine relatiuo. Nã alicubi quum primo

primo aſpectu videri queat librarius id omiſiſſe, ſi tamen quæ Seneca in ſuo ſermone ſibi permittit conſideremus, librario talem omiſſionem non imputabimus. Exemplum huius rei eſt initio capitis XII, libri VI, De beneficiis, *Hoc enim ſæpe te conquerentem audio, quòd quædam homines ſibi præſtant, alijs imputant.* Nam alioqui conſuetudinem poſtulaſſe fateor vt diceretur, *quædam quæ homines ſibi præſtant, alijs imputant:* vel, *quædam homines ſibi præſtant, quæ alijs imputant.* At hoc in loco epiſt. CII, *Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. non eſt animo ſuprema, ſed corpori:* licet aptè pronomen *quæ* interiici potuerit, poſt verbum *proſpice*, non eſt tamen dura eius omiſſio apud eum qui (vt antea dictum fuit) membratim inciſimque loqui gaudet.

Idem autem dicendum eſt de particulæ *quòd* omiſſione, cum alibi, tum in iſto loco libri tertij De ira, capite XXXII, *In hoc enim præcipuè fallimur, ad ferrum venimus.* (ſed malè in typograph. editionibus, *In hoc enim præcipuè fallimur. Ad ferrum venimus.*) Alius enim dixiſſet, *In hoc enim præcipuè fallimur, quòd ad ferrum venimus.* Sic epiſtola LXXIX, *Inter cætera hoc habet boni ſapientia: nemo ab altero poteſt vinci.* quum & hîc conſuetudo poſtularet vt diceretur, *Inter cætera*

pendere. Æquiore quidam animo ferunt præcidi ſpem ſuam quàm trahi. Pleriſque autem hoc vitium eſt, ambitione praua differendi promiſſa. &c. Nã magis huic loco *tamen* quàm *autem* conueniebat. Perinde eſt enim acſi diceret, Æquiore animo ferũt quidam præcidi ſpem ſuam quàm diu pendere: ſed tamen plerique, ambitione praua, diu pendere ſinunt eos quibus aliquid promiſerunt.

At verò huius particulæ *autẽ* vſus pro *atqui*, minus videri mirus debet. Eum autem habet (meo quidẽ iudicio) in hoc ſyllogiſmo, *Iniuria propoſitũ hoc habet, aliquem malo afficere. Malo autem ſapientia non relinquit locum. Iniuria ergo* (vt omittam quæ ſunt in parentheſi) *ad ſapientem non peruenit.* Nam magis conſentaneum erat (meo quidem iudicio) dicere, Atqui malo ſapientia non relinquit locum.

Sic etiam in iſto, *Denique validius debet eſſe quod lædit eo quod læditur. Non eſt autem fortior nequitia virtute. Non poteſt ergo lædi ſapiens.* Eodem enim modo videtur vocabulum *atqui* aptius futurum hîc fuiſſe, Atqui non eſt fortior nequitia virtute.

Dixerat porro paulo antè, *Cæterùm hic ipſe M. Cato, à cuius mẽtione hæc diſp.* vbi hãc quoq; vocem minus conuenire puto quàm *Sed:* non aliter quàm ſi præcedente *quidem*

ponere-

poneretur. Nam alius ſenſus nō eſt quàm ſi dixiſſet, Raró quidem, fortaſſe magníſque ætatum interuallis inuenitur ſapiens: ſed inuenitur tamen aliquãdo. Atque adeo hic ipſe M. Cato, à cuius ment. &c.

V N A denique particula pro duabus ponitur, quum *Et* pro *Et tamen*, item pro *Et quidem* dicit. Nam libri IIII De beneficiis, capite XII, ſcribit, *Dicitis (inquit) beneficium creditum inſolubile eſſe: creditum autem non eſt res per ſe expetenda.* Ad hæc autem reſpondens addit, *Quum creditum dicimus, imagine & tranſlatione vtimur. Sic enim & legem ſcimus iuſti iniuſtíque regulam eſſe: & regula nō eſt res per ſe expetenda.* Vbi quis non videt *& regula* pro *& tamen regula*, vel *& regula tamen*, dici?

Sic epiſtola LXXVII, *Tam propè libertas eſt, & ſeruit aliquis?* pro eo quod eſt, *& tamen ſeruit aliquis?* Sic & in opuſculo De vita beata, non procul à principio capitis XXI, *Quare ille philoſophiæ ſtudioſus eſt, & tam diues vitam agit?* Quum autem hæc ſcriberem, animaduerti, Senecam id quod dico, confirmare per ea quæ proximè ſubiungit. Sunt enim hęc, *Quare opes contemnendas dicit, & habet? vitam contemnendam putat, & tamen viuit?* Nam ecce, *& tamen viuit*, non ſimpliciter, *& viuit?* quod de præcedenti-

conuenire non negauerim. Sicut enim poteſt dici, *Atqui & quæ præterierunt:* ita etiã, *Tamen & quæ præterierunt:* vel, *Sed tamen & quæ pr.* vel, *Attamen.* Alicubi certè *contrà* videtur ſedem ſibi conuenientiſſimam habiturum fuiſſe: vt epiſt. c i i, *Tempeſtas minatur, antequam ſurgat. Crepant ædificia, antequam corruant: prænuntiat fumus incẽdium. Subita eſt ex homine pernicies.* Apertior enim eſſet antitheſis, hoc modo, Tempeſtas minatur, antequam ſurgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænuntiat fumus incendium: contrà ſubita eſt ex homine pernicies. Quanquam & particula at potuiſſe hîc poni videtur.

Antitheſi porro quum & hæ, & quædam aliæ (vt pagina 76 huius libelli oſtendi) & adhiberi poſſint, & adhibeantur, ſciendum eſt non minus frequentem vſum eſſe voculæ NVNC, quum prius membrum habet SI. Cuius vſus proferam exempla, vt à me admonitus lector cautius multos Senecæ locos legat, in quibus illa typographica diſiunctio ſeu ſeparatio (ſicut antè mihi permiſi loqui) antitheſin occultat. Incipiam autem ab epiſtola x c i, *Eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium, rerúmque noſtrarum, ſi tanta celeritate repararentur cuncta quanta ſiniuntur. Nunc incrementa lentè exeunt, feſtinatur*

natur

natur in damnum. quũ ſcribendũ eſſet, *quanta finiuntur: nunc incrementa,* &c. Sed minus aperta eſt antitheſis, epiſtola CIIII, *O quàm bene cum quibuſdã ageretur, ſi à ſe aberrarent. Nunc primi ſeipſos ſolicitãt, corrumpunt, territant.* Ita enim legendum eſt, non, *Nunc primùm ſeipſos ſol.* Minus autem aperta eſſe hîc poteſt antitheſis, tum quòd hæc verba, *Nunc primi ſeipſos ſol.* eo quo dixi modo à præcedentibus velut ſeparentur, quum tamen orationem alioqui ſuſpenſam claudant: tum quòd hæc tria, ſeipſos ſolicitare, corrumpere, territare, non animaduertantur opponi illi quod dixit, A ſeipſis aberrare. Meminerit igitur lector non aliter intelligendum hunc locum quàm ſi ita ſcriptus eſſet, O quàm bene cum quibuſdam ageretur, ſi à ſe aberrarent: contrà, primi ſeipſos ſol. Non apud Senecam tamen ſolùm, ſed apud alios etiã qui àliquoties hac particula ita vtuntur (quorum in numero eſt Quintilianus) eo quo dixi modo parentheſis in typographicis libris occultatur. vt libri XII, capite VIII, *Hi porro non tantum nocerent, ſi omnia ſcriberent vti geſta ſunt. Nunc conſilium & colores adijciunt.* Sed occultatio illa ibi potiſſimũ accidit vbi longa eſt ante redditionem periodus.

Interdum autem & *Nunc verò* Seneca

dicit, vt Græci νυῦ δὲ (non autem νυῦ, ſine illa adiectione,quod ſciam) dicunt. Sic cap. XXIX, libri III De ira, *Multos abſoluemus ſi cœperimus antè iudicare quàm iraſci. Nunc autem primum impetum ſequimur.* Perinde eſt enim acſi diceret, At nunc contrarium facimus: quippe qui iraſcimur antequam iudicemus. Nam hoc eſt primum impetum ſequi. Ex eo autem Græcos ſuæ particulæ νυῦ vſum hunc (quem Latini imitati ſunt) dediſſe arbitror, quòd ſuperioris tẽporis præſertímq; ſuperioris ſeculi mores opponere noſtris, ſimúlq; alia quę tum fiebant, iis quę noſtro tẽpore fiunt, opponentes, dicere ſoleamus, Nunc autem: vel At nunc. Qualem etiã vſum apud Quintilianum habent iſtæ particulæ, libri quarti capite ſecundo, *Tum autẽ optimè dicit orator quum videtur vera dicere. At nũc velut campũ nacti expoſitionis, hîc potiſſimũ & vocẽ flectunt, & ceruicem rep.* &c.

SED VT redeam ad particulas membrorum coniunctrices (vnde Coniunctiones vocantur) quas Seneca non raro pretermittit, harum in numero eſſe AVTEM admoneo: & in exemplum locum hunc affero, ex fine epiſtolæ LXXXVIII, *Non facilè dixerim, vtrum magis iraſcar illis qui nos nihil ſcire voluerunt: an illis qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire.* (quæ epiſtolã claudunt)

dunt) Quum enim dixiſſet, ex Protagoræ ſententia, nihil in rerum natura eſſe niſi dubium: ex Nauſiphanis, hoc vnum certum eſſe, nihil eſſe certi: ex Parmenidis, nihil eſſe præter vnum: ex Zenonis, ne vnum quidem: ſubiungit, *Quid ergo nos ſumus? quid iſta quæ nos circunſtant, alunt, ſuſtinent? Tota rerum natura vmbra eſt aut inanis, aut fallax.* Atque his illa quæ dixi ſubnectit, *Non facilè dixerim:* quum (meo quidem iudicio) particulæ *autem* adminiculó cum præcedentibus hæc iungēda eſſent: ſic tamen vt fatear parui referre an dicamus, *Non facilè autē dixerim,* an, *Sed non facilè dixerim:* niſi quis malit, *Non facilè dixerim.* quemadmodū loquutus eſt initio libri primi de beneficiis. Verùm ea quæ præcedūt, interrogatiuè legere malim, *Tota rerum natura, vmbra eſt aut inanis, aut fallax?* Q. d. Itáne, ſi fides illis habēda eſt, tota rerum natura vmbra eſt aut inanis, aut fallax?

Neque omittendum à me eſt, omiſſam alicubi à Seneca eſſe & particulā TAMEN. vt libri ſecundi De benef. cap. VII, *Aliquid Tiberius ſequutus eſt.* pro eo quod eſt, Aliquid tamen Tib. ſeq.

Sed magis etiam neceſſaria videtur huic loco, Cōſolationis ad Polybium, capite vltimo, *Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis quàm fortis prudentiæ viros, qui neg.* Nam ſi

conſideres quæ præcedunt, dices ſequi omnino debuiſſe, *Et ſcio tamen inueniri.* Aut certè, *Etſi ſcio inueniri.*

Vbi autem legimus (epiſtola videlicet LXXIIII,) *Cætera opinione bona ſunt, & nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non eſt:* non dubito quin vel idem vocabulum vel *ſed* librarius omiſerit: ita vt legere debeamus, *proprietas tamen in ill.* vel, *ſed proprietas.*

Si etiam vocabulum ITAQVE alicubi apud illum deſiderari dixero, & quidem librarij culpa, quorundam veterum librorum pro me faciet autoritas. Nam in principio Conſolationis ad Heluiam matrem, quum in ſuperioris tẽporis editionibus legamus, *Nam in morbis quoque nihil eſt magis periculoſum, nec pernicioſum, quàm immatura medicina. Expectabam dum ipſe vires ſuas frangeret, & ad ſuſt.* &c. affertur ex quibuſdam exempl. vetuſtis hæc lectio, *Nam in morbis quoque nihil eſt pernicioſius quàm immatura medicina. Expectabam itaque dum vires ſuas frangeret.* Scio tamen poſſe videri duriuſculum huius vocabuli vſum hoc in loco, quòd paruo interuallo præcedat, *Itaque vtcunque conabar.* Sed hunc eiuſdem verbi (præſertímque Coniunctionis aut Aduerbij) in locis valde vicinis vſum non vitare Senecam,

alij

alij etiam loci oſtendunt.

Cæterùm quod illic ex vet.etiã librorum autoritate, id ex mea tãtummodo cõiectura de hoc loco dicam,qui eſt initio libri ſecundi De beneficiis, *Moleſtum verbum eſt, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, Rogo. Huius facienda eſt gratia amico, & cuicunque quem amicum ſis promerendo facturus.* Nam aptum hîc locum haberet *itaque*, vel *ideo:* hoc modo, *Huius itaque gratia facienda eſt.* Idẽ de hoc loco dixerim epiſtolæ LXXIX, circa finem, *Gloria vmbra virtutis eſt: etiam inuitos comitabitur.*

Denique & de iſto loco idẽ ſentiendum dico, epiſtolæ LXXVI, *At in illo loco in quo vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent, & hi pleriſque videntur nihil boni negotij habere quod agant: inepti & inertes vocantur.*

Iam verò & QVEMADMODVM vel SICVT in comparationis principio interdum omittit. Sic in principio epiſtolæ, *Et hoc ipſum argumentũ eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibuſdam ægris gratulatio fit quum ſe ipſos ægros eſſe ſenſerunt.* Nam intelligẽdum nobis eſt, *quemadmodum quibuſdam ægris gratulatio fit.* vel, *ſicut quib.* Eſt autem & apud Plutarchum eadem comparatio.

Sic capite XXVI De vita beata, *Sapiens*

tunc paupertatem præcipuè meditatur quum in medijs diuitijs conſtitit. Nunquam imperator ita paci credit, vt non ſe præparet bello, quod, etiamſi non geritur, indictum eſt. Nec verò procul abeundum eſt vt aliud exemplum eiuſdem prætermiſſionis inueniamus. Nam & caput proximũ nobis aliud ſuppeditat, ante hæc verba, *Duritia ſilicis nulli magis quàm ferientibus nota eſt.*

Hæc ferè ſunt illa vocabula, adiungenda inter ſe orationis membra accommodata, quorum potiſſimum frequens eſt apud Senecam prætermiſſio. Et verò horum quædam ab aliis etiam nonnullis ſcriptoribus omitti fateor, ſed tam frequenter à quoquam, nego. Et omiſſionis quidem coniunctionis cauſalis *enim*, ſiue *nam*, exemplum in præcedentibus attuli, cui alia ſcio poſſe adiici. Quòd ſi & particulæ *ſed* habere ex alio quopiam deſideras, en tibi ex Quintiliano, libri XII, capite VIII, *Nec ſemel audiſſe ſit ſatis: cogendus eadem iterum ac ſæpius dicere litigator.* Nam ſermonis Latini conſuetudo poſtulabat vt hîc diceretur, *ſed cogendus.* Sic etiam aliquanto poſt, *Ideóque opus eſt intueri omne litis inſtrumentum: quod videre non eſt ſatis: perlegendum erit.* quum dicendum eſſet, *ſed perlegendum erit.* Verùm tales omiſſiones inter illas numerandæ non

ſunt

ſunt quæ lectori obſcuritatẽ afferre & modo non in errorem inducere illum poſſunt.

CAPVT IIII.

De alijs quibuſdam vocabulis, alium in oratione vſum præſtantibus, quæ Seneca interdum omittit.

Item, De locis nonnullis vbi vna vocula pro altera, vel vna duarum loco ponitur.

Item, De particulis Senecæ frequentiſſimis quæ interrogationi ſimul & breuitati ſeruiunt: & de interrogatiua orationis forma, illi familiari.

De alIIs quibuſdam vocabulis nunc mihi lector monendus eſt, quæ quum illum quem præcedentia vſum (ob quem Coniunctiones vocantur) præſtare nõ propriè dici poſſint, omiſſa itidem eſſe dicere poſſumus.

Meminerit igitur, ipſius etiam orationis principium interdum alicuius particulę ellipſim habere videri: vt epiſt. CVIII, *Quoniam cœpi tibi exponere quàm tum* (niſi quãto ſcribendũ eſt) *maiori impetu ad philoſophiam iuuenis acceſſerim quàm ſenex pergam, nõ pudebit fateri.* &c. Nemo enim negauerit quin magis ex Latinæ linguę vſu ſit, *Ac quoniam.* vel, *Et quoniam.* vel, *Quoniam autem.* Eſt enim ad alium ſermonem tranſitio.

Sic etiam initio narrationis ſæpe omitti ab eo particulam Nam vel aliam videmus. Quod certè fecit vt alicubi narratio, quæ in exemplum affertur eius quod dictum fuit, in alio capite poſita ſit. Nam libri ſexti De benef. caput trigeſimumprimum incipit ab hac narratione, *Quùm bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitúmque quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat non lat.* quùm tamen hæc narratio pendeat ex eo quod proximè dictum eſt, & eius exemplum ſiue teſtimonium ſit: vt oſtendam vbi de capitibus quibus malè aſſignata ſunt ſua principia diſſeram.

Sed & aduerbium *tantùm* alicubi deeſſe, tibi (vt opinor) ſicut & mihi videbitur, ſi diligenter quos proponam locos conſideraueris. Nã legimus in fine epiſtolæ LXXIX, *Paucis natus eſt qui populum ætatis ſuæ cogitat.* vbi non dubito quin intelligi voluerit, *qui populum ætatis ſuæ tantùm cogitat.* Cur enim me & ætatis meæ populum cogitare nolit? Epiſtola autem CX ſcribit, *Siquis hanc humanorum diuinorúmque notitiam acceperit, ſi illa ſe non perfuderit ſed infecerit.* Vbi perinde eſſe dico acſi ſcriptum eſſet, non tantùm perfuderit ſed etiam infecerit. Atque hic locus in memoriam mihi reuocat quod alibi ab eo dicitur *perfuſoria voluptas,*

luptas, & malè à quibuſdã, quòd ſuſpectum eſſet,mutatum fuit.Cęterùm vt illo in loco dicit, *ſi illa ſe non perfuderit ſed infecerit*, (vt plus ſit Inficere quàm Perfundere)ita viciſſim alibi dicit,*non colorauit,ſed infecit*,omittens itidem aduerbium *tantùm:* vt plus ſit Colorare quàm inficere. Sic autem & alibi poſt particulã *ſed* obſeruaui omiſſum hoc vocabulum. Verùm hæc omiſſio minus videri mira debet, quum viciſſim *etiam* poſt illam ab aliis quoque, & nominatim ab ipſo etiam Cicerone prætermitti videamus.

Pronomen *id* vel *illud* ſæpe ab illo,Gręcorum more,prætermittitur. Et manifeſta quidem alicubi eſt hæc prætermiſſio: veluti quum ſcribit, *Annon putas inter cauſas facti operis numerandum quo remoto factum non eſſet?* Neque enim latere nos poteſt,intelligi debere,*numerãdum id*, vel *illud*,*quo rem*.&c.

Sic epiſt. x c i x, circa principium, *Philoſophia ſapientiæ amor eſt & affectatio : hæc oſtendit quò illa peruenit*. Nã perinde eſſe puto acſi dictum eſſet, Hæc oſtendit illud ad quod illa iam peruenit. Niſi quis licere putat ſubaudire duo hæc verba, *iter illuc:* vel, *iter ad illud*. Quum autem dicit *hæc* (vt de hoc obiter moneam) non refert ad ſapientiam : ſed ad ſapientiæ affectationem, quæ philoſophia eſt. Alioqui aut *hæc* ad remo-

tius tenderet, aut, quod ad vnam pertinet, alteri tribueretur. Sed vt ab his locis ad alium veniá in quo huiuſmodi prætermiſſio faceſſere negotium poteſt,legimus epiſtola XLII, *Sæpe maximum pretium eſt pro quo nullum datur*. Atque hanc periodum præcedit iſta, *Idem itaque in omnibus conſilijs rebúſque faciamus quod ſolemus facere quoties ad inſtitorem alicuius mercis acceſſimus: videamus, hoc quod concupiſcimus quanti deferatur*. Ex his certè coniicere eſt, hæc, ſæpe maximum pretium eſſe pro quo nullum datur,non alio ſenſu dici quàm dictum antea erat,gratuita nobis videri quę cariſſimè conſtant: ſed ſi verborum habẽda ratio eſt, & ipſis inſiſtendum, quónam illud *quo* referri dicemus?an ad pretium? At ineptè dictum iri videtur; ſæpe maximũ eſſe id pretium pro quo pretio nullum datur. Nihil tamen aliud video quod dicere poſſimus, niſi vel *maximum pretium eſt*,in *maximi pretij eſt*,mutemus, vt ſubaudiatur *id*,vel *illud*: vel retinentes noſtram lectionem ſubaudiamus genitiuum, cuius duriuſcula eſt omiſſio. vt perinde ſit acſi ita loquutus eſſet; Sæpe maximum pretium eſt eius pro quo nullum datur.

Eadem opera dicendum aliquid eſt & de ipſo pronomine relatiuo.Nã alicubi quum primo

primo aſpectu videri queat librarius id omiſiſſe, ſi tamen quæ Seneca in ſuo ſermone ſibi permittit conſideremus, librario talem omiſſionem non imputabimus. Exemplum huius rei eſt initio capitis x i i, libri v i, De beneficiis, *Hoc enim ſæpe te conquerentem audio, quòd quædam homines ſibi præſtant, alijs imputant.* Nam alioqui conſuetudinem poſtulaſſe fateor vt diceretur, *quædam quæ homines ſibi præſtant, alijs imputant:* vel, *quædam homines ſibi præſtant, quæ alijs imputant.* At hoc in loco epiſt. c i i, *Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. non eſt animo ſuprema, ſed corpori:* licet aptè pronomen *quæ* interiici potuerit, poſt verbum *proſpice*, non eſt tamen dura eius omiſſio apud eum qui (vt antea dictum fuit) membratim inciſimque loqui gaudet.

Idem autem dicendum eſt de particulæ *quòd* omiſſione, cum alibi, tum in iſto loco libri tertij De ira, capite x x x i i, *In hoc enim præcipuè fallimur, ad ferrum venimus.* (ſed malè in typograph. editionibus, *In hoc enim præcipuè fallimur. Ad ferrum venimus.*) Alius enim dixiſſet, *In hoc enim præcipuè fallimur, quòd ad ferrum venimus.* Sic epiſtola l x x i x, *Inter cætera hoc habet boni ſapientia: nemo ab altero poteſt vinci.* quum & hîc conſuetudo poſtularet vt diceretur, *Inter cætera*

hoc habet boni ſapientia, quòd nemo ab altero poteſt vinci. Sed in typographicis editionibus eadem illa membrorum ſeparatio eſt, hoc modo, *Inter cætera hoc habet boni ſapientia. Nemo ab altero vincitur.*

His autem locis adiici poteſt iſte, *Hæc ſunt quæ autoritatem præceptis veſtris detrahant. Magna promittitis, & quæ ne opt.* &c. Neque enim dubium eſt quin hîc quoque aptam ſedem illa particula habitura fuerit, ita ſcribendo, *Hæc ſunt quæ autoritatem præceptis veſtris detrahant, quòd magna promittitis, & quæ ne opt.* &c. Dicit autem, *Hæc ſunt quæ* non autẽ, *Hoc eſt quod*, quia duo affert quæ eius mali cauſa ſunt.

Quum tamen in principio epiſt. XLIIII dicere itidem poſſet, *Siquid aliud eſt in philoſophia boni, hoc eſt: ſtemma non inſpicit*, maluit illud *quòd* interiicere, & ita ſcribere, *Siquid aliud eſt in philoſophia boni, hoc eſt, quòd ſtemma non inſpicit.*

Illa porro orationis ſtructura, Senecæ alioqui familiaris non animaduerſa magis periculoſę ſeparationis occaſionem alicubi præbuit, & quidẽ tantę vt ex duobus membris quæ eo quo oſtendi modo in vnũ membrum, aut ſaltem in vnam periodum coaleſcunt, prius capitis vnius ſit finis, alterum alterius ſit principium. Hoc certè contigit libri

ibri III de ira capite xxx. incipit enim ab his verbis, *Friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad vmbram aſpis exurgit.* Nam caput præcedens hæc claudunt, *Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes.* Fortaſſe autem ſcripſerat Seneca *turbatur:* quod mutari in *turbetur* poterat, particula *vt* præfixa, ad continuandam ſub vna periodo orationem: hoc modo, *Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes, vt friuolis turbetur & inanibus.*

Nunc in mentem mihi venit de alio omiſſionis genere te commonefacere. Id eſt in iis locis in quibus à ſermone ſuo ad mimeticum tranſit. vt libri tertij De ira capite xxxi, *Tanta tamen importunitas hominum eſt, vt quamuis multum acceperint, iniuriæ loco ſit plus accipere potuiſſe. Dedit mihi præturam, ſed conſulatum ſperaueram. Dedit duod.* &c. Nam ante hæc verba, *Dedit mihi præt.* omittit, *Audies enim qui dicat,* vel, *Non rarò enim inuenitur qui dicat.* Omittit inquã hæc verba, aut alia huiuſmodi.

Tempvs eſt vt particulam vnam pro altera interdum ab illo poni, exemplis probem. Conſidera igitur hunc locum, qui eſt in principio capitis quinti, libri De beneficiis ſecundi, *Nihil æquè amarum quàm diu*

pendere. Æquiore quidam animo ferunt præcidi ſpem ſuam quàm trahi. Pleriſque autem hoc vitium eſt, ambitione praua differendi promiſſa. &c. Nā magis huic loco *tamen* quàm *autem* conueniebat. Perinde eſt enim acſi diceret, Æquiore animo ferūt quidam præcidi ſpem ſuam quàm diu pendere: ſed tamen plerique, ambitione praua, diu pendere ſiunt eos quibus aliquid promiſerunt.

At verò huius particulæ *autē* vſus pro *atqui*, minus videri mirus debet. Eum autem habet (meo quidē iudicio) in hoc ſyllogiſmo, *Iniuria propoſitū hoc habet, aliquem malo afficere. Malo autem ſapientia non relinquit locum. Iniuria ergo* (vt omittam quæ ſunt in parentheſi) *ad ſapientem non peruenit.* Nam magis conſentaneum erat (meo quidem iudicio) dicere, Atqui malo ſapientia non relinquit locum.

Sic etiam in iſto, *Denique validius debet eſſe quod lædit eo quod læditur. Non eſt autem fortior nequitia virtute. Non poteſt ergo lædi ſapiens.* Eodem enim modo videtur vocabulum *atqui* aptius futurum hîc fuiſſe, Atqui non eſt fortior nequitia virtute.

Dixerat porro paulo antè, *Cæterùm hic ipſe M. Cato, à cuius mētione hæc diſp.* vbi hāc quoq; vocem minus conuenire puto quàm *Sed*: non aliter quàm ſi præcedente *quidem* ponere-

poneretur. Nam alius ſenſus nõ eſt quàm ſi dixiſſet, Raró quidem fortaſſe magníſque ætatum interuallis inuenitur ſapiens: ſed inuenitur tamen aliquãdo. Atque adeo hic ipſe M. Cato, à cuius ment. &c.

Vna denique particula pro duabus ponitur, quum *Et* pro *Et tamen*, item pro *Et quidem* dicit. Nam libri IIII De beneficiis, capite XII, ſcribit, *Dicitis (inquit) beneficium creditum inſolubile eſſe: creditum autem non eſt res per ſe expetenda.* Ad hæc autem reſpondens addit, *Quum creditum dicimus, imagine & tranſlatione vtimur. Sic enim & legem ſcimus iuſti iniuſtique regulam eſſe: & regula nõ eſt res per ſe expetenda.* Vbi quis non videt *& regula* pro *& tamen regula*, vel *& regula tamen*, dici?

Sic epiſtola LXXVII, *Tam propè libertas eſt, & ſeruit aliquis?* pro eo quod eſt, *& tamen ſeruit aliquis?* Sic & in opuſculo De vita beata, non procul à principio capitis XXI, *Quare ille philoſophiæ ſtudioſus eſt, & tam diues vitam agit?* Quum autem hæc ſcriberem, animaduerti, Senecam id quod dico, confirmare per ea quæ proximè ſubiungit. Sunt enim hæc, *Quare opes contemnendas dicit, & habet? vitam contemnendam putat, & tamen viuit?* Nam ecce, *& tamen viuit*, non ſimpliciter, *& viuit*, quod de præcedenti-

bus locis dubitare nos non ſinit.

Atque hîc omittenda non eſt *Verò* pro *Imò verò*, cum alibi, tum hoc in loco, epiſtolæ XCVIII, *Nec ideo præcipio tibi negligentiã. Tu verò metuenda declina, & quidquid conſilio proſpici poteſt, proſpice.* Sed ita ſcribenda hæc erant, *Nec ideo præcipio tibi negligentiam: tu verò met.* Perinde eſt enim acſi diceret, Nec ideo præcipio tibi negligentiam: imo verò metuenda declinare, & quidquid conſilio proſpici poteſt, proſpicere iubeo. Sic etiam in fine epiſt. XXXIII, *Quid ergo? non ibo per priorum veſtigia? Ego verò vtar via veteri: ſed ſi priorem planiorémque inuenero, hanc muniam.* Nam quis & hîc non videt, Imo verò vtar via veteri, intelligendum eſſe? Sic & epiſtolæ XXIII principio. Sic denique & in opuſculo quo iniuriam in ſapientem nõ cadere docemur, capite XIIII, *Quid ergo? ſapiens non accedet ad fores quas durus ianitor obſidet? Ille verò, ſi res neceſſaria vocabit, experietur, & illũ quem quærit* (ſed potius ſcribendum, *illum quiſquis erit*) *tanquam canem acrem obiecto cibo leniet.* Sed occurret & in quibuſdam locis hic iſtius particulæ vſus, qui lectori eum non animaduertenti multum negotij faceſſeret. Nolo tamen illum celare, Ciceronem quoque ita ea, ſed rarò, vſum eſſe.

Illa

Illa autem vocula *Vt* non ſolùm pro *Ita vt* pleriſque in locis & propemodum paſſim ponitur, (veluti quũ ſcribit: *Poßũ pedes mouere, vt non curram: currere non poſſum, vt non moueam*) ſed etiam ſonat, Ea conditione vt, ſiue, Ea lege vt. cuius vſus exemplum proferam ex centeſima epiſtola: & ita quidem vt paulo altius repetam, quò facilius ſit lectori de mea expoſitione iudicare. Scribit igitur, *Affer quem Fabiano poſſis præponere. Dic Ciceronem, cuius libri ad philoſophiam pertinentes, penè totidem ſunt quot Fabiani. Cedam: ſed non ſtatim puſillum eſt, ſi quid maximo minus eſt. Dic Aſinium Pollionem. Cedam: ſed vt reſpondeam, In re tanta eminere eſt & poſt duos eſſe.* Neque tamen quum dico *vt* hîc ſonare Ea lege vt, certam expoſitionis legem pono, ita vt verba præſcribam, ſed ſaltem talibus ad eius expoſitionem verbis opus eſſe dico. Cæterùm de hoc quoque ἐν παρόδῳ te monebo, vtrobique non *Dic* ſed *Dices* ſcribendum mihi videri.

TRANSEO ad tertiam poſtremámque huius capitis partem. Breuitate gaudere orationem Senecæ, lector, etiam non monitus, multo autem citius, poſtquam monitus fuerit, animaduertet. Quum autem multa ſint quæ ad breuiloquentiam

conferunt, illi vſitata, tum verò particularum quæ interrogationi ſeruiunt frequens eſt illi vſus, tanquam non ſolùm ad excitandam lectori attentionem, ſed ſimul etiam ad compendium ſermonis conducentium. Quum tamen vocula *Quid* pręponatur, at *ergo* vel *igitur*, interdum & *porro*, tantummodo poſtponantur, de illa tantùm poſſe hoc dici videtur.

Vt autem primùm de hac per ſe (id eſt ſine adiunctione) poſita, dicam, deinde de eadem vnam ex illis particulis adiunctam habente: in multis Senecæ locis circa eam peccatum à librariis eſſe ſciat lector, quòd eam cum ſequentibus verbis iunxerint: vnde fit vt minimè vim ſuam ac ne vſum quidem ſuum habeat. Quod errati genus in epiſtolæ XCV (quæ vulgo male XCVI numeratur) quinque locis, qui ſibi contigui ſunt, inuenitur. Nam ibi huic exclamationi, *Dij boni, quantum hominum venter exercet*, adiicit iſta, *Quid tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiamſi præſentanei non furant? Quid tu illam æſtiuam niuem non putas callum iecinoribus obducere? Quid illa oſtrea, inertiſſimam carnem, cœno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſæ grauitatis inferre? Quid illud Sociorum garum, pretioſam malorum piſcium ſaniem,*

non

non credis vrere ſalſa tabe præcordia? Quid illa purulenta, & quæ tantumnon ab ipſo igne in os trăſferuntur, iudicas ſine noxa in ipſis viſceribus extingui? Hæc enim particula *Quid* non ita ſequentibus adiungenda, ſed ab illis ita eſt ſeparanda, Quid? tu illos boletos, vol. ven. nihil occulti operis iud. facere, etiamſi præſentanei non furant? Itidémque, Quid? tu illam æſtiuam niuem non put. &c. Quid? illa oſtrea, inert. &c. Quid? illud Sociorum garum, pret. &c. Quid? illa purulenta, & quę tant. &c. Verùm nec ij qui præfuerunt Romanę editioni quę nouiſſima exiit, hoc animaduerterunt. Alicubi tamen hoc nō animaduerſum, deprauationis etiā cauſa fuit: vt lib. 1, De ira, cap. 11, quædam editiones habent, *Quid gladiatoribus? Quare populus iraſcitur, & tam iniquè vt iniur.* Quædam verò his priores, *Quid de gladiatoribus? Quare popul. iraſc.* quum Seneca ſcripſiſſet, *Quid? gladiatoribus quare populus iraſcitur? & tam iniquè, vt iniuriam putet.* &c. Perinde eſt autem acſi diceret, Quid de populo dicam, qui gladiatoribus iraſcitur, & tam iniquè, vt iniur. &c. quídnam cauſæ cur hoc faciat eſſe putem? Sic autem & alibi, vbi hæc particula tranſitioni itidem ſeruit, (& quidem interdum tranſitioni quæ fit in enumeratione) vt videbis etiam in principio

capitis XII, De vita beata, peccatum fuit. Nec verò apud Senecam tantùm, ſed apud alios etiã, & nominatim apud Ciceronem, eiuſdem librariorum negligentiæ exempla habemus. Nam apud hunc ſub finem epiſtolæ decimæ libri tertij, ad Appium Pulchrum, multæ editiones habent, *Quid illa vincula, quibus quidem libentiſſimè adſtringor, quanta ſunt?* quum itidem *Quid* ſeiungi à ſequentibus debeat. Sic in Fabij Declamatione CCLIII, *Quem vultis enim ponite euentum. Periculum mihi mortis eſt. Quid ego non ſatis vixi? Non enim annorum numero nec ſpatio æt.*&c.

Sic *Quid enim* malè iunctum eſt ſequentibus in libello De breuitate vitæ, capite VIII, *Quid enim illum multum putas nauigaſſe, quem ſæua tempeſtas à portu exceptum huc & illuc tulit?* Quum ſcribẽdum ſit, *Quid enim? illum mult.*&c.

Idem verò & in *Quid ergo*, vel *Quid igitur*, alicubi factum fuit. vt libri primi De ira capite duodecimo, *Quid ergo quum viderit ſecari patrem ſuum, filiúmve, vir bonus non flebit, nec linq.*&c. Nam ita & in illa Rom. editione: quum tamen, ſcribendum ſit *Quid ergo?* vt aliquo interuallo ſeparetur à ſequentibus. Sic epiſtola LXXI, *Quid ergo inquis? iacere in conuiuio & torqueri, paria ſunt?*

ſunt? malè verbum, inquis, duabus his particulis iungitur & in illa editione Rom. vt videlicet Senecæ hæc verba ſint, *Quid ergo inquis?* quum *inquis* per parentheſin interiiciatur, & *Quid ergo* ſit eius à quo obiectionem ſibi proponi fingit. Perinde acſi ita loquutus eſſet, At tu hîc inquis, Quid ergo? iacere in conuiuio & torq. Sic alia in epiſtola, *Quid ergo?* (inquis) *obliuiſcar amici?* Sic etiam *Quid igitur* malè iũctum eſt cum ſequẽtibus verbis in principio capitis quarti diſputationis qua negat iniuriam vel contumeliam in ſapientem cadere, *Quid igitur, non erit aliquis qui ſapienti facere tentet iniuriam?* Scribendum enim eſt, *Quid igitur? non erit aliq.*

Sic peccatũ fuit & in *Quid porro*, aliquot locis. Ex quibus eſt hic, *Quid porro iſta vita non mors eſt?* Necnon iſte, *Quid porro nihil agere te credis*, ſi. &c. Nam vtrobique ſcribendum eſt *Quid porro?*

Natus autem eſt hic error ex eo quòd non animaduerſa ſit verbi ſeu verborum ellipſis quæ eſt poſt hanc interrogationem, *Quid ergo?* vel *Quid igitur?* aut *Quid porro?* quæ quum non ſolùm excitet lectorem & attentum reddat; ſed breuitati etiam conueniat, mirè Seneca delectatus ea eſt. Sed pro loco vel hoc vel illud ſubaudiendum

eſt. Interdum enim(& quidem ſæpe) perinde eſt acſi diceretur, Quid ergo faciam? vel, Quid ergo dicam? vel, Quid ergo dicendum eſt? aut, Quid ergo faciendum eſt? Vt, Quid ergo facto eſt opus? Habemus certè circa principium epiſtolæ LXXVI, locum, vbi ex iis quæ huic interrogationi ſubiunguntur, apparet verbum Faciam ſubaudiendum ibi relinqui. Scribit enim, *Quid ergo? idem faciam quod troſſuli & iuuenes?* Nam perinde eſt acſi priori loco verbum *faciam* poſuiſſet: hoc modo, Quid ergo faciam? an idem quod troſſ. Sic etiam legimus, in fine libri ſecundi De benef. *Quid ergo facies?* Cui interrogationi ſubiungitur, *Non arma ſumenda ſunt.* Sed interdũ Dices potius accipiendum eſt extrinſecus, aut etiã, Dicis, vel Cenſes. Cæterùm hoc ellipticum loquendi genus apud Ciceronem quoque habemus: vt De finib, lib. 5. ſub finem, *Quid ergo? aliter homines, aliter philoſophos loqui putas oportere?* Manauit autem à Græcis hoc ſermonis compendium, Quid ergo? vel Quid igitur? Illi enim itidem dicunt, *τί οὖν*, ſubaudiendum verbum aut ſubaudienda verba relinquentes. Eſſe autem diſputationibus philoſophicis, & quidem inter philoſophicas talibus quales ſunt Senecæ, cõuenientiſſimas, vel ex Arriano apparet, qui illis ſæpe vtitur.

Veluti

Veluti quum ſcribit, ἄνθρωπε, τί ἔχεις ἐγκαλέσαι τῇ φύσει; ὅτι σὲ ἄνδρα ἐγέννησε; τί οὖν; πάντας ἔδει γυναῖκας γεννῆσαι; Sic etiam hoc in loco, οἱ γεωργοὶ τὸν Δία οὐ λοιδοροῦσιν ὅταν ἐμποδίζωνται ὑπ' αὐτοῦ; οἱ ναῦται οὐ λοιδοροῦσι; τὸν καίσαρα παύονται λοιδοροῦντες; τί οὖν; οὐ γινώσκει ὁ Ζεύς; τῷ καίσαρι οὐκ ἀπαγγέλλονται τὰ λεγόμενα; Sed quemadmodum apud Senecam, Quid ergo, ſiue Quid igitur, ita etiam apud Arrianum τί οὖν, malè cũ ſequentibus alicubi cohæret, quum ſeparari debeat. Cuius rei exemplum habemus in duobus locis, ei quem attuli vicinis. Nam ſtatim pòſt habes, τί οὖν ἔδει εἰσερχόμενον εἰς τὸ θέατρον τοῦτο εἰπεῖν, quum ſcribendum ſit, τί οὖν; ἔδει &c. Et paulo ante itidem, τί οὖν θέλεις, ἵνα σὺ μὲν ποιῇς &c. quum ſcribere oporteat, τί οὖν; θέλεις ἵνα σύ μὲν ποιῇς.

Verùm apud Senecam interdũ occurrit etiam *Quid ergo eſt?* vt epiſt. x c i x, *Excidũt etiam retinentibus lacrymæ, & animum profuſæ leuant. Quid ergo eſt? Permittamus illis cadere, non imperemus.* Quinetiã in Commentarioli de vita beata capite x x v, tribus in locis vicinis habes.

Nec minus vocabulũ *Quidni* in frequenti eſt vſu apud hunc ſcriptorem, in reſponſione ad obiectionem. vt cap. x v i, De vita

beata, *Quid ergo? virtus ad viuendum beatè ſufficit, perfecta illa & diuina? Quidni ſufficiat? imò ſuperfluit.* Sic in principio epiſt. LXXVI, *Bona, inquis, ætate. Quidni bona?* Sed nonnulli ſunt loci vbi nõ *Quidni* verùm *Quidni non* legimus: quæ ſcriptura quum pleriſque mendoſa videri queat, mendo tamen caret. Sic epiſt. LXXIIII, ſub finem, *Quid ergo? non eſt beatior & amicorum & liberorum turba ſuccinctus? Quidni non ſit?* Nam ſi hîc ſcribas, *Quidni ſit?* locum corruperis: quum reſpondeat ei qui obiicit, quomodo fieri poſſit vt non ſit beatior qui turba illa ſuccinctus eſt: & reſpondere velit, verum iſtud eſſe, illum non eſſe beatiorem. Adeo vt perinde ſit acſi diceret, Quidni verum hoc eſſe dicam, illum non eſſe beatiorem? Sic capite VII, De breuitate vitæ, *Pleroſque certè audies ex iis quos magna felicitas grauat, inter clientium greges, aut cauſarum actiones, exclamare interdum. Mihi viuere non licet. Quidni non liceat? Omnes illi qui te ſibi aduocant, tibi abducunt.* (vel, vt potius ſcribẽdum puto, *te tibi abducunt*) Hîc quoque ſi negationem abſtuleris, locum deprauaris. Nam quum dicit, *Quidni non liceat?* perinde eſt acſi diceret, Quidni hoc verè à te dici poſſit, tibi non licere, tibi viuere? Quid verò mirũ eſt hoc tibi non licere? vel, Quis neget

aliter

aliter fieri non poſſe quàm vt non liceat? Ac, cur mirum eſſe non debeat, oſtendit, Omnes illi qui te ſibi aduocant (id eſt, te ad fungendum ſibi aduocati officio vocant) te tibi abducunt. Idem verò & de hoc loco dicendum, De benef. libri v, capite v, *Non eſt tamẽ turpe vinci beneficijs à parẽte. Quidni non ſit turpe, quum à nullo turpe ſit?* Sed in his poſtremis verbis deeſſe negatiuã particulã puto, vt alibi docebo. Sic epiſt. XCII, *Quidni non poſſit beata vita reſcindi?* Sic denique & epiſtola VI, *Hoc non poteſt accidere, quum animos in ſocietatem honeſta cupiendi par voluntas trahit. Quidni non poſſit?*

Admonebo & de *Nunquid*, interdũ pro *Num* poni, non pro Nónne. vt epiſt. CVI, *Nunquid eſt dubium an id quo quid tangi poteſt, corpus ſit?* Item epiſt. LXXXIX, duobus locis: ſic & alibi: quum alioqui ſint etiam loci in quibus aliorum ſcriptorum more pro aduerbio *Nónne* vtitur: alicubi verò (quod valde miraberis) *nunquid non* eo ſenſu dicit.

Particulam *enim* interrogationi adhibitam obſeruaui aliquoties. Sic de vita beatâ, capite XXI, *Et exilium nomen vanum putat, & ait, Quid eſt enim mali mutare regiones? & tamen ſeneſcit in patria.* Sic initio epiſtolæ LXXV, *Minus tibi accuratas à me epiſtolas*

mitti quereris. Quis enim accuratè loquitur, niſi qui vult putidè loqui? Neque tamen imitari Græcos puto, qui τίς γδ', pro τίς, dicunt: (quem vſum particulæ *nam* datum fuiſſe videmus, ſed poſtpoſitæ potius quàm præpoſitæ) verum referri illam particulam ad id quod ſubaudiendum relinquitur. Exiſtimare enim (vt opinor) debemus, hæc Senecam cogitaſſe, Minus tibi accuratas à me epiſtolas mitti quereris. Non eſt tamẽ quod hac de re queraris. quis enim accuratè loquitur, n. &c. At in loco altero, vbi ſcribitur, *Quid eſt enim mali mutare regiones?* dicere poſſumus, rationẽ reddi eius quod pręcedit, *Et exilium nomen vanum putat:* non aliter quàm ſi eadẽ orationis forma ſcriptum eſſet, Exilium nomen vanum eſſe puto. (vel, Exilium nomen vanum eſt.) quid eſt enim mali mutare regiones? Sed alij ſunt loci de quibus tale quid quale de hoc reſponderi poſſe non videtur. Ex illis autem eſt hic, libri VI De benef. cap. XXVII, *Non eſt quod dicas, Quam enim illi iniuriam facio?*

PER interrogationem alicubi nonnulla effert, quæ alia alibi forma. Tale eſt, *Vis ſcire*, epiſt. LXXIIII, *Vis ſcire futuro neminem debere torqueri? Quicunque audierit, poſt quinquageſ.* Itẽ in fine epiſt. XXXII, *Vis ſcire quid ſit quod faciat homines auidos futuri?*

Nemo

Nemo ſibi cõtigit. Sic epiſt. LXXXVIII, *Vis ſcire quàm non ad docendum virtutem conſederint? Aſpice quàm diſſimilia inter ſe omnium ſtudia ſint.* Sic cap. x libelli De breuitate vitę, *Vis ſcire quàm non diu viuant? Vide quàm cupiant diu viuere.* Denique & in tractatu De prouidentia, cap. III, *Vis ſcire quàm non pœniteat hoc pretio æſtimaſſe virtutem? Refice tu illum, & mitte in ſenatum: eandem ſententiam dicet.* Sed malè in poſterioris membri principio & hîc & alibi maiuſcula litera ponitur, vt hîc in *Refice:* quum hoc ex illo pendeat. Cæterùm conſidera ſimul hanc, per modum imperandi, orationis formam, cuius & alia non valde diuerſa exempla antea protuli. Simul verò hoc loquendi genus, *quàm non.* Hoc certè obſeruaui & in Fabij Declamationibus, & quidem in vna, præcedentibus illis ipſis verbis, *Vis ſcire.* Nãm in ea quæ numeratur CCLXXIII, legimus, *Vis ſcire quàm ſponſorem appellare non poſſis? Debitorem appellare non potes. Et quoniam confit.* &c. Vbi *appellare* intellige vt apud Ciceronem, *Tulliola, deliciæ noſtræ, tuum munuſculum flagitat, & me vt ſponſorem appellat.* Sic *Appellare de pecunia,* apud eundem. Qua de re moneo, quoniam in altera huius verbi ſignificatione, illa quæ à Fabio dicuntur, mira tibi non immeritò videren-

tur. Deprauatè autẽ legebatur in ſuperioris tẽporis editionibus hic locus, & omiſſo poſteriori membro, ita, *Vis ſcire quàm ſponſorem appellare non poteſt? Et quoniam conſit.* &c. Quum autem ita loquitur, *Vis ſcire quàm ſponſorem appellare non poſſis?* perinde eſt acſi diceretur, Vis ſcire quantum abſis ab eo vt ſponſorem appellare poſſis? Itidémque apud Senecam exponere debemus. Animaduerti autem & alia quædã loquendi genera quibus Fabius, ſicut & Seneca, eſt delectatus: de quibus alius erit dicẽdi locus. Sed & alia interrogatione in eadem re vtens dicit etiam *Scire deſideras?* vt epiſtola LXXIIII, *Quod ſit hoc inſtrumentum, ſcire deſideras?* Cæterùm, qua forma, Vis ſcire, eadem dicit etiã, *Vis deos propitiare?* & ſubiungit, *bonus eſto.* Quum alioqui poſſet ita loqui, Vt deos propities, bonus eſto. Sic alibi, *Vis illũ fatum vocare? Non errabis. Vis illum prouidentiam dicere? Rectè dices.* Illa porro epiſtola LXXIIII, præter illud interrogatiuum loquendi genus habet & alia: ex quibus eſt, *Quid ſit quæris?* Et pauciſſimis verbis interiectis, *Quid refert an aqua decurrens intercipiatur atq; abeat, ſi fons ex quo fluxerat ſaluus eſt?* Atque vt libentius *Quid refert*, quàm *Nihil refert*, ſic *Quid mirum*, quàm *Nihil mirum* dicit: itidémque aliis loquendi

quendi

quendi generibus interrogationem plerunque adhibet.

Sed quemadmodum interrogatiuè *Vis ſcire*, ita etiam *Vt ſcias*, ſæpe dicit: vt lib. II, De ira, cap. XV, in principio, *Vt ſcias, inquit,* (ſed ſcribo *inquis*) *an ira habeat in ſe generoſi aliquid, liberas videbis gentes, quæ irac.* Sic & capite quarto eiuſdē libri, *Et vt ſcias quemadmodum incipiant affectus, aut creſcāt, aut efferantur, eſt primus motus non vol.* Alicubi verò, *Hoc vt eſſe verum ſcias.* & *Hoc vt ſcias ita eſſe.*

Ad interrogatiuum autem ſermonem vt redeam, admonendus eſt mihi lector de aduerbio *Quemadmodum*, Senecam frequenter illi hoc adhibere. Sic epiſt. LXXXVIII, *Quum dicatis (inquit) ſine liberalibus ſtudijs ad virtutem non perueniri, quemadmodum negatis illa conferre virtuti?* Scio alioqui eſſe locos vbi pro Veluti accipi videtur, quum tamē interrogationi ſeu exclamationi ſeruiat. vt De breuitate vitæ cap. XI, *Iam ergo quum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum pauentes moriuntur, non tanquam exeant de vita, ſed tanquam extrahantur.* Sed nouus hic aduerbij iſtius vſus non fuerit iis qui non apud Plautum tantum verumetiam apud Ciceronē eum obſeruauerint.

NOTA interrogationis à quibuſdam locis abeſt, vbi eam libẽter poſuerim, & quin ponenda ſit minimè dubitauerim. Ex illis eſt is quem paulo antè attuli, *Mihi viuere non licet.* Quum enim exclamationem eſſe dicat, aptius ſcriptum iri exiſtimo, *Mihi viuere non licet?* q.d. Itáne me mihi viuere non licet? De hoc autem loco ne dubitare quidem fas eſt, epiſt. LXIII, *Feras autem hos, qui quum negligentiſſimè amicos habeant, miſerrimè lugent, nec amant quenquam niſi quum perdiderint.* Nam niſi cum interrogatione hæc legantur, contrarium à Seneca dicetur ei quod expectant lectores, & quidem ei quod præcedentibus conſentaneum eſt. Itidémque de hoc aſſenſuros mihi omnes puto, epiſt. XCIX, *Cum amico efferts amicitiam.* Nam poſt *amicitiam* ſi interrogationis notam poſueris, perinde erit acſi dixiſſet Seneca, *Itáne cum amico effers amicitiam?* & aptè orationis forma continuabitur: quũ præcedat, *Tot annis, tanta coniunctione vitæ, tam familiari ſtudiorum ſocietate nihil actum eſt?* Scio tamen in illa etiam Romana editione legi, *Cum amico effers amicitiam,* abſq; illa nota. Minus verò de hoc loco dubito, libri ſecundi De benefic. capite XXVI, in fine, *In turbam coniectus ſum, tam exiguo dignum me indicauit. honeſtius præterire fuit.* vel

(vt in

(vt in aliis legitur) *præteriri.* Nam ſcribendum eſſe dico cum interrogatione, *Tam exiguo dignum me iudicauit?* Sic initio capitis quinti, libri quarti operis eiuſdem, quum ſcriptum ſit, *Non dat Deus beneficia. Vnde ergo iſta quæ poſſides?* ego interrogatiuè ſcribo, *Nō dat Deus beneficia?* vt perinde ſit acſi diceret, Itáne tandem ais Deum beneficia non dare? Alioqui neceſſe foret addi verbum Inquis. Adiiciam & locũ ex epiſt. LXXVI, *Valet, & leones: formoſus eſt, & pauones: velox eſt, & equi,* libentius ſcripſerim, *Valet? & leones: formoſus eſt? & pauones: velox eſt? & equi.* Quod autem de hoc loco idem & de iſto dicendum eſt, qui eandem orationis formam habet, libri tertij De ira, cap. XXXI, *Omnes viciſti: primum te eſſe in animo amici tui lætare. Multi te vincunt: conſidera quanto antecedas plures quàm ſequaris.* Scribendum eſt enim, *Omnes viciſti?* & *Multi te vincunt?* Melius fortaſſe ita legerentur & hæc, quæ ſunt initio capitis XX, De vita beata, *Non præſtant philoſophi quæ loquuntur.* Et iſta capitis XXVIII, circa finem, *Deſeris partes.* Hæc quoq; epiſt. CII, *Hæres & reluctaris.* Ibidem, *Gemis & ploras.*

Viciſſim autem interrogationis notam malè poſitam quibuſdam in locis ſuſpicor. Ex eorum numero eſt hic, epiſtola

LXXXI, Hoc aliquis inter illa numerat quę videmur inopinata omnibus dicere. παράδοξα Græci vocãt: & ait, *Nemo ergo ſcit præter ſapientem referre gratiam? ergo nec quod debet creditori ſuo reponere quiſquam ſcit alius? nec, quum emit aliquam rem, pretium venditori perſoluere?* Nã primum tantùm membrum interrogatiuè legendum arbitror, cętera duo pronuntiatiuè: hoc ſenſu, Itáne verò nemo præter ſapientem gratiam ſcit referre? Si hoc ita eſt, certè nec creditori ſuo quiſquam alius quod debet ſcit reponere: nec, quum emit aliquam rem, pretium venditori perſoluere. Vide autem annon addẽdus ſit & iſte locus ex epiſt. LXXV, *Quando multa diſces? quando quæ didiceris, affiges tibi ita vt excidere non poſſint? quando illa experieris?* Nam hæc, *quando quæ didic.* &c. videntur eſſe reſpõdentis. Sic epiſt. LXXXI, in principio, *Ita, ne apud alium pereant, apud te peribunt?* quum pronuntiatiuè hæc efferri malim: perinde acſi diceret, Atque ita fiet vt apud te pereant, dum times ne apud alium pereant. At verò capite XVIII, De vita beata, ne dubitandum quidem puto quin ineptè poſita ſit, (quamuis & illa editio Rom. cã habeat) interrog. nota, *Expectabo ſcilicet vt quidquam maleuolentiæ inuiolatum ſit, cui ſacer nec Rutilius fuit, nec Cato?*

Scilicet

Scilicet interrogationi adhibetur *Scilicet.*

Alicubi verò interrogationis nota lõgius quàm oportebat ab orationis principio remota, corrumpendi loci occaſionem præbuit. vt contigiſſe videmus epiſt. LXXVII, *Quid eſt aliud quod tibi eripi doleas? Amicos & patriam? Tanti enim illam putas vt tardius cœnes, ſolémque ſi poſſes extingueres?* Quis enim locum hunc deprauatum eſſe neget? aut quis, ſi id negare velit, ex eo ſe extricet? At ſi hunc in locum reſeruata illa interrogationis nota non fuiſſet, nequaquã fortaſſe illum ita corrumpi contigiſſet. Seneca enim illum ita (ſi qua veteri exempl. fides) ſcripſit, *Tanti enim illum putas vt tardius cœnes? Solem, ſi poſſes, extingueres.*

CAPVT V.

De mimetica orationis forma, quæ ſæpe apud Senecam occurrit.

De ijs quæ per obiectionem dicuntur, & quæ ad eam reſpondentur. Item De fictionibus.

SED ab interrogatiua orationis forma ad mimeticam veniã, de qua lectorem à me ſic admoneri, vt ei ſubrepere non poſſit, non parui eius refert: præſertim quum ex abrupto plerunque ad eam deſcendat: ſicut vel ex eo apparet loco quem pagina

131 attuli,vbi omiſiſſe Senecam oſtendi quæ mimeticum ſermonẽ eſſe indicarent. Eius loci mentionem hîc quoque faciam,vt cum eo conuenire alios quos adiungam cognoſcat. Eſt igitur ex capite XXXI libri De ira III, *Tanta tamen importunitas hominum eſt vt quamuis multum acceperint, iniuriæ loco ſit plus accipere potuiſſe. Dedit mihi præturam: ſed conſulatum ſperaueram.* Nam ante hæc verba, *Dedit mihi præturam,* ab alio ſcriptore expectaſſemus, *Adeo vt ſit qui dicat.* vel, *Audies enim qui dicat.* vel, *Non rarò enim inuenitur qui dicat.* aut certè alia huiuſmodi.

Alios autem huic ſimiles ſubiuncturus (vt promiſi) locos, à tribus incipiã, qui mimeticum vna eadémq; de re ſermonem habent. Legimus enim, libri II, De benef. capite XXVI, *Nemo non benignus eſt ſui iudex. Inde eſt vt omnia meruiſſe ſe exiſtimet, & in ſolutum accipiat, nec ſatis ſuo pretio ſe æſtimatum putet. Hoc mihi dedit: ſed quàm ſerò, ſed poſt quot labores. Quanto conſequi plura potuiſſem, ſi illum aut illum, aut me colere voluiſſem. Non hoc ſperaueram. In turbam coniectus ſum. Tam exiguo dignum me iudicauit? honeſtius præterire fuit.* vel (vt in aliis exempl.) *præteriri.* Hîc enim vides, illũ, itidem abſq; vllo colligationis (vt ita dicam) adminiculo, expoſtulatoria vnius (in perſona multorum)

rum)verba proponere: quum illis præfigere hæc poſſet (ſicut à pleriſque aliis factum, vt opinor, fuiſſet) Ideóque in has querelas erumpat: vel, ad has querelas deſcendat. vel, Ideóque ita expoſtulet. Nam quicunque locum hunc ita ſcriptum legeret, *Inde eſt vt omnia meruiſſe ſe exiſtimet, & in ſolutum accipiat, nec ſatis ſuo pretio ſe æſtimatum putet: ideóque ad has querelas deſcendat, Hoc mihi dedit, ſed quàm ſerò, ſed poſt quot labores.* &c. Quicunque inquam locum hunc ita ſcriptũ legeret, minimũ vel potius minimè laboraret: quoniam de tranſitu ad orationem mimeticam ab ipſomet autore admoneretur. Verùm, quamuis non hoc ſolùm illius ellipſis proponam ſupplementum (ſi ita vocare licet) ſed alia etiam duo: videlicet, *Ideóque in has querelas erumpat:* aut breuius, *Ideóque ita expoſtulet:* tamen non inficior, aliis etiam fortaſſe verbis vſurum Senecam potius fuiſſe: ſed ita vt ea nihilominus futura fuiſſe putem eiuſmodi quæ hunc aut non diſſimilem ſenſum efficerent. Ad illa autem quæ per mimeſin afferuntur ab illo verba quod attinet, prætterire hoc nolo, iſta, *ſed quam ſerò, ſed poſt quot labores*, legi etiam interrogatiuè: quibuſdam verò placere vt ſint admiratiuè dicta: ſed indignantis exclamationem eſſe potius dico. Sic autem &

in fine capitis xxvii, quod proximum eſt, *Omnibus his vehementius & importunius malum eſt inuidia: quæ nos inquietat, dum comparat. Hoc mihi præſtitit: ſed illi plus: ſed illi maturius. & deinde nullius cauſam agit, contra omnes ſibi fauet.* Nam ſi dixiſſet, *Quæ nos inquietat, dum cum alÿs comparans, dicit, Hoc mihi præſtitit: ſed illi plus:* ſi(inquam) aut hęc aut ſimilia præfixiſſet, minimè (vti iam dixi) lectori reliquiſſet in quo laboraret. Verùm & aliud hîc conſiderandum eſt, nimirum mimetica verba tanquam per parentheſin interiici. nã omiſſis illis, ita cohæret oratio, *quæ nos inquietat dum comparat: deinde nullius cauſam agit, contra omnes ſibi fauet.* Atque hæc omnia de inuidia dicuntur: quam quum nullius agere cauſam, ſed contra omnes ſibi fauere ait, intelligit, (vt hunc locum in tranſitu exponam) nullum defendere, maiore illum fuiſſe dignum beneficio, hac vel illa de cauſa, fatendo. De verbo autem *Comparat* dicam & paulo pòſt. Cæterùm poſſit hîc ex eo quod de inuidia dicit, ſupplementi etiam materies à nobis peti: hoc modo, *quæ nos inquietat, dum comparat. Hæc enim nobis ſuggerit.* vel, *Hæc enim nos ad hæc verba impellit.* vel, *ad hanc expoſtulationem impellit.* Vel, *Hæc enim facit vt iſta audiamus.*

Tertius

Tertius autem locus,qui cum hiſce duobus optimè conuenit,eſt iſte,libri tertij De ira,capite x x x I, *Tanta tamen importunitas hominum eſt, vt quamuis multum acceperint, iniuriæ loco ſit plus accipere potuiſſe.Dedit mihi præturam: ſed conſulatum ſperaueram. Dedit duodecim faſces, ſed non fecit ordinarium conſulem. A me num.*&c. Hic certè duæ voculæ interiectæ, inter iſta, *accipere potuiſſe,* & illa,*Dedit mihi,* poterant ea inter ſe connectere: hæ inquam voculæ, *Dicunt enim.* Cæterùm & capite quod proximè præcedit, illius comparationis de qua paulo antè dictum fuit,mentionem facit:vbi etiam remedium aduerſus hãc noſtram indignationem proponit. Nam hæc ab eo dicuntur, *Chariſſimis enim iraſcimur,quòd minora nobis præſtiterint quàm mente cõcipimus, quàm quæ alij tulerint* (ſed *concepimus, aut quam quæ alij tulerint,*ſcribendum puto)*quum vtriuſque rei paratum remedium ſit, Magis alteri indulſit: noſtra nos ſine cõparatione delectent.Nunquam erit felix quem torquebit felicior.Minus habeo quàm ſperaui: ſed fortaſſe plus ſperaui quàm debui.* Sic autem potius legendum eſt quàm (vt quibuſdam placet) cum interrogatione, *Minus habeo quàm ſperaui?* Nam particula *ſed,* quæ ſtatim ſequitur, oſtendit perinde eſſe acſi dixiſſet, *Habeo quidem mi-*

nus quàm ſperaui , ſed fortaſſe plus ſperaui quàm debui. Qui autem hoc poſterius interrogatiuè legendum cenſuerant, itidem & illud prius: ita vt, eos ſequendo, legere debeamus, *Magis alteri indulſit?* Verùm eadem orationis forma vtrobique vſum eſſe negari non poteſt. Ac poteſt certè hîc itidem intelligi à nobis, *Magis quidem alteri indulſit: ſed noſtra nos ſine comparatione delectent.* Cæterùm & hoc animaduerte, duplex remedium duplici cogitationi indignantium adhiberi: ſed ordine præpoſtero. Nam hæc priora, *Magis alteri indulſit: noſtra nos ſine comparatione delectẽt*, reſpiciunt ad illud poſterius, *quàm quæ alij tulerint.* Ibi autem obſerua illa verba, *ſine comparatione*, quę ex collatione etiam cum eo quem paulo antè attuli loco ex fine cap. XXVII, libri ſecũdi De beneficiis, intelligi à nobis debent: ſed quum illic *comparat* de comparatione perſonarum dici videatur, hîc ad rerum comparationem reſpicere manifeſtum eſt.

Addam & hunc locum capitis XXIIII, libri De ira II, *Tollenda ex animo ſuſpicio & coniectura, fallaciſſima irritamenta. Ille me parum humanè ſalutauit. Ille oſculo meo non adhæſit. Ille inchoatum ſermonem citò abrupit. Ille ad cœnam non vocauit. Illius vultus auer-*

ſior

ſior viſus eſt. Vbi itidē varia Senecam huic mimeticæ orationi præfigere potuiſſe conſtat, vt ex abrupto ad eam non veniret. Potuit enim dicere, *Tollenda ex animo ſuſpicio & coniectura, fallaciſſima irritamenta. Ac neque dicendum neque cogitādum eſt, Ille me parum hum. ſalutauit.* Vel hoc modo, *Toll. ex animo ſuſp. & coniect. fallac. irritamenta: vt ad iſta non veniamus, Ille me parum hum.* Aut etiam ita, *Ex illis enim iſta proficiſcuntur, Ille me parum hum.*

Alicubi autē dubitari poteſt vnde oratio mimetica initium habeat. vt in fine capitis octaui, libri ſecundi De beneficiis, ambigi poteſt an illa incipiat ab his demum verbis, *Beneficium non eſt cuius ſine rubore meminiſſe non poſſum:* an ab iſtis, *Non eſt illud liberalitas.* Quum autem ſæpe ſermonem ſuum per apoſtrophen conuertat Seneca ad eam quam ſibi fingit perſonā, id facit nonnunquam & poſt verba quæ per mimeſin ponuntur. vt libri III De ira, cap. XXXI, *Conſummauit dignitatem meam: ſed patrimonio nihil contulit. Ea dedit mihi quæ debebat alicui dare, de ſuo nihil protulit. Age potius gratias pro ijs quæ accepiſti. Reliqua expecta: & nondum pl.* &c. Nam ab his verbis, *Age potius gratias*, incipit apoſtrophe Senecæ ad eum quem conquerentem introduxit.

Obiectiones quoque eadẽ orationis forma paſſim occurrunt: id eſt, oratione ita ſumente ex abrupto perſonam alicuius qui obiectionem quampiam proponit. Nam interdum quidem verbum *inquis* (quod plurimis in locis deprauatum eſſe in *inquit*, poſtea docebo) obiectionem eſſe indicat: & aliquando, rariſſimè tamen, præfigit, *Dicet aliquis:* ſed non pauci etiam ſunt loci quibus non aliud quàm aliquam particulam præfigit: videlicet *At*, vel *Atenim*, vel *Atqui:* aut *Sed:* nec rarò voculas, *Quid ergo*, aut, *Quid igitur*. Vt autem à particula *At* initium ſumam, legimus libri primi De beneficiis capite primo, circa finem, *Demus beneficia, non fœneremus. Dignus eſt decipi qui de recipiendo cogitauit, quum daret. At male ceſſit. Et liberi & coniuges ſpem fefellerunt, tamẽ & educamus & ducimus.* Nam hæc verba, *At male ceſſit*, per obiectionem dicuntur. Ad quam reſpondent quæ proximè ſequũtur, *Et liberi & cõiuges ſpem fef.* Sic epiſtola XLII, *At malè exiſtimat de malis.* Et pauculis verbis interiectis, *At odit eos qui ſubita & magna potentia inſolenter vtuntur.* Sic initio capitis XV, libri primi De ira, *At corrigi nequeunt.* Sic in principio noni, *At irati quidam conſtant ſibi, & ſe continent.* Alicubi verò *Atenim.* vt epiſt. XIII,

Atenim

Atenim futurum eſt. Sic & caput ſeptimum Cõſolationis ad Marciam ab hoc inchoat, *Atenim naturale deſiderium ſuorum eſt*. Cui obiectioni reſpondetur, *Quis negat? quamdiu modicum eſt.nam in diſc.*&c. Aliquando autem,& quidem multo frequentius,*Quidni* tali reſponſioni adhibetur. Verùm,vt de illis voculis, à quibus obiectio initium habet, dicere pergam, nonnunquam & *Atqui* hoc officium præſtat. Interdum etiam *Sed*. vt epiſt. x c i x, *Tamen de eo queruntur omnes, in quo vno nemo decipitur.Sed puer deceſſit. Nondum dico , melius agi cum eo qui vita defungitur*. Nã obiectionis verba hæc ſunt, *Sed puer deceſſit*, Illæ autem voculæ *Quid ergo*, & *Quid igitur*, (de quibus & antea dictum fuit)paſſim hoc officio fungũtur. Atque vt primũ proponam eum locũ qui primus occurrit, legimus, capite x v i, De vita beata , *Quid ergo ? virtus ad viuendum beatè ſufficit, perfecta illa & diuina ?* Et reſpondetur, *Quidni ſufficiat ?* Sic libri primi De Irà capite v, *Quid ergo? non aliquando caſtigatio neceſſaria eſt?* Vbi eadẽ illa particula Quidni reſponſioni adhibetur. Sequitur enim *Quidni? ſed hæc ſincera cum ratione*. Libri eiuſdem capite nono,obiectio prima eſt, *At irati quidam conſtant ſibi, & ſe continent*. Ad quam reſpondetur, *Quomodo? quum iam ira*

euaneſcit. &c. Secunda autem, *Quid ergo? non aliquando in ira quoque & dimittunt incolumes intactóſque quos oderunt, & à nocendo abſtinent?* Cui obiectioni reſpondetur, *Faciunt. Quomodo? quum affectus repercuſſit affectum.* Eodem modo Quid igitur, initio capitis quarti diſputationis, Quòd iniuria in ſapientem non cadit, *Quid igitur? non erit aliquis qui ſapienti facere tentet iniuriam?* Et reſpondetur, *Tentabit: ſed non peruenturam ad eum.* Verùm in vulgar.edit.malè ſcriptũ eſt, *Quid igitur, non erit aliquis qui ſap.* &c. continuatis hiſce duabus voculis cum ſequentibus. Sed & in aliis locis in particulis *Quid ergo* eodem peccatum eſſe modo, antea oſtendi. Ne hoc quidem omittam, inueniri etiam *Quid ergo* in duobus locis contiguis, & deinceps *Quid* in quatuor locis. Nam hoc eſt principium capitis XVII, libri tertij De beneficiis, *Quid ergo? impunitus erit ingratus? Quid ergo? impunitus erit impius? Quid malignus? Quid auarus? Quid impotens? Quid crudelis?* Sæpe autem obiectionis eſt index & vocabulum *inquis.* veluti in quadã epiſtola, *Quid ergo? (inquis) obliuiſcar amici?* Sed malè alibi ſcriptum eſſe, *Quid ergo inquis*, quum *inquis* eodẽ quo illic pacto per parentheſin interiectum ſit, docui pagina huius libelli 139.

Hîc

Hîc porro admonendus mihi eſt lector de illo verbo *inquis*, eius ſedem infinitis propè in locis à verbo *inquit* occupari apud Senecam. Nam de hoc commonefactus à doctiſſimo viro, Iacobo Dalechampio, poſtea verum eſſe comperi. Ac initio quidem non minus veriſimile videbatur, *inquit* pro *inquiunt* perperam ſcriptum eſſe: ſed non paucos in locos incidi in quibus rectam ſcripturam eſſe *inquis*, fateamur neceſſe eſt: quoniam ſecundæ non tertiæ perſonæ verbum deinceps ponitur. Exemplum primum erit initium capitis ſecundi libri quarti De beneficiis, *Non eſt, inquit, voluptas ſine virtute*. Nam ita in Romana etiam illa editione legitur: quum tamen ſequatur, *De ordine putas diſputationem eſſe? de re tota & de poteſtate eius ambigitur*. Et tamen rurſum habes paulo pòſt, *Quid, inquit, tua refert?* Sic capitis XIX libri tertij De beneficiis, hoc principium eſt (quum tamen aliud eſſe deberet) *Quia non poteſt, inquit, creditor domini ſui fieri, ſi pecuniam illi dederit*. Nam ſcribendum eſſe *inquis*, apparet ex verbo *dic*, quod ſequitur, *Interim dic mihi*. Sic & alibi itidem perſonam ſecundam ſequi videbis, quamuis præcedat *inquit*. Cuius rei exemplũ & hoc in loco habes epiſt. LXXXVIII, *Paterno agro (inquit) & auito expellor. Quid?*

ante auum tuũ quis iſtum agrum tenuit? Nam ex pronomine *tuum* liquet ſcribendum eſſe *inquis:* vt omittam, præcedere *doces*, & alia ſecundæ perſonæ verba. Atq; adeo in principio capitis vltimi libri quarti De benef. ſcribit, *Idem etiam illa in quæſtione reſponſum exiſtima:* non autem *exiſtimet*. Et tamen in capitis proximè præcedentis principio illud *inquit* itidem legitur: quamuis alioqui in eodem capite ſecundam perſonam non tertiam habeamus. Et verò in aliis etiam paſſim locis illa, non hæc, occurrit: vt cap. x, libri De benef. I I I, *Dic enim intra quod tempus depreh*. Sic cap. x I I, *inuenies qui nihil putet eſſe iucundius*. Sic deniq; alibi *vide:* vt initio cap. x x I x, libri I I, & x x x v, *Itaque attende. Iam intelligis, nihil me, quod opinio tua refugiat, dicere*. Fateor tamen videri poſſe in his & huiuſmodi locis cōpellari Liberalem: quem nominari videmus non ſolùm initio libri primi, ſed alibi etiam, & quidem initio capitis x x x, libri ſecundi, *Hæc, mi Liberalis, neceſſaria credidi vt dicerem.* Sed *inquis* tamen quum dicit, ad eum reſpicere non puto, verùm ad illum aduerſus quem diſputationem inſtituit, quicunque tandem is ſit quem ſibi aduerſarium proponit. Nam & in cęteris omnibus libris hoc *inquis* itidem habemus, & quidem in

inquit

inquit plerunque deprauatum. Nam eſſe veram lectionem *inquis* ex aliis etiam apparet qui non rarò occurrunt locis, qui hoc non illud in obiectione habent: quorum è numero eſt is quem paulo antè attuli, *Quid ergo? (inquis) obliuiſcar amici?* Neque tamen negauerim fieri etiam poſſe vt alicubi non *inquis*, ſed *inquiunt* ſcripſerit: ſicut legimus *interrogant*, initio capitis XXVI, libri De beneficiis quarti, *Hoc loco interrogant an vir bonus daturus ſit beneficium ingrato.*

LOCI etiam nonnulli fortaſſe occurrēt, qui ne particulam quidem vllam obiectionis indicem habeant: ſed hoc librario potius quàm Senecæ imputandum erit: ſicut vocula *Ac* pro *At* alicubi poſita ab iis qui obiectionem eſſe ignorabant. Quinetiam quædam alicubi infarſerunt in ſuperioris temporis editionibus, ex margine ſumpta: quæ deeſſe videbantur iis qui perſonæ mutationem non animaduertebant, oratione à Senecæ perſona ad perſonam eius qui aliquid obiiciebat tranſeunte. Siue autem in obiectione, ſiue in mimeſi (quamuis alioqui & in obiectione ſit mimeſis) cōſideranda ſunt diligenter quæ præcedūt, & quidem in hac præſertim. Exempli gratia, capite vndecimo libelli De tranquillitate animi legimus, *Non putaui hoc futurum: nunquam hoc*

euenturum credidiſſem. quæ minus videbuntur ex abrupto afferri, ſi conſideremus hæc quæ proximè præcedunt, *Serò animus ad periculorum patientiam poſt pericula inſtruitur.* Nam hæc, *Non putaui hoc futurũ, Nunquam hoc euenturum credidiſſem,* ſubiungũtur tanquam exempla eorum quæ dici ſolent ab iis qui illud peccant cuius mentionem fecit: qui (inquam) ſerò animum ad periculorum patientiam poſt pericula (id eſt, poſtquam inciderunt in pericula) inſtruunt: non autem contrà, quoniam quidquid fieri poterat, quaſi futurum proſpexerunt, ideo malorum omnium impetus molliunt.

Interdum autẽ obiectionis & reſponſionis ad illam verba non facilè diſcernuntur, (præſertim vbi ab vna obiectione ad aliam tranſitur) niſi quis diligenter attendat. Sed præmonitus à me ſit lector, verba hæc, *vt ſcias,* interdum obiectioni abhiberi. Atque hoc videre eſt in duobus contiguis locis initio capitis tertij libri primi De ira, *Iraſcimur (inquit) ſæpe non illis qui læſerunt, ſed his qui læſuri ſunt. Vt ſcias, iram non tantùm ex iniuria naſci, verùm & iraſci nos læſuris. Sed ipſa cogitatione nos lædunt, & iniuriam qui facturus eſt, iam facit.* Nam hæc verba, *vt ſcias, iram non tantùm ex iniuria naſci*, eius ſunt à quo affertur obiectio: perinde acſi diceret,

Quod

Quod argumento tibi eſt, iram nõ tant. &c. vel, Vnde manifeſtum tibi eſſe poteſt, iram non tant.&c. Ideóque malè in ſuperioris temporis editionibus ſeparata fuerũt à præcedentibus hæc verba, quum poſita ſit ſtigme teleia poſt *læſuri ſunt*,& litera maiuſcula ſcriptum ſit, *Vt ſcias*,&c. Sed maior etiam deprauatio hunc locum inuaſit,ex illa pendens. Nam obiicientis & ad obiectionem reſpondentis verba permixta fuerunt. Ita enim ſcribendus eſt hic locus, *Iraſcimur (inquis) ſæpe non illis qui læſerunt, ſed ijs qui læſuri ſunt: vt ſcias iram non tantùm ex iniuria naſci. Verum eſt, iraſci nos læſuris: ſed ipſa cogitatione nos lædunt: & iniuriam qui facturus eſt, iam facit.* Atque his ſubiunguntur iſta,quę ſunt aliam obiectionem afferentis, *Vt ſcias, inquit* (ſed hîc quoque in *inquis* muta) *non eſſe iram pœnæ cupiditatem, infirmiſſimi ſæpe potentiſſimis iraſcuntur: nec pœnam concupiſcunt quam non ſperant.* His verò proxima ſunt iſta, *Primùm, diximus, iram cupiditatem eſſe pœnæ exigendæ, non facultatem.* quæ ſunt poſteriori oppoſitioni obuiam euntis. Hoc autem loquendi genus valere id quod dixi,& huiuſmodi ſolere locis adhiberi, lectio huius ſcriptoris oſtendet. Inuenies certè initio capitis xv, libri De ira II, *Vt ſcias (inquit) an ira habeat in-*

ſe generoſi aliquid, liberas videbis gentes quæ iracundiſſimæ ſunt. Sed & ipſe Seneca, in perſona ſua loquẽs, ſæpe vtitur. Sic libri quarti De benef. capite XVIII, ſtatim initio, *Vt ſcias per ſe expetendam eſſe grati animi affectionem, per ſe fugienda res eſt ingratum eſſe.* Eſt autem ellipticum hoc loquendi genus: (cuius & antea mentionem feci) ac perinde eſt, vt opinor, acſi diceretur, Vt ſcias per ſe expetendam eſſe grati animi affectionem, conſidera per ſe fugiendam rem eſſe ingratum eſſe. Sic epiſt. XCVII, *Alioqui, vt ſcias ſubeſſe animis, etiam in peſſima adductis, boni ſenſum, nec ignorari turpe, ſed negligi, omnes peccata diſſimulant.* Q. d. Vt ſcias ita ſe rem habere, conſidera (vel cogita) omnes peccata diſſimulare. Vel ita, Rem ita ſe habere ſcies, ſi cõſideres (vel, ſi cogites) omnes peccata diſſimulare. Idémque & de locis præcedentibus dicendum. Sed & in Conſol. ad Marciam, cap. VII, *Vt ſcias autem non eſſe naturale, luctibus frangi, primùm magis fœminas quàm viros, magis barbaros quàm placidos eruditæq; gentis homines, magis indoctos quàm doctos, eadem orbitas vulnerat.* Alicubi etiam dicit, *Vis tu ſcire*, vt cap. quod proximè ſequitur. Interdum, *Hoc vt eſſe verum ſcias.* Item, *Hoc vt ſcias ita eſſe.* Atque ita ſcribendum eſt epiſtola LXVI. nam quum ibi le-

ibi legamus, in omnibus editionibus quæ Romanam præceſſerunt, *Hoc ſcias ita eſſe ad omne pulchrum, vir bonus ſine vlla cunctatione percurret:* legendum eſt, *Hoc vt ſcias ita eſſe, ad omne pulchrum vir bonus ſine vlla cunctatione percurret.* Niſi fortè & *percurret* in *procurret* mutandũ eſt: vt certè ſuſpicor.

Hactenus de locis qui mimeſin vel obiectionem, ideóque perſonæ mutationem habent: vtpote oratione à Senecæ perſona (vt antea dixi) ad perſonam eius tranſeunte qui obiectionẽ vel aliud quidpiam interloquitur. Sicut autem perſonæ ita etiam numeri mutatio apud hunc ſcriptorem faceſſere negotium poteſt: quòd & frequentior & alicubi audacior etiam fortaſſe quàm apud alios occurrat.

FICTIONES, quibus gaudere Senecam quidam dixerunt, ad illum de obiectionibus ſermonẽ pertinere videri poſſunt, quòd in iis plerunque & obiectiones proponantur: quemadmodum in illarum (fictionum inquam) exemplis lector videbit.

Vt omittam, nos, qúum aliquem hoc vel illud obiicientem & iis quę diximus opponentem introducimus, ſine fictione nequaquã hoc facere. Vnde legimus apud Quintilianum, capite ſecundo libri noni, *Eſt & incerta perſona ficta oratio, Hîc aliquis. &,*

Dicat aliquis. Talia enim obiectionis verbis præfigi ſolent.

Sed quum de iis iam antea admonitum fuiſſe lectorem compererim, non meis tantùm, ſed aliorum etiã (aut ſaltem alius) verbis, te commonefaciam. Itaque ſic habeto: prodiiſſe anno M. D. XXIX, ex officina Frobenij (diligentis & magna laude digni, vt tẽpora erant, typographi) editionem Senecæ, quæ cùm alia quędam margini annotata habet (quæ poſtea referam) tum verò iſta, in principium ſeptimi capitis, libri De beneficijs ſexti, *Notat hoc Quintilianus, quòd ex conſuetudine ſcholæ declamatoriæ, fingimus manifeſtò falſa: facit autem hoc & aliàs frequenter Seneca.* Capitis autem huius iſtud eſt initium, *Vultus tuus, cui regendum me tradidi, colligit rugas, & attrahit frontem, quaſi longius exeam. Videris mihi dicere,*

Quò tantum mihi dexter abis? huc dirige curſum. Littus ama.

Non poſſum magis. Itaque ſi huic ſatisfactum exiſtimas, illò tranſeamus, an ei deb. Quam annotationem (de qua paulo pòſt dicam quid mihi videatur) eo magis dignam cenſui cuius mentio à me fieret, quòd in annotationibus Mureti Romanæ editioni quæ nuper prodijt, adiectis, eam non contemnendam & ab erudito aliquo profectam exiſti-

exiſtimari videam. Sed ad hunc Fabij locum pertinere illa Senecæ, id eſt, eius quam dicit fictionis exemplum eſſe, neſcio an aſſentiri debeam. Rationem autem hanc affero, (quam non parui lectoribus ponderis futuram exiſtimo) quòd quum dicit Seneca *Vultus tuus cui regendum me tradidi, colligit rugas, & attr.* &c. non loquitur de vultu, tanquam de eo cogitare, in mentem illi repentè venerit: ſed vt ſtet promiſſio. Dixerat enim initio huius libri ſuo Liberali, *Ex vultu igitur tuo pēdebo: prout ille ſuaſerit mihi, alia detinebo diutius, alia expellā.* Quum autē dicit, *Ex vultu tuo pēdebo*, perinde eſt acſi eo quo hîc loquens modo, dixiſſet, Vultui tuo regendū me tradam. Neq; enim dubium eſt quin verba hæc, *cui regendū me tradidi*, ad illa reſpiciāt. Neq; tamen fictionem eſſe negauerim, ſed fictionem haud ſimpliciter, verùm ex precedentibus pendentē, vocauerim. Quod porro de loco illo, idē & de iſto dicendū fuerit, qui eſt in principio cap. x i i, libri eiuſdem, *Intelligo iam quid velis quærere: non opus eſt te dicere, vultus tuus loquitur.*

At verò dicere idem de iſta fictione non poſſumus, quæ eſt in libello quo iniuriā in ſapientem non cadere probat (probare quidem certè conatur) *Videor mihi intueri animum tuum incenſum & efferueſcentem. paras*

acclamare, Hæc ſunt quæ autoritatem præceptis veſtris detrahant. Magna promitt. &c.

Quod autẽ fingit initio capitis XVI, Conſolationis ad Marciam, *Scio quid dicas. Oblitus es fœminam te conſolari, virorum refers exempla.* Iſtud (inquam) quod hîc fingit, magis ex conſuetudine aliorum etiam ſcriptorum eſt quàm illa: quum ſoleant & ipſi obiectiones quas in mentem auditori vel lectori venire poſſe arbitrantur, proponere.

Cæterùm & hoc de fictionibus Senecæ addendum eſt, eas tam Eraſmo diſplicuiſſe quàm Mureto videntur placuiſſe. Nam Eraſmus, poſtquam dixit queri Quintilianum, quòd quidam vitia ſua, quibus in declamãdo aſſueuerant, in forum & ad ſerias actiones detulerint, reorum graui periculo, dum patronus mauult cauſam, quàm iocum aut ſchema, perdere, nonnunquam cũ riſu quoque iudicum & coronæ: addit, Senecam taſia quædam in ſuos libros retuliſſe, & inter alia, fictiones illas palam falſas, quibus frequenter vtitur, *Video quid velis. Poſthac pendebo de vultu tuo. Quanquam Nouatus frontem contraxit.*

De lo-

CAPVT VI.

De locis in quibus ad præcedentia pertinent quæ tamen ali us ſermonis eſſe principiũ, aut ſaltem ad ſequentia ſpectare, & illis iungenda eſſe videri queunt, aut etiam iuncta illis ſunt.

Item, De ijs in quibus viciſſim ex præcedentibus pendere exiſtimantur, aut etiam ijs iuncta ſunt in pleriſque libris, quæ ad ſequentia referuntur, interdum etiam quæ ſunt ad alium ſermonẽ tranſeuntis.

AD TERTIVM illud venio quod initio primi cap. huius libri propoſui. & de quo me dicturũ promiſi: eſſe quæ referri debeant ad præcedẽtia, quippe quæ ad illa pertineãt: quũ tamen ab illis ſeiungenda per interpunctionẽ putentur, aut etiam ſeiuncta in quamplurimis libris inueniantur: itidémque eſſe viciſſim quæ ad ſequentia pertineãt, quum ad præcedentia ſpectare exiſtimentur.

Prius illud ſibi aptiſſima exempla habere poſſet, (ſi quidem loquendum ſit de iis locis in quibus malè illa etiam quam dixi coniunctio facta eſt) initia quorundam capitum, quorum tamen prima verba ad finem præcedentium capitum pertinent, atque adeò cum illis cohærent: vt dicere poſ-

ſumus de his verbis, initio capitis xxx, libri De ira III, *Friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad vmbram aſpis exurgit.* &c. Sed quantum hac in re non ſolùm in huius capitis ſed aliorum etiam principio peccatum ſit, (& quidem in illa quoque Romana editione quæ nouiſſimè prodiit) ibi oſtendam vbi de capitibus diſſeram quibus malè ſua initia fuerunt aſſignata. Quamobrem illis exemplis in locum illum reſeruatis, alia proferam: & quidem incipiens ab epiſtola CII. nam ibi legimus in editionibus quæ Romanam præceſſerunt, *Putas tu poſſe ſententiam vnam omnium eſſe? Non eſt. Vnius vna ſententia eſt. Illis placet verum.* quum ſcribendum ſit, *Non eſt vnius vna. Illis placet verum.* Nam quum falſum ſit illud, vnius vnam eſſe ſententiam: cõtrà hoc, non eſſe vnius vnam, etiam Horatius (ſi tamen cuiuſquam nobis teſtimonio opus eſt) teſtatur,

Iidem eadẽ poſſunt horam durare probãtes?

At verò in principio capitis tertij libri primi De ira, maior etiã interuenit deprauatio. Nam ita legitur in illis quas dixi editionibus, *Iraſcimur, inquit, ſæpe non illis qui læſerunt, ſed his qui læſuri ſunt. Vt ſcias iram non tantùm ex iniuria naſci, verùm & iraſci*

nos

nos læſuris. Sed ipſa cogitatione nos lædunt: & iniuriam qui facturus eſt, iam facit. Vides enim, hæc verba, *vt ſcias*, & quæ proximè ſequuntur, ſequentibus iungi, aut ſaltem à præcedentibus ſeparari: & tamen ad hæc pertinent. quod non animaduerſum maioris etiam deprauationis occaſionem præbuit. Ita enim ſcribendus eſt hic locus, *Iraſcimur (inquis,* non *inquit) ſæpe non illis qui læſerunt, ſed ijs qui læſuri ſunt: vt ſcias, iram non tantùm ex iniuria naſci. Verum eſt iraſci nos læſuris: ſed ipſa cogitatione nos lædunt: & iniur.*&c. Nam hîc (vt capite pręcedenti docui) habemus & obiectionem & reſponſionem ad illam. Qui obiicit, dicit, Iraſcimur ſæpe non illis qui læſerunt, ſed iis qui læſuri ſunt: quod tibi argumento eſt, iram nõ tantùm ex iniuria naſci. Huic autem reſpondetur, Verum eſt quod ais, nos læſuris etiã iraſci: ſed ij à quibus nos læſum iri nouimus, iam nos ipſa cogitatione lædunt: & iniuriam qui facturus eſt, ipſa iam cogitatione facit. Minimè enim dubito quin hoc vocabulum ſubaudiri hîc debeat: & haud ſcio an etiam omiſſum à librario fuiſſe dicendum ſit, vt alibi docebo. De hoc porro genere loquendi, *vt ſcias*, & ſimilibus, dictum à me in præcedenti capite fuit.

Quinetiã in fine epiſt. XLI, malè ſequen-

tibus iunctã fuerunt, quæ ad antecedentia ſpectant. Legimus enim in iis quarum mentionẽ feci typographicis editionibus, *Lauda in ipſo quod nec eripi poteſt, nec dari. Quod proprium eſt hominis quæris quid ſit? Animus, & ratio in animo perfecta.* Hæc enim *quod propriũ eſt hominis*, ad pręcedentia ſpectant: ita vt locus iſte ſic legendus ſit, *Lauda in ipſo quod nec eripi poteſt, nec dari: quod proprium eſt hominis. Quæris quid ſit? Animus, & ratio in animo perfecta.*

Verùm vt veniam ad alios locos in quibus falli itidem poſſumus, quòd itidem interpunctio mutata fuerit: legimus capite XXXII, libri De ira III, *In hoc enim præcipuè fallimur. Ad ferrum venimus.* Nã quum hæc, *ad ferrum venimus*, ad proximè præcedentia referantur, perinde acſi dictum eſſet, *In hoc enim præcipuè fallimur, quòd ad ferrum venimus:* vides tamen ab illis ſeparari. Idem verò dicendum eſt de hoc loco, capitis III, eius diſputationis qua iniuriam cadere in ſapientem negatur, *Hæc ſunt quæ autoritatem præceptis veſtris detrahant. Magna promittitis, & quæ ne optari quidem, nedum credi poſſint. Deinde ingentia loquuti, quum paup.* Nam hîc idem quod illic facit, in duas periodos diuidens quæ ſub vna continuari, particulę alicuius vinculo, poſſent: ideóque

ita

ita ſcribenda hæc non erant, quaſi ad præcedentia non pertinerent,ſed ita, *detrahant: magna promittitis.* Sed multa huius rei exempla tibi ſuppeditabit ſecundum huius libri caput,de quibuſdam Senecę locis,vbi quod membratim & inciſim dicitur,apertius,mutata ſtructura,reddi poteſt.

Vnicum igitur addam locum,qui itidem imponere lectori queat, quamuis non itidem in eo quidquam (quod quidem ſciamus) ſit immutatum. Id autem eſt ex libri tertij De beneficiis capite x i i, *Quædã magno dantibus conſtant. quædam accipientibus magna ſunt,ſed gratuita tribuentibus: quædam amicis data,quædam ignotis. Plus eſt,quamuis idem detur, ſi ei detur quem noſſe à tuo beneficio incipis. Hic auxilia tribuit, ille ornamenta, ille ſolatia. Inuenies qui nihil putet eſſe iucundius,nihil maius, quàm habere in quo calamitas acquieſcat.* Vix enim quiſquam eſt qui prima fronte non putet, alius ſermonis exordium eſſe hæc verba, *Inuenies qui nihil putet eſſe iuc.* quum tamen ad præcedentia pertineant,& tria tribus reddantur, tanquã eorum exempla, ſiue eorum expoſitionem addentia. Nam quum dixerit *auxilia,* & *ornamenta,* & *ſolatia:* reſpiciens ad tertium, *ſolatia,* addit, *Inuenies qui nihil putet eſſe iucundius, nihil maius, quàm habere in quo ca-*

lamitas acquieſcat. Quibus hæc adiicit, quæ ad ſecundum *ornamenta*, ſpectant, *Inuenies rurſus qui dignitati ſuæ quam ſecuritati conſuli malit*. His denique addit iſta; *Eſt qui plus ei debere ſe iudicet per quem tutior eſt quàm ei per quem honeſtior*. In quibus ad primum illud *auxilia* reſpici ab eo conſtat. Facit autem cauſalis particulæ omiſſio vt hæc ad antecedentia referri, lector non facilè animaduertat. Nam ſi dixiſſet, *Inuenies enim qui nihil putet eſſe iuc.* lector ea de re vel hãc voculam admonitricem haberet.

VT AVTEM ad alterum illud veniam, id eſt, exemplis oſtendam locos eſſe vbi ad præcedentia pertinere videntur, aut etiam iuncta illis ſunt, quæ tamen ad ſequentia ſpectant, incipiam ab iſto loco capitis XI, libelli De tranquillitate animi, *Nunquam me in bona re mali pudebit autoris. Publius tragicis comicíſque vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias & verba ad ſummam caueam ſpectantia reliquit, inter multa alia coth.* &c. Nam hæc, *Nunquam me in bona re mali pud. autoris*, quamuis prima fronte videri queant ad ſequentia potius quàm ad præcedentia non debere referri, ſunt tamen velut præfatiũcula iis quę proximè ſequũtur præfixa, his inquam, *Publius tragicis comicíſque vehem.* &c.

Verùm

Verùm illo quidem in loco omnia nobis integra relicta ſunt, adeo vt liberum ſit, illa vtrò velimus referre: at in iis quos afferam locis, quodam interpunctionis velut præiudicio iudicium noſtrum præoccupatur. Nam legimus epiſtola x c i x, *At mehercule ſatis mihi iam videbaris animi habere etiam aduerſus ſolida mala, nedum ad iſtas vmbras malorum, quibus ingemiſcũt homines, moris cauſa: quod damnorum omnium maximum eſt. Si amicũ perdidiſſes, dãda opera erat vt magis gauderes, quòd habueras: quàm mœreres, quòd amiſeras.* Ita enim in iiſdem illis typographicis editionibus quas dixi, legitur: & venia quodammodo dignæ videntur, quoniam hæc verba, *quod damnorũ omnium maximum eſt*, nemo eſt qui primo aſpectu non dicturus ſit ad præcedentia referri, vel propter illum vſum quem illud pronomen *quod* habere ſolet: at ecce tamen, cohærent cum ſequentibus, & illis iungi debent, hoc modo, *quibus ingemiſcũt homines, moris cauſa. Quod damnorum omnium maximum eſt, ſi amicum perdidiſſes, danda opera erat vt mag.* Nam amicum perdidiſſe, maximũ omnium damnorum eſſe vult. Sed alius potius dixiſſet, Si amicum perdidiſſes (quod damnorum omnium maximum eſt) danda opera erat vt mag. Sed & iis quę per parẽtheſin interiicit,

aliam interdum quàm pro more ſedem dare, antea me oſtendiſſe puto.

Sic epiſt. C I I, *Quum venerit dies ille qui mixtum hoc diuini humaníque ſecernat, corpus hoc vbi inueni relinquam: ipſe me dijs reddam. Nec nunc ſine illis ſum, ſed graui terrenoq; detineor per has mortalis æui moras. Illi meliori vitæ longioríque præluditur.* Quum ita interpungendus ſit hic locus, vt iſta, *per has mortalis æui moras*, ſequentibus non præcedentibus iungantur: hoc modo, *Per has mortalis æui moras illi meliori vitæ longioríque præluditur.*

Sunt verò & quidã loci de quibus idem dicendum fortaſſe, ſed non & affirmandum ſit. E quibus eſt iſte, epiſtolæ L X X I X, *Hoc nos oportet agere, Lucili chariſſime, in hoc ire impetu toto, licet pauci ſciant, licet nemo videat. Gloria vmbra virtutis eſt, etiam inuitos comitabitur.* Nam aptior hæc interpunctio futura videtur, *in hoc ire impetu toto., Licet pauci ſciant, licet nemo videat, gloria vmbra virtutis eſt, etiam inuitos comitabitur.* Quòd ſi legeretur, *quæ vmbra virtutis eſt*, affirmarem quod alioqui affirmare non audeo.

CAPVT VII.

De multis librorum Senecæ capitibus, quibus malè aſſignata fuerunt ſua principia, & ita quidem vt orationis, interdum & diſputationis curſus interrumpatur.

EX IIS quæ in ſuperioribus à me dicta fuerunt, cognoſcere potes lector, in quàm multis Senecę locis hærendi occaſionem tibi typographicæ editiones præbuerint: dum teleian ſtigmen, non aliter quàm ſi clauſa eſſet ſententia, ibi ponunt, & ſequēs vocabulum à litera maiuſcula inchoant, vbi contrà ſuſpenſam orationem ipſe reliquit. Nunc autem de alio quod eiuſdem quidem generis, multo tamen maius eſt, incommodo, te admonebo. Sic igitur habeto, capitibus librorum Senecæ principia peius quàm apud quenquam alium ſcriptorem (ὅσα γε κἀμὲ εἰδέναι) eſſe aſſignata: quum ante illa capita, id eſt in iis verbis in quibus finis pręcedentis capitis cōſtituitur, tractatio ſeu diſputatio aliqua, interdum ipſa etiam ſententia imperfecta relinquatur, & ijs demum verbis quę ſequentis principium eſſe libuit, claudatur.

Quoniam autē proximè præcedens tractatio mihi in memoriam deprauationem

illam reuocauit, quippe quæ aptiſſima nobis ſuggerere exempla poſſit eorum quæ perperam ſequentibus fuerũt iuncta, quum ad præcedentia pertinerent, atque adeò exemplorum partem in hunc ſermonem reſeruaui: ea ipſa erunt à quibus, fidem meam liberaturus, initium ſumam. Si igitur libri De ira III, caput XXIX, adire libuerit, videbis, in omnibus typographicis editionibus (ne illa quidem quam Roma nuper dedit excepta) claudi his verbis, *Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes:* caput autem XXX, ab his verbis incipere, *Friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicũdus excitat, ad vmbram aſpis exurgit: vrſos leoneſq; mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, conſternantur ad vana.* Atqui dicens in capite præcedenti, *Quod accidere vides in animalibus mutis, idẽ in homine deprehendes*, reſpiciebat ad illud quod ſubiungebat, *friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubic.* Perinde enim erat acſi dixiſſet, Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in nobis deprehendes, vt friuolis & inanibus turbemur. In illis quidem certè, taurum colore rubicũdo excitari, aſpidem ad vmbram exurgere, vrſos leoneſque mappa proritari videmus. Nam his exemplis quod de mutis animalibus dixit confir-

confirmat. Vide igitur quantæ inſcitiæ fuerit hæc in duas partes, quæ in duo capita diuulſæ eſſent, diuidere. Cæterùm ideo dixi, Idem in nobis deprehendes, vt hæc cum ſequentibus cohærerent: neque tamen Senecam aliter quàm *in homine* ſcripſiſſe exiſtimo, ſed *turbatur* non *turbamur* ſcriptum reliquiſſe puto: vt perinde ſit ac ſi dixiſſet, Idẽ in homine accidere deprehendes, vt friuolis turbetur & inanibus. Non ignoro alioqui audacter interdum à Seneca numerum mutari: ſed quũ hîc durè id facturus ſit, & leui mutatione ad corrigendum locum opus ſit, *turbamur* in *turbamus*, quid neceſſe eſt cò confugere?

Capitis xxxi, libri De beneficiis ſexti, principium hoc eſt, *Quum bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem oblitúmque quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat, non lat.*&c. Atqui narratio hęc pendet ex iis quæ capite proximè præcedenti fuerunt dicta, in ea videlicet parte quam illi finem eſſe voluerunt. Eſt enim hiſtoria iſta teſtimonium ſeu exemplum huius ſermonis, *Ingentia ſuper ſe caſura regna fregerunt: nec intellexerunt, in illa ſcena & vanis & citò diffl.*&c. Quis igitur hæc malè diuelli non videt? Sic etiam libri quinti De beneficiis caput xxiiii incipit ab hac hi-

ſtoria, *Cauſam dicebat apud diuum Iulium ex veteranis quidam, paulo violentior aduerſus vicinos ſuos :* quum tamen ſit exemplum eius quod in fine proximè præcedentis capitis propoſitum fuit. Sic libri ſecundi operis eiuſdem caput XIX, initium habet ab iſtis verbis, *Tuber quidam tyranni gladio diuiſit.* quæ ponuntur in exemplum illorum quæ proximè præcedunt, *Quædam proſunt, nec obligant.* Sed quomodo non hîc peccaſſent qui ibi etiam peccarũt eadem in re, vbi Seneca ipſemet exemplum ſe afferre admonet? Nam quum libri primi De clementia capite VIII dixiſſet, *Hoc quàm verum ſit, admonere te exẽplo domeſtico volo,* illi hîc caput illud clauſerũt,& nonũ ab illa ipſa quę in exemplũ affertur narratione inchoarunt,aut ſaltẽ à quadã de Auguſto pręfatiuncula quam illi narrationi præfigit. Quòd ſi aptum huic capiti principium dare volebant, illic certè dandum erat, *Adijce nunc quòd priuatos homines ad accipiendas iniurias opportuniores,acceptarum patientia facit.*

Sic etiam capite XXXI commentarij De vita beata, quum dixiſſet, *Nunc probemus quod prius diximus*, hæc quæ proximè ſequuntur, *Quid porro? hoc non erit probatum, ſi ſe vnuſq.*&c.ſeruata principio cap. XXXII fuerunt: quod contrà optimè conſtitutum

in his

in his verbis fuiſſet, *Solemus dicere, ſummum bonum eſſe ſecundum naturam viuere.*

Cui errori ſimilis eſt hic, quòd alicubi poſtquam Seneca ſe alicuius verba velle nobis proponere oſtendit, adeò vt lector illa tanquã ſibi promiſſa expectet, ipſum tamen caput nõ verbis illis ſed tãtùm eorum promiſſione clauditur, & principio ſequentis ea reſeruantur. Atque hoc duobus in locis accidit libelli quo iniuria in ſapientem cadere negatur. Nam caput ſecundum finem hunc in omnibus typographicis editionibus habet, *Videor mihi intueri animum tuum incenſum*(non *incluſum*) *& efferueſcentem: paras* (non *paratum*) *acclamare:* at verò caput tertium habet iſtud principium, *Hæc ſunt quæ autoritatem præceptis veſtris detrahant. Magna promittitis, & quæ ne opt.*&c. & ita principium capiti huic aſſignatum fuit ab iis verbis quorum expectatio ſuſpenſum caput præcedens relinquit: ita vt quamuis dicatur, *paras acclamare*, & intelligatur hoc de illis quæ nulla interpoſita mora ſubiunguntur, tamen illa à verbo *acclamare* capitis vnius interpoſitione ſeparantur. Atque hoc prorſus modo in alio eiuſdem libri loco peccatum eſt. Nã finis capitis v, eſt, *Sed ſi prodit in medium qui dicat:* principium autem ſexti, *Non eſt quòd dubites an tollere ſe*

homo natus ſupra humana poſſit. Quæ verba, ſicut & quæ ſequuntur, ad illum vſque locum, ſunt promiſſa in fine capitis ſequentis verba, & ita clauſi non quidem à Seneca, ſed aut à librariis, aut à typographis, vt nihil minus quàm clauſulam ſuam habeat: quum ſuſpenſus & modo non hians lector ad promiſſa verba relinquatur. Vt omittam, eum qui in huius capitis principium, non lecto præcedente, incidet, in cuius perſona loquatur Seneca ignoraturum. Idémq; illi & in principio illius tertij eueniet.

Sæpe etiã erratum in eo eſt quòd quum duo ſibi per antitheſin opponantur, horum vnum finem capitis vnius, alterum autem alterius (quod proximè ſequitur) principiũ occupat. Cuius etiam errati vt exemplum vnum proferam, legimus in fine capitis v i, libri ſecundi De clementia, *Venia eſt pœnæ meritæ remiſſio. Hanc ſapiens quare non debeat dare, reddũt rationem diutius quibus hoc propoſitum eſt.* at verò capitis ſeptimi prima ſunt hæc verba, *Ego, vt breuiter tanquam in alieno iudicio dicam, ei ignoſcitur qui puniri debuit.* Atqui manifeſtum eſt eſſe hîc alterum illorum quæ per antitheſin (vti dixi) opponuntur: perinde acſi dictum eſſet, Illi quidem quibus hoc propoſitum eſt, rationem reddunt diutius: (ſi tamen ita ſcripſit) at ego,

at ego, vt breuiter tanquam in alieno iudicio dicam. Vbi etiam obſeruandum eſt alienum iudicium vocare, quod ſuæ ſectæ, Stoicæ videlicet, iudices non habeat, ſed alicuius ex aliis.

Animaduerti etiã, epiphonema quo caput vnum debebat claudi, alterius principio eſſe reſeruatum. Vt libri ſecũdi De beneficiis caput XIII videmus incipere ab his verbis, *O ſuperbia magna* (niſi *magna* ſcribendum eſt) *fortunæ. O ſtultiſſimum malum: vt à te nihil accipere iuuat.* Nam hoc epiphonema (niſi potius hæc epiphonemata dicere debemus) ſunt illi hiſtoriæ quæ in fine capitis præcedentis narrata fuit acclamantis. Sic verò & caput quintum libri ſecundi De ira initium habet à quibuſdam verbis quæ ſunt velut epiphonema: quod caput alioqui aptiſſimum principium habuiſſet ab his verbis, capitis præcedentis, *Illud etiamnum quærendum eſt.*

Alicubi verò in principio capitis ratio redditur quam in fine præcedentis Seneca ſibi reddi poſtulauit. Nã quũ caput XVIII libri tertij De beneficijs finiatur his verbis, *Non eſt dubium quin ſeruus beneficium dare poſſit cuilibet: quare ergo non & domino ſuo poſſit?* caput XIX ab iſtis inchoatur, *Quia non poteſt (inquit) creditor domini ſui fie-*

ri, ſi pecuniam illi dederit.

Obſeruaui etiam, vnius eiuſdémque ſermonem interrumpi, parte quidem vna in capite vno, altera autẽ in principio ſequentis poſita. Nam libelli de vita beata capiti XVII finem imponunt hęc verba, *Non perueni ad ſanitatem: ne perueniam quidem: delinimenta magis quàm remedia podagræ meæ compono: contentus ſi rarius accedit, & ſi minus fera minatur* (vel potius, *minus verminatur) Veſtris quidem pedibus comparatus, debilis curſor ſum.* at verò capiti XVIII dant principium iſta, *Hæc non pro me loquor.*

Quid quòd nonnunquã ita diſtrahũtur ea quę nõ ſolùm ad eundẽ ſermonẽ ſed ad eandem periodũ pertinẽt, vt pars vna caput vnũ finiat, altera alterũ inchoet? Nam (exempli gratia) his verbis clauditur cap. VI libelli De breuitate vitæ, *Profeſſores aliarũ artiũ vulgo multíque ſunt:* at VII ab his incipit, *Quaſdam verò ex his pueri admodum ita percepiſſe viſi ſunt vt etiam præcipere poſſent. Viuere in tota vita diſcẽdum eſt.* Atqui verba hæc, *Profeſſores aliarum artium vulgo multíque ſunt*, ſunt initium periodi, quę cõtinuatur iſtis, *Quaſdam verò ex his pueri admodũ ita percep.* &c. Ita vt dicere poſſimus, prius quidem huius periodi membrum fini capitis ſexti, at poſterius principio ſeptimi eſſe datum. Quod vt fa-

vt facilius à quolibet animaduertatur, totius ſermonis ſtructuram in aliam reſoluam: ſed ſtructura noſtri Senecæ prius poſita, & quidem altius repetita: inde videlicet vnde caput ſextum inchoare multo magis conſentaneum rationi fuiſſet: *Denique inter omnes conuenit, nullam rem exerceri poſſe ab homine occupato, non eloquentiam, non liberales diſciplinas: quando diſtrictus animus nihil altius recipit, ſed omnia velut inculcata reſpuit. Nihil minus eſt hominis occupati quàm viuere, nullius rei difficilior eſt ſcientia. Profeſſores aliarum artium vulgo multique ſunt. Quaſdam verò ex his pueri admodum ita percepiſſe viſi ſunt, vt etiam præcipere poſſent. Viuere in tota vita diſcendum eſt.* Nam quod dico multo manifeſtius erit, ſi orationem illam in hanc reſoluas, Denique quum inter omnes conueniat, nullam rem exer. poſſe ab hom. occupato, non eloq. non lib. diſciplinas: quando diſtr. animus nihil altius recipit, ſed omnia velut inculc. reſpuit: nihil tamen eſt quod ab homine occupato magis ſit alienum quàm viuere: nulliúſque rei difficilior eſt ſcientia. Atque inde fit vt aliarũ quidem art. profeſſ. vulgo multíque ſint, nec defuerint qui adm. pueri quaſdam ex his ita percepiſſe viſi ſint vt etiam præcipere poſſent: at viuere in tota vita diſcendum ſit.

Quid quòd inuenies caput cui pro ſuo principio data ſit concluſio ſyllogiſmi, cuius priores partes in præcedentis fine habẽtur? Hoc enim ſi factum fuiſſe dixero in principio capitis quinti eius libelli qui aſtruit, iniuriam & contumeliam in ſapientem non cadere, verum dixero. Nam in fine quarti hæc leguntur, *Iniuria propoſitum hoc habet, aliquem malo afficere. Malo autem ſapientia non relinquit locum. Vnum enim malum illi eſt turpitudo, quæ introire eò vbi iam virtus honeſtúmque eſt, non poteſt.* Quibus hæc à Seneca adiiciuntur, *Iniuria ergo ad ſapientem non peruenit.* Atqui hæc verba ſunt ibi capitis quinti principium. Non dubito autem (vt attigi antea, quum de iis quæ per parentheſin interiecta ſunt agerem) quin iſta, *Vnum enim malũ illi eſt turp.* & quæ ſequuntur, quum παρενϑειμένα eſſe nõ animaduerterentur, obliuionem duarum priorum ſyllogiſmi partium ei qui librum hunc in capita partiebatur, adduxerint. Ego (qui tamen ad amuſſim talia iam examinare nolo) caput quintum ab his verbis inchoandum fuiſſe dico, *Iniuria ꝓpoſ.* &c. & totum hunc locum ita fuiſſe ſcribendum, non ita diuidendo membra: *Iniuria propoſ. hoc habet, al. malo afficere: malò autem ſapientia non relinquit locum: (vnum enim malum illi eſt turpitudo,*

tudo, quæ introire eò vbi iam virtus honeſtúmque eſt, non poteſt) iniuria ergo ad ſapientem non peruenit.

Hæc te ſatis ſupérque monere poterunt vt magnam cautionem in hac etiam parte adhibeas: quum idem in aliis quamplurimis peccatum ſit locis. Ac miratus ſum certè tam malam ſermonũ Senecæ in capita diſtributionem (ſi ita vocare licet) in illa Romana editione non fuiſſe emẽdatam: quum is qui ei præfuit aliis quæ multo leuiora ſunt emendandis tempus alicubi impenderit. Vt tamen verum fatear, quum iam præcedentia ſcripſiſſem, & iam operæ typographicæ ea in manibus haberent, vnum inueni locum in quo non itidem vt in aliis erratum eſt. Nam principium capitis tertij libelli quo probare conatur iniuriam & contumeliam in ſapientem non cadere, ab his verbis ibi inchoatur, *Videor mihi intueri animum tuum incenſum.* Sed inueni etiam vbi malè à ſuperioris temporis editionibus in diſtributione illa diſſentit. vt capite ſecundo libri primi De beneficiis. nam quum in illis duo ſenarij ſint illius principium, in hac iſtud eſt eius initium, *In priore verſu vtrunque reprehendas:* & verſus illi fini primi capitis relinquuntur. Ac ne hoc quidem tacebo, alicubi antiquiſſimam illam Fro-

benij editionem, quæ anno M. D. XXIX, prodiit, melius capiti alicui principiũ ſuum aſſignare, quàm quæ illa poſteriores fuerũt. Quod videre eſt capite vndecimo libelli De breuitate vitæ. nam ab his verbis ab illa inchoatur, *Denique vis ſcire quàm non diu viuant?* quum in aliis (pręterquam in illa cuius modo facta fuit mentio) hinc principium habeat, *Iam ergo quum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit.*

Omittere autem nolo, etiam ex vna epiſtola factas fuiſſe duas, in editionibus quæ Romanam illam præceſſerunt: quum epiſtolæ XLIX hoc principium ſtatueretur, *Mus ſyllaba eſt: mus autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit:* & tamen hoc in exemplum afferatur horum quæ proximè dixit, *Pudet me quòd in re tam ſeria ſenes ludimus.* Hinc porro fit vt quæ antea epiſt. L numerabatur, ſit tantùm XLIX, in illa editione: itidémque deinceps.

DE TITVLIS autẽ Capitum admonere, propemodum ſuperuacaneum eſſe puto. Cui enim tam malè notus Seneca eſſe poteſt, vt eum horum autorem exiſtimet? Quoniam tamen fieri poteſt vt alicui non ſolùm malè notus, ſed omnino ignotus ſit, non tacebo, in illis non tantùm hoc peccari quòd ſummam ſeu præcipua capita epi-

ſtolæ

olæ non complectuntur, & interdum cum s quæ à Seneca dicuntur non conueniunt, erumetiam quòd non ſolùm à Senecę ſermone alienis, ſed omnino barbaris vocabulis alicubi vtuntur. Vt omittam, ipſum autorem non fuiſſe dicturum, *Dialecticè diſputat*, ſed potius, Dialectica diſputatio. Sic autem & alibi tertia perſona non fuiſſe vſurum.

CAPVT VIII.

De diuerſis Senecæ editionibus, & à diuerſis collata in eas opera.

DE SENECÆ locis qui partim ex veterum exemplarium fide, partim ex coniectura, alij paulo ante noſtra tempora, alij noſtris temporibus correcti fuerunt, quædam etiam dicenda ſunt: nequid ſit de quo lector ſe à me admonitum non fuiſſe conqueratur. Sed quum de correctionibus dicturo, correctorum prius mentio facienda ſit, ab Eraſmo initiũ ſumam. Primum enim fuiſſe arbitror à quo nauatã hanc operã aliqua editio typographica exhibuerit. Primã autem quæ nobis eam dedit, fuiſſe puto Frobenianam anni M. D. XXIX. Sed quum vtiliſſimus & laude digniſſimus labor eius ſit (vt alij eiuſdem plerique) non ſolùm nul-

la illi à Mureto gratia habita eſt, ſed ignominiam etiam, quantum in eo fuit, laudis loco retulit. Aliquoties enim multos eum locos deprauaſſe queritur: nũquam, ex praua lectione rectam eum feciſſe profitetur. At negare tamen non poterat multas ſe illius emendationes ſequi, &(quod præcedat neceſſe eſt)probare.Eo autem turpior in illo hæc ingrati animi nota eſt, quòd in eam incurrit vel maximè in iis libris qui lectorum animos aduerſus ingratorum gentem adeo accendunt & inflammant,vt inde diſcedẽtes facibus ferróque eam perſequi propemodum ſint parati.

Statim autem exemplis id quod dixi cõfirmaturus,à loco incipiam cui quum ſuam metaphoram, quæ ex medicina aptiſſimè petita eſt,Eraſmus reddidiſſet, eam Muretus recipere neceſſe habuit. Legimus igitur libri ſecundi De benef. capite XIIII, in prima illa editione,& in alijs quæ ad illam excuſæ fuerunt, *Multi ſunt qui dicant,Scio hoc illi non profuturum:ſed quid faciam? rogat:reſiſtere precibus eius non poſſum. Viderit: de ſe non de me queretur.* Ad quæ ita reſpõdet Seneca,*Falſum eſt:imò de te,& meritò,quum ad mentem bonam redierit, quum accenſio illa quæ mentem inflammabat, ſe remiſerit.* Sed margini ad illam vocem *accenſio* adſcripta hæc

hæc ſunt, *Fortè acceſſio: vt ſit alluſio ad paroxyſmum febrium.* At Romana illa editio hãc lectionem, quæ quum Eraſmi tantùm coniecturæ deberetur margini tantùm adſcripta erat, in contextum, tanquam illi debitam, coniecit, ſed nulla creditoris facta mentione.

Libri autem primi capite vltimo, nónne pulchrum hoc verbum *Nepotari* ab Eraſmo illa editio Romana accepit? *Quid ergo eſt? quum ſit nulla honeſta vis animi, etiamſi à recta voluntate incepit, niſi quam virtutem modus fecit, veto liberalitatem nepotari.* Nam quum antea ſcriptum eſſet, *veto liberalitatem tecum potiri*, Eraſmus è veſtigijs vetuſti codicis repoſuit *nepotari.* & addidit, ſentire Senecam beneficium non eſſe dandum ei qui nequiter profuſurus ſit quod dederis.

In eiuſdem libri capite tertio, vbi de Eurynome, vna ex Gratijs, agitur, quum antea ſcriptum eſſet, *Eurynomen enim dictam, quia látè patentis matrimonij ſit, beneficia diuidere:* ab Eraſmo, licet reclamantibus exemplaribus, repoſitum fuit *patrimonij*: cui ſcripturæ editio illa reclamare nõ potuit. In eodem capite quum antea legeretur, *Sit aliquis vſqueeo Gratijs mancipatus vt hæc dicat neceſſaria*, editionem illam Eraſmo aſſentiri oportuit *Gracis* pro *Gratijs* ſcribenti.

At verò in duos capitis ſecundi locos quum ſuas Eraſmus annotaſſet coniecturas ex veteris libri ſcriptura ortas (ad priores quidem quod attinet) quæ lectori vel ſatiſfacere poſſint, vel materiam aliquid aliud inueniendi aut ſaltem quærendi præbere: nullam earum Muretus mentionem facit: at quandam ex ſuo ipſe exemplari in principio eiuſdem ſententiæ ponit, quæ adulterina eſt: eam autem quæ eſt vera, tanquam adulterinam deponit. Nam quum in aliјs editionibus ſcriptum ſit, *Illud enim falſum eſt, Perdenda ſunt multa:* & ita ſcribi neceſſe ſit, quoniam hîc ratio eorum redditur quæ proximè præceſſerunt: ille *Illud etiam* ex vetere ſuo libro ſcribit, tanquam ſit noui ſermonis initium. Atqui Seneca præcedentem continuat: & poſtquam dixit, *vt illum hortemur ad dãda* beneficia, *etiamſi nullum bene poſiturus eſt:* addit, *Illud enim falſum eſt, Perdenda ſunt multa*: tanquam rationem reddẽs cur *non bene poſiturus*, nõ tamen *perditurus* dixerit. Sequitur porro in editione illa, *Nullũ perit, quia qui perdit computauerat:* quum Eraſmus annotaſſet, legi in ſuo vetuſto exemplari, *Nullum perdit qui perdi non computauerat.* Quæ ſanè lectio digniſſima erat quam ſaltem annotatiuncula aliqua nobis proponeret. ſimul enim materia exercen-

exercendi ingenij lectoribus propoſita fuiſſet. Primùm autem quomodo maximus ille vir ſuum hîc exercuiſſet, oſtendendum erat. Scribit enim, argutam fore huius loci ſententiam,ſi verbo *perdi* ſublato,ſcribatur *Nullum perdit qui non computauerat.* Hoc enim perdimus(inquit) quod decedit rationi noſtræ:at beneficia non ſupputantur.Aliam deinde afferens ſcripturæ illius emendationem,Aut ſi (inquit) tollas particulam *non:* hoc modo, Nullum perdit qui perdi computauerat. Id eſt, qui hoc ipſum computauerat, quædam peritura. Priorem tamen ſenſum ſibi magis arridere ait. Hæc ille,relinquens lectoribus (vt dixi) aliquid aliud inueniendi aut ſaltem quærendi materiem. Quod certè quum & mihi relictum eſſe putarē,& quæſiui & tādem aut inueni, aut inueniſſe mihi videor. Nam ſi ab hac ſcriptura veteris libri, *Nullum perdit qui perdi non computauerat,*non procul recedens, ſcribas, *nullum perdit qui perditum computauerat,* habebis lectionem quam ſua meliorem ipſe etiam(ni fallor) Muretus fateretur.

Ne hoc quidem contemnendum erat, de quo ibidem admonuit, *redit* vtrobique ſcribendum ſibi videri,non *reddet.* Nam quomodo *reddet* ad pluralem *beneficiorum* numerum referri poteſt? At ſi intelligi velis,

reddet qui ea acceperit, nihil repetes, ſed aliquid extrinſecus petes, quod lectori diuinandum relinquere, præter Senecæ conſuetudinem fortaſſe eſt.

Sed paucos è multis, vel potius quamplurimis (ne dicam infinitis) locos addere libet, in quibus Romana illa editio illius quē adeo infamat, ſequi iudicium neceſſe habuit. Libri ſecundi capite XVI, quum primæ editiones verba hæc exhibèrent, compellando Alexandrum, *Liceat iſtud ſanè tibi: & te in tantum fortuna ſuſtulerit vt coniugia tua vrbes ſint: quas quanto maioris animi fuit non capere quàm ſpargere?* At maximus ille vir, qui non ſolùm minimi, ſed nihili fit in illa Romana editione, Licet (inquit) refragantibus exemplaribus, tamen ſuffragaturis, vt ſpero, doctis, pro *coniugia* repoſuimus *congiaria: quæ dicuntur munera principum*. Et addit, vocem *coniugia* ad ſenſum nihil facere. Non fefellit eum ſua ſpes: nam & qui Romanæ illi editioni præfuit, ſuffragari illi coactus eſt.

Eiuſdem libri cap. XX, in fine, hæc verba, *qui in ius dandi beneficij iniuria venerat*, ex eius correctione ſunt.

Eiuſdem libri capite XXXI, *manum exerere*, pro eo quod ſcriptum erat, *manum exercere*, ex eiuſdem reſtitutione eſt.

Quin-

Quinetiam hic locus libri quarti, capite XVIII, *Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem*, quum ex Eraſmi primùm coniectura fuerit ita ſcriptus, in illa quoque editione ita legitur. Hæc quoque duo verba quæ exiguo interuallo ſequuntur, *rerum potitur*, ab eo primùm reddita huic loco fuerunt, non quidem ex coniectura, ſed ex collatione cum vet. exempl.

Denique in fine libri quinti, quum antea ſcriptum eſſet, *Dijs quoque inquam Homericus ille ſacerdos allegat officia, & aras religioſè cultas: quos obſequentes facit & parcè moneri velle ac poſſe:* in vno autem vet. libro inueniret *faciet* pro illo *facit*, & *parere* pro illo *parce:* ex coniectura hanc lectionem protulit, *quo obſequentes faciat: & parent. Moneri velle ac poſſe, ſecunda virtus eſt.* Atque hanc lectionem quæ ex coniectura Eraſmi profecta eſt (ſiue poſtea vet. exempl. autoritate confirmata ſit, ſiue non ſit) Romana illa editio ſequi neceſſe habuit. Sic in iis quæ ſubiunguntur, *Hanc vtilem facere debemus, nec irati relinquere inuito: ſed vt magiſtri patienter ferre offenſationes puerorum diſcentium memoria labentis.* ille pro *inuito* ex coniectura ſcripſit *in vitio:* & verba ita ordinauit, *ſed vt magiſtri puerorũ diſcentium,*

patienter ferre offenſationes memoriæ labentis. In quibus itidem Muretus Romanam illam editionem eum tanquam optimum ducem ſequi voluit.

At verò in eo quem nunc afferam loco mentionem quidem facit Eraſmi, ſed more ſuo, ignominioſam. Nam quum Eraſmus libri huius quarti capite XXII, legeret, *At multa hinc cõmoda oriuntur: & tutior eſt vita melioribus, amatq́ſecundum bonorũ iudicium, ataſq́ſecurior:* & mendoſam eſſe non dubitaret (quis vero dubitãdũ diceret?) hãc lectionẽ repoſuit, *At multa hinc cõmoda oriũtur: & tutior eſt vita melioribus, atq́ſecũdũ bonorum iudicium etiam ſecurior, quam innocẽtia, quam grata mẽs proſequitur.* At Muretus in ſua illa editione locum hunc ita ſcripſit, emendationem Eraſmi aliqua ex parte ſequens, *At multa hinc commoda oriuntur. Et tutior eſt vita melioribus, & ſecurior innocentia, quam grata mens proſequitur.* Quid verò in annotationibus ſcribat audi. Comprehenſionem hanc iam antè deprauatam ab aliis, magis etiam deprauauit Eraſmus. Atqui, ſi res ita ſe habet, aliqua tu eodem modo hoc in loco deprauas: quum aliqua (vti dixi) ex parte emendationem eius ſequaris. id eſt, lectionem quam ille emẽdatam eſſe exiſtimauit. Sed qualiſcũque eſt, ille rationem eius reddit, &

dit, & quomodo in vet. cod. locus hic legatur, oſtendit: tu neutrum horum præſtas.

Atque vt ab hoc libro non prius diſcedam, quàm ſuperioribus Eraſmi emẽdationibus quas Muretum ſequutum eſſe oſtendi, alias adiiciam: afferam aliquot ex locis inter ſe vicinis. Nam in fine capitis XXXV, *nihil aggreditur*, ab illo eſt: & paulo poſt, *meam fidem liberat* (quum antea legeretur, *me fide liberat*) ab eodẽ eſt. Et cap. XXXVI, *inter ſeſe* pro *intereſſe*, eum autorem itidem habet. Capite autem XL, in principio, eum non itidem ſequi voluit, mutando *vtique* in *vbique*: ſed tamen ſequi (meo quidem iudicio) debuit. Ac ſunt ſanè alij propè infiniti loci vbi eius coniecturã ille ſequitur, quum alioqui adeo eius iudicium pariter & ingenium à ſe ſperni præ ſe ferat: & nonnulli etiam loci de quibus idem quod de illo proximo dixerim, videlicet eum non ſequutum in illis eſſe eius coniecturam, ſed tamen ſequi (mea quidem ſententia) debuiſſe. vt in hoc ipſo opere (nam exempla extra hoc in præſentia petere nolo) libri videlicet vltimi capitis XXV, *ſubmiſſè*, coniecturam Eraſmi ſequens, non illibenter ſcripſerim. Necnon capite IX eiuſdem libri, *ſublitis medicamentis*. Sed & libri tertij capite VII, ſi cum eo *credita pecunia* ſcripſerim ne-

quaquam fortaſſe errauerim.

Quamobrem expectare ſaltem debuerat Muretus donec ex his Senecæ libris, qui tã rigidam aduerſus ingratos cenſuram exercent, egreſſus eſſet, & in ſequentes hæc in illum opprobria, animum (nequid acerbius dicam) valdè ingratum teſtantia, differre. Sed contrà in his potiſſimum nihil minus quàm grati animi affectionem profitetur. Nam alibi (quantũ meminiſſe poſſum) contentus eſt de loco quem male emendauit verba facere: vt in epiſtolam XXIX, annotat ſcribendum eſſe *acerrimè rabere* (hoc in loco, *Videbis eoſdem intra exiguum tempus, acerrimè ridere & acerrimè rabere*) quum Eraſmus ineptè voluiſſet legi *rudere*. Quaſi verò qui quum *tabere*, & *rabere*, & *rubere*, & *rabire* inueniret, ex *rubere* faciendum putaùit *rudere*: quòd exiſtimaret Senecam affinitate vocum *ridere* & *rudere* voluiſſe ludere, protinus ineptus vocari debeat. Legant, legant (obſecro) viri docti, Eraſmi annotationes in Senecæ libros, ſuper locis quos vel ex vet. exemplari vel ex ſua coniectura aliter ſcribit, & quidem ita vt attentum ſimul & candidum animum afferant: & conſiderent quanta cum maleuolentia ſimul & impudentia dictũ hoc ſit de Eraſmo, ſi ille à Seneca manus abſtinuiſſet, futurum fuiſſe vt

minore negotio pleraque reſtituerentur. Quid ais? an glaciem ſaltem illum fregiſſe (vt parciſſimè de eius labore & induſtria loquar, & de coniecturalibus eius emendationibus, quarum non paucas tu quoq; ſequutus es, taceam) negare potes? An magis fideliter veterum quos habuit librorum lectiones referri, magis diligenter, & maiore cum iudicio earum pleræq; examinari poterant? Profecto etiamſi de iis tantùm quæ Senecæ verbis librarij inſerſerant, ex margine tranſlata, admonuiſſet, rem præſtiterat de qua magnā illi haberi gratiam par erat.

Ne hoc quidem omittam, Eraſmum in quibuſdam ſuis coniecturis ſi nō ad veram lectionem perueniſſe, at non procul ab ea abfuiſſe: interdum eundem ſaltem ſenſum effeciſſe: vt videre eſt in caput vigeſimum libri ſecundi De beneficiis. Quòd ſi illi qui eius coniecturales emendationes ſequuti ſunt, earum nonnullas veterū etiam librorum autoritate confirmari viderunt, ex eo certè non minori ſed multo maiori in pretio illis eſſe debebant.

Hoc quoque adiiciam, nonnullos eſſe locos vbi ſi lector mediam quādam viam inter Eraſmi & Mareti lectionem tenere velit, ei ad hoc non huius ſed illius annotationes adiumēto futuræ ſint: quum hic ple-

raque mutet quorum nullam ibi mentionem facit,aut,ſi facit,rationem non reddit, (ita vt Pythagorico illo *αὐτὸς ἔφα* in pleriſque huius editionis locis te contentum eſſe oporteat) illum contrà eorum quæ mutat rationem reddentem ſis auditurus. Exemplo fuerit locus hic capitis XXVII, libri ſecundi De beneficiis, in principio, de Cn. Lentulo,*Ingeniꝫ fuit tam ſterilis quàm puſilli.* Nam ita legitur in illa editione Mureti, nulla in annotationibus facta huius diuerſę lectionis mentione : at verò Eraſmus poſtquam vulgarem hanc ſcripturam tibi propoſuit,*ingeniꝫ fuit ſterilis*,*tam puſilli quàm animi*, admonet, *puſilli* non eſſe in manuſcripto codice & ſenſui ſupereſſe videri.*Sterilis autem ingeniꝫ* dicere, ob tarditatem : *ſterilis animi*,ob ingratitudinem. Ita Eraſmus quidem vocem illam *puſilli* tollebat, libri veteris autoritate : at nunc Muretus hanc relinquit, ſed tollit *animi*, non tamen & ipſe veteris libri autoritate nixus, ſed (vt opinor) iudicio ſuo,ſicut pleriſq; aliis in locis, fretus: at quidni ego neutri aſſentiens, mediam quandam viam teneam, & vocem vtramque retinens, particulam *&* tantummodo inſeram ? Neque enim alienam à Senecæ ſermone fore puto hanc lectionem, *ingeniꝫ fuit ſterilis*,*& tam puſilli quàm animi.*

Aliud

Aliud exemplum adiiciam. Legimus in illa Romana editione, in fine capitis XVIII, libri tertij, *Adeóque domini ſeruis beneficia poſſunt dare, vt ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint.* Sed hæc verba, *vt ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint*, quid ſibi velle dicemus? Quod quæro, quæreret, ni fallor, & ipſe Seneca, ſi rediret. Sed quum editiones quæ Romanam illam præceſſerunt habeant, *vt ipſos ſæpe beneficij ſui fecerint*, Eraſmus, Vide, inquit, num legendum ſit, *vt ipſos ſæpe beneficio ſuos fecerint.* aut, *ſui iuris fecerint.* At mea coniectura mediã & hîc inter iſtas inſiſtens viam, ſcribit, *vt ipſos ſæpe beneficia ſuos fecerint.* Quum alioqui & alia lectio in mẽtem mihi veniat: cuius alibi mentionem faciam, ſimúlque eius rationem reddam, ne id quod in aliis reprehendo, peccem.

POST illam autẽ Frobenij editionem, quæ Eraſmi tantùm annotationes habebat, prodierunt aliæ, & quidem ex eadem vrbe, quæ & alias, à Pinciano ſcriptas, haud paulo ampliores illis adiiciunt: ſed quum vix in duos locos inciderim vbi Muretus huius viri, qui optimè & ipſe de Senecæ libris meritus eſt, mentionem faciat, incidi tamen iam in duos vbi quæ tanquam pro ſuis affert, illius eſſe comperi. Eorum autem vnus eſt hic, libri ſecundi De benef. capite quin-

to, *Eſt enim bonarum etiam rerum ſolicita expectatio: & quum plurima beneficia remedium alicuius rei afferant, qui aut diutius torqueri patitur quem protinus poteſt liberare, aut gaudere tardius, beneficio ſuo manus affert.* Quum enim in alijs editionibus ſcriptum ſit, *aut gaudere beneficio ſuo tardius, manus affert,* Muretus hanc alteram lectionem pro ſua affert, & tamen Pincianus multis iam annis antè eam nobis propoſuerat. Alter eſt in Annot. in ſecundum librum De benef. vbi *infinitum intereſt*, non *in infinitum intereſt*, ſcribendum eſſe ait. Sed magis mirum eſt quòd in principio epiſtolæ xx, primam eſſe hanc ſuam editionem vult nobis perſuadere, in qua *iuuenum otioſorum*, non autem *iuuenum occiſorum*, ſcriptum fuerit. Quis putaſſet (inquit) quemquam vſque eò ſtultum fore vt hoc loco pro *otioſorum* legeret *occiſorum*? & tamen ea ſcriptura omnes libros occuparat. Imo verò nec Pincianus nec ante illum Eraſmus in ſuperioris temporis editionibus vocem illam *occiſorum* eo loco legi permiſit: vt nec viciſſim *otioſos* vbi Seneca *occiſos* ſcripſerat: in tertio videlicet libro De ira, capite xvi, in fine, *Omnes ſe illi dixit remiſſurum: & otioſos in conſpectu parentis abiecit.* quum ſcribendum ſit *occiſos*. Sed & hîc *otioſos* pro *occiſos*, &

illic

illic vice verſa *occiſorum* pro *otioſorum* nobis dat editio Baſilienſis anni M. D. L V I I, quam ſibi Ioannes Heruagius & Bernardus Brandus adſcripſerunt, multis haud multo leuioribus mendis refertam. Cæterùm, vt ad illum priorem locum redeam, epiſtolæ x x, tantum abeſt vt praua illa ſcriptura libros omnes occuparit (quemadmodum perſuadere nobis Muretus voluit)vt rectius in quibuſdam legi putem, *iuuenum & otioſorum*: & minimè copulam hanc à Mureto auferri debuiſſe. *Aliud propoſitum eſt*(inquit) *declamantibus, & aſſenſionem coronæ captantibus: aliud ijs qui iuuenum & otioſorum aures diſputatione varia aut volubili retinent.* Certè non ſine veterum exemplarium conſenſu particulam iſtam huic loco detraxerim, quum perinde eſſe videatur acſi dixiſſet Seneca, nõ ſolùm iuuenum, ſed aliorum etiam hominum, id eſt alius ætatis: eorũ quidem certè qui otioſi ſunt non minus quàm iuuenes. Tanti eſt locum aliquem diligenter examinare, antequam aliquam ei particulam vel detrahas, vel adiicias.

Ad Pincianum autem vt redeam, habet is nonnulla quæ Muretus aut non vidit, aut ſe vidiſſe diſſimulare non debuit. Ex quorũ numero eſt *grandiſcapia*, epiſt. L X X X V I. Nam quum in fine epiſtolę L X X X V I lega-

mus, *Omnes autem iſtas arbores, quæ (vt ita dicam) grandis copiæ ſunt, ait aqua adiuuandas ciſternina,* Pincianus ſuſpicatur ſcribendum eſſe *grandiſcapiæ.* Quam coniecturam ille prætermittere non debuit: quum veriſimile ſit Senecam ita voluiſſe exprimere Græcum μακρόκαυλοι: & ob nouitatem vocabuli præfatus ſit illud, *vt ita dicam.*

Idem in principium capitis XXIIII, libri quinti De beneficijs, vbi legimus, *Cauſam dicebat apud diuum Iulium ex veteranis quidam paulo violentior,* admonet exiſtimare ſe legendum, *ex veteranis quidam Publius Militio.* ſic enim vocatum fuiſſe hunc militem. Sic paulo poſt, pro his, *quendam ex commilitonibus* ſubſtituit iſta, *quendam Publium Militionem.* Et ſtatim poſt, *Niſi Publius Militio, homo fortis:* non autem, *Niſi commilito, homo fortis.* Item, *Militioni ſuo donauit,* non *militi ſuo.* Præcedentium autem locorũ emẽdationem ex duobus poſtremis probat: quoniam in vet. eſſe ait. illic quidem *niſi pro militio:* hîc autem, *militio ſuo donauit.* At nullam in Rom. editione emendationis tot locis repetitæ fieri mẽtionem videmus. Habet tamen & illa multas lectiones quas Pincianus ex ſua coniectura attulit, & quidem hoc in ipſo libro nonnullas. Ex quibus ſunt duæ cap. XIIII. Nam quum antea legeretur,

geretur, *Ea ſcilicet ratione, quia accipiet ab illo aliquid ex his quæ apud imperitos ſunt*, legendum ſibi videri ait, *accepit*, non *accipiet*: & adiiciendum *bona* ante verbum *ſunt*: quarum emendationum vtranque illa etiam editio Romana ſequuta eſt. Alicubi autem lectionem ex Eraſmi iudicio (quod alioqui Muretus tantopere aſpernatur) profectam ſequitur, non autem quam Pincianus ex lib. vet. affert: vt videre eſt cum alibi, tum in fine capitis XXIX.

Vnum eſt autem malum de quo monendus mihi eſt lector, quum non minus apud Senecam quàm alios ſcriptores ab eo ſibi cauere oporteat: id autem eſt, quòd receptę in contextum (vt vocamus) quædam etiam coniecturæ fuerint. Hoc autem malo (quod grauius certè periculoſiúſque eſt quàm prima fronte videatur) nõ minus fortaſſe Mureti editio quàm vlla ſuperiorum temporum laborat: minus tamen animaduerti poteſt, quum ne in annotationibus quidem, multorum quæ mutata ex coniectura fuerunt, fiat mentio. quod cæteri in ſuis facere cõſueuerunt. Sed quum id nihilominus deprehenderim, lectorem monendum putaui. Quum igitur apud Senecam legatur, lib. I De benef. in capitis quinti principio, *Sed quemadmodum ſuperuacua tranſcurram, ita*

exponam neceſſe eſt, hoc primum nobis eſſe diſcendum, quid accepto beneficio debeamus: quum inquam locus hic in omnibus editionibus ita ſcriptus ſit, ille in Annot. totũ iſtud *nobis eſſe diſcendum*, ſibi videri delendum ſcribit:& perinde acſi hoc eius VIDETVR ſacroſancta lex ſit, ab illa editione Romana abeſſe ſcito.

Libri De benef. VI, cap. XXVIII, poſtquam dixit, *Cui enim non ex alieno incommodo lucrum?* id exemplis probare volens, addit, *Miles bellum optat, in gloriam: agricolam annonæ caritas erigit: eloquentiæ exceptat pretium litium numerus: medicis grauis annus in quæſtu eſt.* Vbi Pincianus pro illis, *eloquentiæ exceptat pretium litium numerus*, ſcribendum putat, *eloquentiæ principes exoptant litium numerum.* At Muretus ſcribit eſſe legendum fortaſſe, *eloquens captat pretium ex litium numero.* At ecce iſta lectio, non alia quàm huius vocabuli FORTASSE autoritate nitens, (perinde acſi ab homine profectum eſſet quem ſua nunquam coniectura fruſtraretur) in Romanam illam editionem receptum fuit. Sed cur idem iuris apud Romanos illa Pinciani coniectura non habeat? Cur non idem iuris & mea? ea autem eſt huiuſmodi, *eloquentia expectat pretium è litium numero.* Pugnet Pincianus pro ſua: ego

ego certè pro mea ſum pugnaturus, donec euinçam idem illi iuris eſſe debere: præſertim quum (quod in coniecturalibus iſtis emendationibus ponderandum eſt) minori cum mutatione ſit.

Eiuſdem operis lib. I I, cap. X V I I I, legimus in omnibus editionibus, *Hæc autem* (ratio videlicet) *hoc primum cenſebit, non ab omnibus accipiendum. A quibus ergo accipiemus? Vt breuiter tibi reſpondeam, Ab iis quibus dediſſe videamur.* At Muretus in hunc locum annotat, ſe putare legendum, *ab iis quibus dediſſe vellemus.* Neque hoc P V T O minoris quàm illud V I D E T V R, & illud F O R T A S S E, fuit autoritatis. nã hæc quoque lectio in editionem Romanam recepta fuit. At ego quam cæteræ editiones habent, aptiorem loco eſſe, aduerſus Romanos pugnare paratus ſum. Nam ſi beneficia accipimus ab iis quibus dediſſe videamur (id eſt, videri poſſimus) primùm, accipimus ab iis qui libenter dant: deinde, ſi eiuſmodi ſunt vt videri poſſimus illis iam ipſi dediſſe, nimirum ea habent quæ requireremus in iis quibus daturi eſſemus.

Libri item primi capite X I I I I, vbi legimus, *& in illum etiam inimicum ac turpiſſimum hominem*, ex coniectura *mimicum* ſubſtituit. Nam ita ſe mutare auſum ſcribit in

ambigua veteris libri ſcriptura.

Quid quòd alicubi locum deprauatum eſſe, & ſe tamen non habere quomodo emendet, queritur, ac nihilominus in ipſo contextu emendatam (ſi ex coniectura lectionem vnam in aliam mutare, protinus eſt locum emendare) reperimus? Qua de re ipſe in quadam mearũ ad Iacobum Dalechampium epiſtolarum queror.

Alioqui certè coniecturas eſſe quaſdam fateor in illis Annotationibus eo (quid enim amplius dicerem?) dignas: & quæ tamen eo etiam nomine quòd in contextum receptæ non fuerint, magis mihi placent. Sed & nonnullæ minimè neceſſarias emendationes videntur afferre: id eſt, locis quarum ſcriptura interdum quidem eundem ſenſum habet quem & cum emendatione illa haberet: interdum verò ſi non eundem, at certè commodum. Ex illarum priorum numero fuerit ea quam ſcripſit in iſtum locum capitis primi libri itidem primi De beneficiis, ſub finẽ, *Quàm multi quòd nati ſunt queruntur? tamen natura ſobolem nouam gignit: ipſoſq́, qui non fuiſſe mallent, eſſe patitur.* In annot. enim ſcribit ſe putare, ſublata negatione legendum eſſe, *ipſóſque qui fuiſſe mallent.* Et addit, verbo *Fuiſſe* ſignificari Amplius non eſſe, Periiſſe. vt illic, *fuimus Troes,*

Troes, fuit Ilium: & in illo Plauti loco, *Ita tibi penè fuit Phroneſium.* Sic, quos ſignificare volebant mortuos, Vixiſſe ſolitos eſſe dicere. Non plura ille: ſed, ne videar hunc verbi iſtius vſum ignoraſſe, addam quod ei plus fidei afferat: locum videlicet Tibulli, qui illi in mentem non venit: vt nemini omnia in mẽtem venire poſſunt. Is eſt lib. I,

Siue erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.

At ego ſuperuacaneam, & ſubtilem potius quàm vtilem nedum neceſſariam hanc coniecturam eſſe dico: primùm, quòd non alium quàm eum quẽ iam habemus ſenſum, nobis afferat: deinde quòd Senecam, hoc genere loquendi quod poeticum potius eſt, vti voluiſſe, hoc præſertim in loco, nequaquam mihi fiat veriſimile: poſtremò, quòd non hoc tantùm in loco, ſed in aliis etiam nonnullis eo vſurus fuerit: vtpote ſermone plerunque occaſionem præbente.

Sed aliorũ coniecturis iniquior nonnunquam eſſe videtur, & valde noua ac dura loquendi genera malle quàm illas admittere. Exemplum habemus in Commentariolo quo probare conatur Seneca neque iniuriã neque contumeliam in ſapientem cadere. Nã ibi *Petijt corium* retinere mauult quàm illi qui *Petijt lorum* ſcribit aſſentiri. vt Petere corium ſit, Petere vt oſtiarius vapulet:

vt ſibi de eius corio ſatisfiat. Nam hæc expoſitio, niſi exemplo confirmetur, aut ſaltem adiuuetur, audacula, ſicut durum, hoc loquendi genus, videtur. Idem verò dici poſſe videtur de illo, *Os concurrat*, vbi Pincianus ſcribendum putauit, *Os corruat*: ſed quum & in alio noſtri Senecæ loco inuenerim, ἐπέχω.

Ne hoc quidem placet, quòd nonnulla pleriſque in locis omittit, ita vt ne mētione quidem omiſſionem hanc dignetur. Cuius rei exemplum habemus initio epiſtolæ CXIII (quæ antea CXIIII numerabatur) vbi legimus in prioribus illa editionibus, *Faciam quod deſideras, & quid noſtris videatur exponam. Sed me in alia ſententia eſſe profiteor. Puto quædam eſſe quæ decent phecaſiatum palliatúmque. Quæ ſint ergo quæ antiquos mouerint dicam.* Hæc enim verba, *Puto quædam eſſe quæ decent phecaſiatum palliatumq;*, in illa editione Romana non leguntur: nec vllam tamen prætermiſſionis eorum mentionem in annotationibus fieri videmus. Extant certè cum in aliis editionibus, quæ eam præceſſerunt, tum verò in illa Frobeniana, anni M. D. XXIX. Nec certè verba iſta ſunt eiuſmodi vt aliquem literarū penè rudem ea margini adſcripſiſſe veriſimile ſit, & ex illo in contextum (vt vulgò loquimur)

mur)irrepſiſſe. Adde quòd vocabulum *phecaſia* in alio ipſius Senecæ legi loco, & ibi ab hac ipſa editione Romana agnoſci videmus. Hoc enim eſt principium capitis x x I, libri vltimi De beneficiis, *Pythagoricus quidam emerat à ſutore phecaſia, rem magnam, non præſentibus nummis. Poſt aliquot dies venit ad tabernam redditurus: & quum clauſam diu pulſ.*&c. Nam & illa noua editio eadem omnia eodẽ ſcripta modo habet: niſi quòd *phæcaſia* ibi cum *æ* legitur. Ideo fortaſſe quod hæc ſcriptura apud Heſychium extet, dicentem, eſſe genus calceamenti ruſtici. Φαικάσιον (inquit) ὑποδήματος εἶδος γεωργικοῦ. Ergo *phæcaſiatus* dicetur qui hoc genus, (ſiue hoc genere) calceamenti quod *phæcaſium* dicitur, eſt indutus. Sed quorſum hîc phæcaſiati palliatíque mentio fit à Seneca? Scires fortaſſe quorſum mentionem faceret, ſi aliquot huic loco verba (vt quidem ſuſpicor) non deeſſent: ſed interim an debes ita ſuperiores omnes editiones contemnere vt ne admonere quidem digneris lectorem, verba illa in iis extare?

Diſplicet hoc etiam, quòd ex duabus lectionibus valde diuerſis vnam eligens, de altera omnino tacet, quam tamen alij plerique non minus fortaſſe (ne dicam magis) eſſent probaturi. Hoc autem fieri ab eo re-

cordor capite xxx, libelli De vita beata. Hoc enim eſt principium, *Hæc Stoicis quoque placere oſtendam; non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis Chryſippive committere: ſed quia res ipſa patitur me ire in illorum ſententiam: quam ſiquis ſemper vnius ſequitur, nónne iniuriam infert cæteris?* At in præcedentibus editionibus legitur, *quam ſiquis ſemper vnius ſequitur, non id vitæ ſed factionis eſt.* O quàm diuerſam lectionem! dices. Et verum certè dices: ſed fieri poteſt vt quæ valde diuerſa eſt ab ea quam ſequendam putamus, germana ſit tamen. Quod de hac parum abeſt quin auſim ſuſpicari, ſi tantũ *vitæ* in *ſectæ* (vt mea etiam coniectura locum hunc adiuuet, adiuuare quidem certè conetur) mutemus. Certè, vt non vera ſit hæc ſcriptura, id eſt, vt non verum ſit Senecam ita ſcripſiſſe, verum eſt tamen quod illa dicitur, *ſiquis ſemper vnius ſententiam ſequitur, non id ſectæ, ſed factionis eſt.* Ergóne tacendum de hac lectione erat? Quid de hoc ſilentio quærenti reſpondendum erit? Scilicet illi ſatisfiet, ſi reſpondeatur, non αὐτὸς ἔφα (vt antea dixi) ſed αὐτὸς ἐσιώπα, aut ἐσιώπησε. Neque enim libet & hîc δωείζειν.

Tale autem ſilentium eſt & de quibuſdam locis in quibus & Pincianus & alij ſe tor-

ſe torſerunt: quum variæ lectiones ſe offerrent, ſed nulla tamē ſatis commoda eſſe videretur. Horum in locorum numero iſte meritò ponetur, ex capite nono Conſolationis ad Marciam, *Egregium verſum & dignum audiui (eſt enim è populo) Cuiuis poteſt accidere quod cuiquam poteſt.* Nam deprauatiſſimum eſſe locū ait Pincianus (ſi quiſquam ſit in toto opere) & non tantùm verba in eo vitiata, ſed inuerſum etiā ordinem eſſe ait. Addit, eſſe codices qui habeant, *Egregium verſum & dignum audiui qui non è populo heri & cuiuis poteſt accidere quod cuiquam poteſt.* Sibi autem legendum videri, *Egregium verſum audi, & dignum qui non eſſet Publij Syri, Cuiuis poteſt acc.* At Romana editio, *Egregium verſum audi, & dignum Publio.* Quid? nónne lectori altera etiam lectio proponenda erat, vt poſſet ſi non eligere, ſaltem ex duabus vnam (mediam quandam, vt antea dixi, viam tenendo) ſibi facere? Eſt enim alius Senecæ locus qui hanc Romanæ editionis ſuſpectam reddere nobis poteſt: vt oſtendo in quadam ad Iacobum Dalechampium epiſtola: ad quam te remitto.

Sed interim de alio etiam loco te monebo, qui eiuſdem capitis eſt, & paruo interuallo à præcedente abeſt: vbi ſi Murctus primam illam (aut vnam ex primis illis)

quam ſpernebat editionem cōſuluiſſet, meliorem lectionem nobis dediſſet. Nam apud eum legitur, *Velut murum aliquem aut obſeſſum multo hoſte locum, & arduum aſcenſu, ſemermis* (ita enim apud eum, quum aliæ edit. *inermis* habeant) *adeas: expecta vulnus, & illa supernè volantia cum ſagittis piliſque ſaxa, puta in tuum vibrata caput.* Nam fateor quidem hîc pro *vibrata* malè ſcriptum eſſe *liberata*, in editione Heruagiana, & aliis quę ad illam excuſę fuerunt: ſed homini tam ingenioſo venire ſtatim in mentem poterat, ex hac mendoſa lectione poſſe aptiſſimam fieri, vnica litera detracta. Nam ſi è *liberata* literam *e* dempſeris, habebis vocabulum huic loco appoſitiſſimum *librata*. Atque adeo quum mihi (qui tamen multum ab eo abſum vt tantùm ingenio valeam) ſtatim ſuboluiſſet hic error, illam cuius & antea mentionem feci editionē anni M. D. XXIX, in angulo bibliothecæ iacentē adij, & meæ coniecturæ comprobationem ab ea accepi: niſi quòd non *caput* ſed *corpus* habet. Quicunque certè mecum & cum illa editione *librata* illud non valde probabit, tanquam valde propriè poſitum, ſe illius proprietatem ignorare oſtendet. Sed nónne *vibrata* tolerari poterat? Vt ferri poſſet, tamen alterius ſcripturæ facienda erat mentio: ſed vel

vel hoc mihi perſuadet, Senecam *librata* ſcripſiſſe, quòd Senecæ non ſit, idem verbum in tam vicinis locis (vbi idem aliis dici verbis poteſt) repetere: præſertímque vbi diuerſa verbo natura, vt ita dicam, danda eſt. nam *vibraſſe*, non actiuè (vt hîc paſſiuè dictum eſſet *vibrata*) ſed neutraliter dixerat. quod etiam dignum obſeruatione eſt. Mihi quidem certè quàm ſuſpectum eſt hoc *vibrata*, tam à ſuſpicione abeſt ille vſus verbi *vibraſſe*: quòd talem apud hunc ipſum autorem annotauerim. Memini enim legi in libello De diuina prouidẽtia, vel potius abſque adiectione, De prouidentia (quem alij inſcribunt, Quare bonis viris mala accidãt quum ſit prouidentia) capite tertio, *Inter multa magnifica Demetrij noſtri & hæc vox eſt, à qua recens ſum. ſonat adhuc & vibrat in auribus meis.*

Cæterùm, quamuis aliarum multarum præcedentibus ſimilium querelarum materiem editio illa Romana mihi præbeat, tamen hîc caput iſtud in quo proponendæ erant, claudendum eſt: ne, ſi diutius tractationi huius argumenti vacauero, te de aliis quæ ſuperſunt, admonere non vacet. Sed quædam illuc pertinentia in meis ad Iacobum Dalechampium epiſtolis inuenies.

CAPVT IX.

De quibuſdam vocabulis & loquendi generibus,quæ in Seneca quidam annotarunt: & de alijs quæ magis quàm illa annotatu digna ſunt.

SI QVIS ex prato aut horto non rariſſimos quoſque,ſed partim vulgares, partim minus raros flores colligeret, eum rideremus: eodem certè modo ridẽdi videntur qui quum eorum quæ in alicuius ſcriptoris ſermone maximè notabilia ſunt collectionem promiſerint,multa etiam & vocabula & loquendi genera tãtumnon vulgaria intermiſcent.Sed hoc tamen & in Seneca factum fuit, illa in editione Frobenij cuius antea mentionem feci. Illa enim editio ſicut margini adſcriptam habet illam quam retuli de fictionibus Senecę admonitionem, ſic etiam alia quædam (atque hæc ſunt quæ relaturum me poſtea ibi promiſi) digna nimirum cuipiam viſa quæ in Senecę ſermone obſeruarentur.Verùm quicunque is fuit, malè illorũ delectum habuit, quum multa quæ apud alios quoq; paſſim occurrunt,hoc ĩn numero poſuerit. Nam quis ad Senecam veniens, *Vt* pro *Quamuis* apud alium vel potius apud alios iam non obſeruauit? Et tamen ibi pluribus in locis anno-

tatum

tatum hoc fuit: quorum vnus eſt hic, epiſt. XCIIII, *Si falſas opiniones excluſimus, non ſtatim ſequitur diſpectus rerum agendarum: vt ſequatur, tamen admonitio corroborauit rectam de bonis maliſque ſententiam*: annotatum eſt in margine, *vt* eſſe pro *quamuis*. At potius annotandus erat ille huius particulæ vſus de quo antea admonitus à me fuiſti: aut etiam alius quem habet quum ibi ponitur vbi Latinitas particula *quod* vti potius conſueuit, cũ indicandi modo. Annotatur ibi nõ ſemel quod nõ minus leue eſt, *Simul* pro *Simulac*: & quidem in vno loco ex fine epiſtolæ XXXII, *Et intellectis veris bonis: quæ ſimul intellecta ſunt, poſſidentur.* Proponitur ibidem obſeruãdum *Nedum* pro Non modò. quod non video cur annotatu dignum magis exiſtimarint in hoc vſu quàm in altero: præſertímque vbi ei particula *vt* adiungitur. Sed multo etiã leuiora, quod ad vſum particularum attinet, annotata fuerunt in aliis editionibus quæ illa Frobeniana poſteriores fuerunt. Nam in hunc locum capitis penultimi, libri penultimi De beneficiis, *Non decet gratum animum ſolicitudo: contrà, ſumma fiducia ſui*, annotatum eſt in margine, *Contrà*, pro *Imò*, vel *Quin potius*. Magnã rem dicis bone vir, quicunq; es qui hac annotatione marginẽ nobis occupaſti.

Sed, à quocunque factum id ſit, in ea certè factum eſt editione cui Cœlius Secundus Curio præfuit: atque id adeo non diſſimulauit, vt etiam magnifico hoc titulo omnibus innoteſcere voluerit, L. ANNÆI SENECÆ, philoſophi Stoicorum omnium acutiſſimi, opera quæ extant omnia, Cœlij Secundi Curionis vigilantiſſima cura caſtigata, & in nouam prorſus faciem, nimirum propriam & ſuam, mutata: quorum lectio non modò ad bene dicendum, verumetiam ad bene beatéque viuendum, prodeſſe plurimum poteſt. Quo titulo quid illecebroſius fingi poteſt? Vt tamen de iis quæ ad Senecę laudem pertinẽt taceam, certè, quod ad illa quę præſtita fuerunt hac in editione, attinet, ea tam multis fœdiſſimis mendis libros huius ſcriptoris conſpurcauit, tãquam in locum eorũ quibus eos repurgabat, ſubſtituens, vt alio & quidem contrario & tamen vero ſenſu dici illa poſſint, ET IN NOVAM PRORSVS FACIEM MVTATA. Sunt enim pleriſque in locis in talem faciem mutata vt eam ne ipſe quidem Seneca ſit agniturus. Nam (vt omittam illa quorum in annotationibus Romanæ editioni inſertis fit mentio, *iuuenum occiſorum*, vbi antea legebatur & legendũ eſt *otioſorũ*, viciſſimque *liberos otioſos* vbi *occiſos*, vt antea,

tea, legere debemus) in multos locos incides nouam faciem habentes, quòd *gladiorum* in *gladiatorum*, quòd *via* in *vitæ*, quòd *ratio* in *oratio*, quòd *eiuratio* in *euiratio*, quòd *obuerſantia* in *obſeruantia*, quòd *taurum* in *tantum*, quòd denique *virus* in *virtus* (qua nihil eſt quod magis à virulentia abhorreat) mutatum inuenies, libelli De vita beata, capite XVIII: pag.365. Quid eſt nouam faciem alicui libro dare, ſi hoc nō eſt? Sed vt ab hac tam fœda ſub tam ſpecioſo titulo editione (licet illam poſtea, tanquam optimum exemplar, quidam typographi & quidem etiam Pariſini ſequendam ſibi propoſuerint) ad illam Frobenianam reuertar, anni M. D. XXIX, hic certè eius titulus longè eſt modeſtior, L. ANNEI SENECÆ opera, & ad dicendi facultatem, & ad benè viuēdum vtiliſſima, per Deſ. Eraſmum Roterodamum ex fide veterum codicum, tum ex probatis autoribus, poſtremò ſagaci nonnunquam diuinatione, ſic emendata, vt meritò priorem editionem, ipſo abſente peractam, nolit haberi pro ſua. Confer, & ita rem habere comperies. Hæc ſunt illius tituli verba: à quo vt ad ea quæ in margine annotata eſſe dixi, reuertar, vocabulū *Subinde* ex eo numero eſt, aliquot locis: ſed ita vt ſimul admoneatur lector, idem valere

quod Mox. Nam eregione huius loci libri VI De benef. cap. XXVII, *Si accuſatorem ſubmitteres, quem deinde remoueres: ſi aliqua illum lite implicares, quam ſubinde diſcuteres, nemo de tuo ſcelere dubitaret*: ibi margini adſcriptum eſt, Subinde pro Mox. Idémq; factum fuit, eiuſdem operis libro vltimo, cap. ſecundo, vbi ſcribit Seneca, *Dicat ipſe ſibi, Voluptas fragilis & breuis: faſtidit obiecta: quò auidius hauſta eſt, citius in contrariũ recidens: cuius ſubinde neceſſe eſt aut pœniteat aut pudeat.* Quamuis autem & hanc annotationẽ ſuperuacaneam aliquis fronte prima iudicaturus ſit, non tamen contemnenda eſt: quum reuera ita accipienda videatur, his in locis, præſertímque de priore vix dubitatio vlla relinqui: & tamen vulgaris eius vſus ſit pro Identidem. Quem etiam habet apud eum cùm alibi, tum epiſtola XXXII, *Perduc te in tutum: & ſubinde cõſidera, quàm pulchra res ſit, cõſummare vitam ante mortem.* Nam hîc nemo (vt opinor) negauerit quin ſonet Identidem. Idémque de hoc loco fatebitur; *Ac ſubinde hoc in animo volue*, epiſt. XIII. Nec minus de iſto, in principio epiſt. LXXI, in principio, *Subinde me de rebus ſingulis conſulis.* At de hoc loco ambigi poteſt in̄ vtra ſignificatione accipi debeat, quum neutram reſpuere videatur: libri III De

De ira, cap. x v, principio, *Non dubito quin Harpagus quoque tale aliquid regi ſuo Perſarúmque ſuaſerit: quo offenſus, liberos illi epulandos appoſuit: & ſubinde quæſijt an placeret conditura.* Quod quum ita ſit, duos vſus apud Senecam habere hanc particulam dicendum fuerit, quorum vnus minimè ſit vulgaris. Annotatum eſt etiam *Aduerſus* in bonam partem: item particulæ *in* vſus quem habet quum ſcribit de diis, *ſua illis in legem æterna voluntas eſt.* Nam margini adſcriptum hoc eſt, *in legem*, tanquam notabile: ſed abſque expoſitione tamen: quam fore veram puto, ſi dicamus perinde eſſe acſi dictum eſſet, In locum legis, vel Loco legis: aut Vice legis.

Sed tamen ad indeclinabiles quidem voces quod attinet, non minus admonendus erat lector de voce *Tanquam*, vtpote quæ alium quoque apud Senecam vſum habeat, & de quo non præmonitus lector hærere poſſit. Veluti quum leget, epiſtola L V I I I, *Sextum genus eorũ eſt quæ quaſi ſunt: tãquam inane, tanquã tempus.* Et in eadem epiſt. pag. quæ hanc præcedit, *Cætera, genera quidem ſunt, ſed ſpecialia: tanquam homo genus eſt.* Sic etiam epiſtola L X V I, *Sunt adhuc tertia*, bona: *tanquam modeſtus inceſſus ac compoſitus.* His enim aliiſque multis locis, qui his ſimi-

les ſunt,particula iſta nõ iungitur voci quæ proximè ſequitur, vt quum dicimus, Ridet tanquam ſtultus, Clamat tanquam inſanus: ſed ita ponitur vt à Gręcis *οἷον*,ante id quod in exemplum affertur. Latini autem particula *velut* vel *vt* vti hîc cõſueuerunt. Dixi porrò alium quoque vſum habere apud hũc ſcriptorem iſtam particulam, quoniam vulgarem etiam ei dat nonnunquam: ſicuti quum ſcribit, *Huic ego non tanquam medico, ſed taquam amico obligatus ſum.* Item, *Nemo hæc ita interpretetur, tanquam reducam liberalitatẽ, & frænis arctioribus reprimam.* Nec tacendum erat de aduerbio *quemadmodum*, eum frequenter eo interrogatiuè vti. Qui huius aduerbij vſus tam eſt apud illum frequens,quàm apud Ciceronem rarus.

Verùm vt à vocibus quæ indeclinabiles vocantur, ad declinabiles veniam, ad Nomina inquam & Verba, in his certè idem quod in illis cõtigit,vt multa annotata non digna cæteris admixta fuerint. Cuiuſmodi ſunt,*Conuerſatio*,*Seruator*:& verbum *Febricitare*,item verbum *Coire*,hoc in loco, libri quarti De benef. cap. XXIX, *Duæ res coire debent quæ beneficium efficiant.* At ex iis quę illis rariora dicere poſſumus, ſunt, *Diſplicentia*, De tranquill.cap.II, *Diſplicentia ſui.* & *Vnitas:* vbi dicit, *Hanc ſocietatem tolle, & vnita-*

vnitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, ſcindes. Annotarunt etiam *Segregem vitam*, ibidem: & alibi *Gregalia poma.*

Exiſtimatum eſt item annotatione dignum *Nequitia* pro malitia. Nã libri quinti de benef. cap. XIIII, vbi ſcribit Seneca, *Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit*: margini adſcriptum eſt, Nequitia pro malitia. Vbi tamen falli poteſt lector, qui *malitiam* accipiet non pro eo quod Græci *κακίαν* dicunt, opponentes virtuti: ſed pro eo vitio quod Gallicum ſonat vocabulum inde factum. Verùm alibi de eodem illo vſu nominis *Nequitia* admonens, non ſimpliciter dicit nequitiam, ſed nequitiam in ſceleribus quibuſlibet. Nã libri quarti capite decimoſeptimo, vbi ſcribit Seneca, *Neminem reperies qui non nequitiæ præmijs ſine nequitia frui malit*, annotatum eſt, Nequitiam ſubinde vocat malitiam, etiam in ſceleribus quibuſlibet. Sed potius præmonendus erat lector ſimul de duobus iſtis, *Nequitia* & *Malitia*, eum paſſim ita vti vt id intelligat quod virtuti contrarium eſt: & quidem ita vt alicubi hæc duo *Nequitia* & *Virtus* ſibi oppoſita legantur: itidémque *Malitia* & *Virtus*. Nam diſputationis qua negatur iniuriam & contumeliam in ſapientem cadere, cap. VII, dicit, *Non eſt autem*

ſortior nequitia virtute. Itidémq; *Malitia* & *Virtus* opponuntur epiſtola LXXXI, cuius initium eſt, *Quereris incidiſſe te in hominem ingratum.*

At verò erratum eſt in ea quæ datur nomini Plaga ſignificatione, pagina 80, *Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obuijs pectoribus excipiunt.* Nam hîc margini adſcriptum eſt *Plagis* pro *retibus*. Atqui, quàm verum eſt plagas de retibus etiã dici, tam eſt falſum, ſignificationem hanc locum hoc in loco habere. Quid enim commune retibus cum gladiatorum certaminibus? At ſi *plagis* in magis nota magíſque recepta ſignificatione accipias, nouum hoc & inauditum non erit, fuiſſe qui à tergo ſequẽtes, plagis, id eſt verberibus ſeu ictibus, agerent & compellerent in vulnera eos qui aliquid timiditatis præ ſe ferrent, & refugere viderentur. Operæpretium autem fuerit conferre cum hoc loco iſtum ſecundi capitis libri primi De ira, *Quid?* (nam ita ſcribendum eſt) *gladiatoribus quare populus iraſcitur? & tam iniquè, vt iniuriam putet quòd non libenter pereunt. Contemni ſe iudicat, & vultu, geſtu, ardore, de ſpectatore in aduerſarium vertitur.* Eodémque pertinent ea quæ ex Cicerone affert capite vndecimo Commentarij De tranquillitate animi, *Gladiatores*

tores(ait Cicero)*inuiſos habemus, ſi omni modo vitam impetrare cupiunt: fauemus, ſi contemptum eius præ ſe ferunt.* Hæc autem aliis & quidem pluribus verbis à Cicerone in oratione pro Milone dicuntur. Atque hæc obiter intertexui (quum ſe occaſio obtuliſſet)vt tractationis huius tędium aliquantulum leuarem.

Vt auté ad eam redeam,& de ea orationis parte quã Verba vocamus,dicam,placet quòd annotatione dignũ viſum eſt pag.86, verbum *præcipimus*: vbi ſcribit, *Aut augemus dolorem,aut fingimus,aut præcipimus.* Simul autem & expoſitio adiicitur per verbum Occupamus. Nec diſplicet quòd inter notabilia viſum ſit & *Reducere*, pag. 6, illius quam dixi editionis, *Nemo hæc ita interpretetur, tanquam reducam liberalitatem, & frænis arctioribus reprimam.* Nec indignũ fuiſſe videtur *Determinari* quod hoc in numero poneretur:pagina 49, *Deinde illud vtique mihi determinari volo,ſi & patri beneficium datur,nunquid* & *fratri?* Sed annotatur etiam *Vouent* pro Optant, pag.59. item *Repræſentare* pro Exhibere,pag.9.& *Superfluere* & *ſuperfluens*: necnon alia minus annotatu digna quàm illa priora.

Loquendi genera non minus adſcripta ſunt margini,quæ debere à nobis obſeruari

p. ij.

videbantur. Ex his ſunt, *In ordinem cogere*, & *Summam manum imponere*, & *Perfricare frontem*. item, *Sarcinas contrahere*, & *Nihil penſi habere*, necnon *Verſuram facere*. item, *extrahere diem*. & *Expenſum ferre*, & *In ſolutum accipere*, & *In anteceſſum dare*, & *Æs alienum profiteri*, & *Nomina facere*. Verùm & alia his rariora & notabiliora, *In acta mittere*, & *Intra cutem ſuam cogere*, & *In ſinu gaudere* (quo & Tibullus vſus eſt) & *In ſolido eſſe*, & *Gratiã facere* pro Remittere. Quædam verò ſunt quæ in Romana illa editione nouiſſimè in lucem data non inuenientur. vt *Capite agere*, quod eſt adſcriptũ margini paginæ 53, eregione huius loci, principio libri ſexti De beneficiis, *Ex vultu igitur tuo pendebo: prout ille ſuaſerit mihi, alia detinebo diutius, alia expellã, & capite agam*. Nam editio illa verba iſta, *& capite agam*, non adiicit.

SED IAM tempus eſt vt oſtendam verum eſſe quod de his collectoribus initio huius capitis dixi: eos nimirum in magna ſuæ collectionis parte perinde feciſſe ac ſi quis ex prato aut horto nõ rariſſimos quoſque, ſed vulgares, aut ſaltem minus raros flores decerperet. Vbi enim ſunt *tabularij*, quorum manus laſſant patrimonia? vbi eſt *cinerarius?* vbi ſunt *pararij*, qui *proxenetæ*

netæ alibi vocantur? Vbi ſunt *cubiculatæ naues?* Nam *cubicularius* à me non requiritur, quum non Suetonius ſolùm ſed Cicero etiam eo vſus ſit. Vbi ſunt *cathedrarij philoſophi?* Vbi *gradarius Cicero?* Sed nec *vigiliarium* nec *linguariũ* inuenio: nec *inexcitabilem ſomnum*, nec *inemendabiles homines*, nec *indefatigabilem vigiliam*, nec *inclinabiles in prauum*, nec *vectibilis:* nec *indeprauatus*. Nuſquam denique comparet *infrunitus*, nuſquam comparent illa elegantia diminutiua, ex quibus eſt *Punctiuncula*. Vt omittam *ſatageos*, & *troſſulum*, & *ſcordalum*, & *pilicrepum*, & *alipilum*, necnon *libarium*, & *botularium*, & *cruſtularium:* item, *ſerrariũ*. (pro quo ſunt qui *ferrarium* ſubſtituant) vt taceam item & fulgurũ & fulminum diuerſa pro diuerſis proprietatibus nomina.

Atq; vt à Nominibus ad Verba trãſeam, vbi eſt *Nepotari?* vbi eſt *Æruſcare?* vbi ſunt *Verminari* & *Verminatio?* Nec vſquã ab illis annotatũ inuenio *Adſtupeſcere* cum datiuo *diuitijs:* nuſquã *Reuerberare fortunam:* nuſquã *Repenſare*, nec *Incurſitare*, nec *Perſultare*, nec *Perſalutare*, nec *Subinfluere*, nec *Inædificare*. Nuſquã inter illa quæ annotarunt cõparent multa Verbalia minimè vulgaria: cuiuſmodi ſunt *Diſpectus* & *Suſpectus:* itẽ *Duramentum:* vbi dicit, *Duramentum & robur:* nec

Concitamentum ac *Concitator:* nec *Verſabilis:* nec *Conciliaturæ:* vbi dicit, *Conciliaturas exercere.*

Iam verò & quorundam vulgarium tam Verborum quàm Nominum quidam rari vſus apud eum occurrunt,quorum nulla facta fuit mentio. Nam quæ magis vulgaria Verba dici poſſunt quàm *Dare* & *Afferre?* at tibi locos proponam in quibus quendam vſum habẽt quem tibi inauditum & planè nouum eſſe fateberis.Nam illius Frobenianæ editionis pag. 310, leges, *Dabo tibi ex Ariſtotelis ſinu regem Alexandrum.*Eiuſdem pag. 79, *Multos tibi dabo, qui non amico, ſed amicitia caruerunt.* Et eiuſdem pag. 248, leges, *Da mihi quemcunque vis magni nominis virum: dicam quid illi ætas ſua ignouerit,quid in illo ſciens diſſimulauerit.* Quibus hæc adiungit, vbi eundem eidem verbo vſum dat, *Multos enim dabo, quibus vitia non nocuerint:quoſdã,quibus profuerint.Dabo, inquam, maximæ famæ & inter miranda propoſitos: quos ſiquis corrigit, delet.* Et aliquanto poſt, *Ad compoſitionem tranſeamus: quot genera tibi dabo in hac,quibus peccetur?* Ex quorum locorũ collatione(ſi tamen ea opus eſt) apparet *Dare* eſſe illi quod alij dicũt Proferre,vel In mediũ afferre,vel Proponere. Habet autẽ hic verbi iſtius vſus aliquid audaciæ

ciæ ſimul & iucũditatis ſeu gratiæ poeticæ: ideóque mihi in memoriam reuocat hunc Naſonis locum,

Da mihi Mæoniden, & tot circũſpice caſus:
Ingenium tantis excidet omne malis.

Necnon iſtum,

Da mihi Paſiphaën, iã tauri ponet amorem:
Da Phædram, Phædræ turpis abibit amor.

Non miraberis autem me non vulgarem verbi vulgaris vſum in exemplum afferre, poſtquam legeris meam præfationem in Virgilium cum annotationibus à me editum: ſed miraberis potius quomodo Paulo Manutio cõtigerit apud iſtum poetam hoc ipſum verbum tam malè exponere, & quidẽ in ipſo limine (quod aiunt) impingendo.

Cæterùm quod Seneca ſignificat in locis præcedentibus verbo *Dare*, alibi verbo *Afferre*. vt pag. 225, illius editionis, *Affer quem Fabiano poſſis præponere. Dic Ciceronem, cuius libri ad philoſ.* &c. Alicubi etiam, & quidem pluribus in locis, verbo *Oſtendere*. Sed vno contentus ero, in cuius priori membro ponit *Do*, at *Oſtendo*, in poſteriori: ex fine paginæ 173, *Do tibi Fabios, totum reipubl. bellum in vnam transferentes domum: Laconas tibi oſtendo, in ipſis Thermopylarum anguſtiis poſitos, nec victoriam ſperantes nec reditum.* Illis autem addere poſſumus, *Diſpo-*

nere,& *Imputare*, aliáque nonnulla, quibus, quum alioqui ſint vulgaria, aliter etiam quàm vulgari modo vtitur.

Ad nomina autẽ quod attinet, *tolerabilis homo* ex iis eſt quæ annotatu digna erãt, in illa quidem certè quam ei dat ſignificatiõne. Et quoniã aliquid libertatis ſimul & gratię poeticę habere dixi verbũ illud dare, proponam Nomẽ de quo idem dicere poſſe mihi videor. Nomen inquam, quod non minus quàm Verbum illud,vulgare eſt, ſed quendam non itidem vulgarem peruagatúmque habet apud noſtrum Senecam vſum. Nomen id eſt *Improbus:* quo illum vti eodem quo Virgilium modo,laborem improbum appellantem ; nequaquam dixeris, quum eos ad locos veneris, vbi *improbam ſpem*,& *improba deſideria*, & *improba verba* dicentem illum audies.Et quum hîc Impudentem ſpem & Impudentia deſideria ſignificare videatur : non tamen eandem illi ſignificationem dederis vbi medicum inducit monentem ægrum, *Non eſt quòd protinus imbecillam aciem committas improbo lumini.* Nec minus certè audacter *Malignum lumen* alibi dixit. Idémque fortaſſe dici poteſt de voce *Viridis:* vbi ſcribit, *At ille obijt viridis.*

Quòd ſi & ad loquendi genera veniendum

dum eſſet, dij boni quātus prætermiſſorum numerus occurreret! & quidem quæ multo magis notabilia inſigniáq;, & vel illi peculiaria vel cum paucis cōmunia dici poſſent. Qualia ſunt hæc, *Vixit, ad poſteros vſque tranſilijt, & ſe in memoriam dedit.* Item, alio in loco, (vbi itidem de poſteritate loquitur) *Poſterorum ſermo nos colet ac frequentabit.* Item, *Vſque in delicias amamur.* vbi malè in multis vulg. edit. *armamur.* Item, *Votis aliquid mēdicare.* Necnon iſtud, *Paupertas ſub honore nobilitatis laborans.* Denique iſta, *Si intelliget, non ex alto venire nequitiam, ſed ſummo (quod aiunt) animo inhærere.* Sic alibi, *Ex ſummo animo aliquid venire.* Qui loci quendam Auli Gellij nobis exponunt. Atque vt Seneca illic dicit, *Non ex alto venire nequitiam:* ſic alibi, *Nulla ſolicitudo in alto eſt.* Nec omittendum videtur, *Sceleri alicui manus commodare.* Et alicubi, *Linguam alicui commodare.* Quo etiam modo dicere fortaſſe poſſemus, multos amicis & linguam & conſcientiam commodare. Quinetiam quædam loquendi genera aliorum loquendi generum exemplaria illi ſunt: vt quum (exempli gratia) non tantùm dicit, *Gratiam alicuius rei facere* (quo nō paucis in locis vtitur) ſed etiā *Gratiam ſuam facere*, imitando phraſin illā, *Litē ſuā facere.*

Iam verò ad metaphorica loquendi genera ſi tranſeundum eſſet, vllúſne ſcriptor eſt in quo tantus tam elegantium (& quidem interdum cum audacia etiam elegantium) numerus inueniretur? Vna quidem certè apud eum frequentiſſima eſt, *Collum iugo imponere*, & *Collum iugo ſubducere*. qua gaudere & Naſonem videmus. In quadam epiſtola, *Libera te primùm*(inquit)*metu mortis: illa nobis primùm iugum imponit*. Dicit etiam Sub iugum mittere: vt, *Sub iugum libertatem noſtram mittentia*. Atque vt *Collum iugo ſubducere*, ita etiam *Iugum non recipere*, & *Iugum excutere*, apud eum inuenies. Et quoniam in his ſicut & in ſuperioribus nullum ordinem niſi quem memoria ſuggerit tenere poſſum, ſubiungam quod ab ea mihi nunc ſuggeritur, *Functus omnibus humanæ vitæ ſtipendijs*. Quæ aliam ab hac non alienam mihi in memoriã reuocat, *Sapientẽ, eſſe humani generis pædagogum*. Ac quemàdmodum ab illo dicitur, *Rubigo animorum effricanda eſt:* ita memoriæ meæ rubiginem (ſi hoc etiam modo, exemplum illud imitando, loqui licet) effricare poſſe cuperem: ſed eo minus effricare eam nunc poſſum, quo magis eam vrgeo. Ideo autem vrgeo, quòd à typographicis operis multo magis quàm hactenus in vlla huius libelli parte,

vrgeor:

vrgeor: adeo vt vix bona fide huius loci tractationem poſſim exequi. Sed ecce, dum ita loquor, in mentem mihi redit quod ab illo eleganti metaphora dicitur, *Nunquam vitia bona fide manſueſcunt.* Cui metaphoræ ſimilis eſt iſta, *Sæpius pauper & fidelius ridet.* Recordor etiam ab eo dici, *In procinctu ſtet animus.* necnon, *Transfiguratus animus.* Nec omittenda certe hæc, ei non infrequẽs, *Sub ictu eſſe.* Elegans autem illa eſt qua *Ciceronem gradarium* eſſe dicit. Sunt & nonnullæ ex more ſeu ritu illius ſeculi petitæ: veluti quum dicit, *Beneficium in acta non mitto.* Item, *Beneficiorum noua tabula.* Nonnullæ etiam ſunt à bello, ſed & quædam ab arte medica petitæ. Vnum verò eſt de quo hîc à me monendus es: eſſe aliquas metaphoras non tantùm audaculas, ſed quarum ne ferẽda quidem audacia videatur (etiamſi præfatiuncula velut excuſari ſe petant) niſi proximè ſequentia conſiderentur. vt cap. ſecundo Conſol. ad Marciam, *Quantumcunque imponere illi auunculus, & (vt ita dicam) inædificare voluiſſet, laturum.* Nam vix iſtud *inædificare* aures noſtræ ferre poſſent, niſi ſequeretur, *Bene legerat nulli ceſſura ponderi fundamenta.*

Ac de metaphoris quoque hactenus. nam quum huic opuſculo ea finẽ imponere me

cogant quæ aliò vocant, ijs quæ dicta ſunt addam illa duntaxat quæ in duobus proximè ſequentibus capitibus leges.

CAPVT X.

De nonnullis vocabulis & loquendi generibus, quæ ex collatione cum veteribus libris reddita Senecæ, aut ex eo ſublata, contra vulgarium editionum lectionem, fuerunt.

SVNT etiam pleraque vocabula & aliquot loquendi genera, quorum ideo facta mẽtio non fuit, quòd ex collatione cum veteribus libris nunc primùm reddita Senecæ, aut ex eo ſublata, contra vulgarium editionum lectionem, fuerunt.

Vt autem inter illa quæ Senecæ reſtituta eſſe dico vocabula, (quorum quidem recordari poſſum) primum philoſophica locum teneant, ſcito eo in numero eſſe *eſſentiam.* Nam quum epiſtola LVIII, non procul à principio, ſcriptum ſit, *Cupio, ſi fieri poteſt, propitijs auribus tuis quid ſentiam dicere: ſin minus, dicam & iratis:* in vet. libris reperta eſt hæc lectio, *Cupio, ſi fieri poteſt, propitijs auribus tuis eſſentiam dicere.*

Eſt etiam ponenda hoc in numero vox *Adexpetendum*, quæ Græcæ προσαιρετὸν reſpondet:

ſpondet: pro qua in editionibus quæ Romanam illam cuius facta mentio eſt, præceſſerunt, ſcriptum eſt *Expetibile.* Sed de hoc dictum vocabulo fuit pag. 45, & 46.

Ex vocabulis autem Senecæ redditis, quę ad philoſophiam non pertinent, eſt *Rabere*, cuius etiam facta in præcedentibus fuit mentio.

Ex iiſdem eſt aduerbiũ *Verniliter.* Nam De benef. lib. ſecundi capite vndecimo legimus in ſuperioris temporis editionibus, *Et hæc ipſa non venaliter, nec ea figura quæ quidam reÿciunt quæ magis ad ſe volunt attrahere.* Neque enim dubium eſſe poteſt quin *verniliter* Seneca ſcripſerit, à quo & *vernilitatem* alibi dici videmus. Sed hîc velim cõſideres quàm paruo cum iudicio plerunque multi ſcriptorum loci excudantur. Ecce enim, quũ in illa veteri editione Frobenij ſcriptum quidem eſſet *venaliter*, ſed margini adſcriptum *verniliter*, tanquam alia huius loci lectio: editiones illa poſteriores ne mentione quidem vlla hanc diuerſam lectionem dignatæ ſunt: & ita, quum vetus illa hoc tãtùm peccaſſet quòd ex duabus lectionibus meliorem non elegerat: quæ illam ſubſequutæ ſunt, multo grauius peccarunt, quòd etiam eligendi facultatem nobis ademerunt. Sunt certè mul-

tę margini adſcriptę lectiones diuerſę, quas minimè ſequi debemus: ſed ſunt etiam viciſſim quas vel primo aſpectu aliquis meliores eſſe iis quæ ſunt in contextu, iudicauerit: adeo vt tolli nullo modo poſſint quin magna lectori fiat iniuria. Cuius rei exempla ſuperſunt potius quàm deſunt. Sic epiſtola CII, non procul à principio, *niſi aliquid præcidero:* & pauciſſimis verbis interiectis, *Quid eſt quod præcidere velim?* quum in margine legamus *prædixero* pro illo *præcidero*, itidémque *prædicere* pro hoc *præcidere*: iterúmque aliquanto pòſt ille infinitiuus pro hoc margini ſit adſcriptus: & negare nemo poſſit quin vbique margini adſcriptam lectionem ſequi oporteat. Sic Conſolationis ad Heluiam capite nono, *Idem Brutus ait, C. Cæſarem Mitylenas prætervectum, quia non ſuſtineret videre defortunatum virum.* Nam in margine habemus *deformatum* pro illo *defortunatum:* à qua lectione ipſius vocabuli inſolentia lectorem quodammodo fugat. Et quandoquidem hunc in locum incidi, ad proximè ſequens caput tranſibo, & lectorem de lectione margini appoſita monebo, quam non itidem ſequi oportet. Nam illa cuius antea mentio facta fuit Heruagiana editio habet (ſicut & pleræque illa poſteriores, quæ illam tanquam optimam

optimum exemplar ſibi propoſuerunt) *quorum* (de iis autem loquitur quos illius ſeculi homines appellare maiores ſuos poterãt) *tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis retinebant.* & in margine, *mittebant.* Sed vide quomodo hîc ex duabus bonis lectionibus duæ malæ factæ ſint, ita vt quæ adſcripta eſt eregione nullum loco adiumentum propter depravationem ferre poſſit. Nam quum bene antea ſcriptum eſſet in quibuſdam exemplaribus *nitebant*, in aliis *renitebant:* hæc quidem in *retinebant*, illa autem in *mittebãt* corrupta fuit. Verùm vt ad lectiones illas redeam, quæ, quum vacuo illi ſpatio quod marginem vocamus ſint adſcriptę, potiores ſunt illis quas in con textu habemus, inſigne exemplum ſuppeditat epiſtola x c i x, non procul ab initio, *At mehercule ſatis mihi iam videbaris animi habere etiam aduerſus ſolida mala, nedum ad iſtas vmbras malorum quibus ingemiſcunt homines, amoris cauſa.* Nam ex aduerſo huius loci habemus aliam lectionem, *moris cauſa:* quam germanam eſſe conſtat: & *moris cauſa* eſſe quod Græci dicunt νόμου χάριν: eo quidem certè ſenſu quem habent iſta verba apud Lucillium, in Anthologia epigrammatum, in fine eius quod primum eſt in titulo εἰς ῥήτορας. pagina 169, meæ editionis.

nam id hoc diſticho clauditur,

Πλὴν κἀμοῦ μνήσθητι, νόμου χάριν. ἢ μέγα πράξω,

Ἄλλα λέγεις Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον.

Quem locum addere meo Græcæ linguæ Theſauro potes, quum ibi quidem Lucillium citauerim, ſed locum eius nō protulerim. Cæterùm ſunt etiam loci vbi quamuis prima fronte idem faciendum videri poſſit, id eſt, margini adſcripta lectio eſſe præferenda, ſunt tamen quæ alteram aſſerant: & ita quidem plerunque vt ex alio eiuſdem ſcriptoris loco vel ex aliis locis petatur hæc aſſertio. Atque hoc de iſto dici loco poteſt, epiſtolæ XXIII, *Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem: & quodcunque inuentitium gaudium eſt, fundamento caret.* Multi enim lectionem alterā *perfunctoriam voluptatem*, hac eſſe potiorem credent, niſi quem dat Seneca vſum verbo *perfundere* alibi obſeruauerint. At verò de vocabulo *inuectitium*, quod margo itidem exhibet nobis pro illo *inuentitium*, dubitatio nulla relinquitur. Cęterùm vt illic *perfuſoriā voluptatem* rectè legi probat vſus is quem apud Senecam habet verbum *perfundere*: ita etiam apud eum *omnia* rectè legi, & in *omina* nō debere mutari, oſtendit alius eius locus. Loquor autem

tem de voce *omnia*, quæ extat Conſolationis ad Polybium capite XXIII, in principio.

Sed inter locos qui meliorem lectionem additam extrinſecus habent, quẽdam omiſeram, qui velut in limine operum Senecæ occurrit. Nam libri De clementia primi capite primo, non procul à principio, editiones quæ Romanam præcedunt, iſtam nobis lectionem exhibent, *Nec facilè dixerim vtrum turpius ſit inficiari an repetere beneficiũ. Id enim genus huius crediti eſt ex quo tantum recipiendum ſit quantum vltro defertur* (ſiue *refertur*) *de quo queri reuera fœdiſſimum ob hoc ipſum, quia non opus eſt, ad liberandum fidem facultatibus, ſed animo.* Verùm in margine ſcriptura hæc poſita eſt, *decoquere reuera*, pro illa, *de quo queri reuera*: quin tamen illãm, non hanc, ſequi oporteat, nulli dubium eſſe poteſt. Sed quum iampridem ſcriptura hæc margini (vt dixi) adſcripta eſſet, miror, in Annotationibus Romanæ editioni inſertis, eam pro noua nobis proponi. Nihil enim noui illa affert, niſi quod non, *decoquere reuera*, ſed *decoquere verò* nobis legendum dat.

Verùm, vt ad huius capitis argumentum reuertar, verbum *verminari* ex iis quæ poſtliminio ad Senecæ ſcripta reuertũtur. Nam

libri De beata vita capite decimoſeptimo, in fine, quum in ſuperioribus editionibus ſcriptum ſit, *Non perueni ad ſanitatem: ne perueniam quidem. delinimenta magis quàm remedia podagræ meæ compono: contentus ſi rarius accedit,& ſi minus fera minatur:* in vet. exempl. repertum fuit, *& ſi minus verminatur.* Eo autem lubētius admittere hoc verbum debemus, quòd eius verbale *verminatio* in alio huius ſcriptoris loco extet.

Neque verò ab hoc ipſo diſcedendum eſt libro, ſiue potius libello, vt aliud vocabulum Senecæ reddamus. Nam eius capite ſeptimo quum eædem editiones hanc nobis lectionem afferant, *Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem, latitantem ſæpius ac tenebras captantem, circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia: mollem, eneruem, mero atque vnguēto madentem: pallidam, aut fucatam, & medicamentis pollutam*: hoc *pollutam* in *pollinctam* mutandum eſſe docuit vetus exemplar.

Neque verò omittenda vox quę ſuperioribus omnibus magis noua futura eſt, *oculifera*, in epiſt. XXXIII, *Non habemus itaque iſta oculifera.* nam affertur ex quodam vet. exempl. hoc vocabulum, quum omnes typogra-

pographicæ editiones & alia quę itidem vetuſta ſunt exemplaria *odorifera* habeant. Sed quomodo de tam nouo verbo fides vnico exemplari habenda ſit non video.

Facienda mentio & cuiuſdam quæ epiſtolæ LXXXVI reddita eſt. Nam ex vet. exempl. à quibuſdam ibi (non procul à fine) legitur, *Negat quidquam eſſe hac (vt ait) piſtione efficacius:* quum in editionibus quæ Romanam præceſſerunt, in textu *poſitione*, in margine *ſpiſſatione* habeamus. Ceterùm non minus *Piſo* quam *Pinſo* dictum fuiſſe ſunt qui exiſtiment.

Vocem *Fulguritum* etiamſi nemo Senecę reddidiſſet, libri tertij De ira capite XXIII, tamen apud eum inueniremus. Quî hoc? quia libri ſecundi Natural. quæſtionum capite XXI, legimus, *Quid quòd omnibus fulguritis odor ſulphureus eſt?* Ille autem alter locus in ſuperioribus editionibus pro voce vna *fulguritum* duas habet, *fulgure ictum*: quæ an ex paradiorthoſi an ex margini adſcripta expoſitione manarint, haud facilè dixerim.

Quid? an *pupulus* à me prætermittetur? Nequaquam certè: ſed in alteram claſſem à me reſeruabitur, eorum nimirum quæ coniecturæ ope Seneca poſtliminio recepit: vnà autem & *fitilla* ad eum redibit.

Vt autem nũc ab iis quæ Senecæ reddita ſunt vocabulis, ad ea quæ inſuper reddi aut reddenda videri poſſunt trãſeam, ſciendum eſt, pleraque in veteribus libris occurrere de quibus hoc dicendum quis exiſtimaturus ſit: ſed iſtud viciſſim minimè eſt ignorandum, adhibendam hac in re eſſe cautionem: quum veteres codices quædam etiam nobis vocabula exhibeant, quę ſi in Senecæ libris ponerentur, non illius libris reddi, ſed in illos intrudi ſiue illis impingi meritò dicerentur. Tale eſt autem *naufragabundus*, quod legitur in vet.exempl.in fine epiſtolæ CVIII, *Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate naufragabũdus*. Cur enim *nauſeabundus* huic loco aptiſſimũ in illud *naufragabundus* mutem, & Senecam admiſſurum putem, quod nec ipſa rei quã ſignificare deberet natura admittere videtur? Sic etiam epiſtola VII, quoddam vetus exemplar nouam ſed non recipiendam vocem habet, *odiaris*. Nam quum ita ſcriptum ſit in aliis, *Quid tu accidere his moribus credis in quos publicè factus eſt impetus? Neceſſe eſt aut imiteris aut oderis*. in quodam veteri eſt *odiaris*, non *oderis*. Sed quis *odiaris* pro Odio habearis ſeu Odio ſis, Latinũ eſſe perſuadebit? Verùm vt ſicut duo quæ reiiciẽda cenſeo, in exemplum

plũ attuli, ita vnum quod meritò recipietur afferam: ſciat lector *pratimere* legi in vno atq; altero vet. exemplari in epiſt. XCVIII. Nam quum in omnibus editionibus ſcriptum ſit, *Nihil eſt nec miſerius nec ſtultius quàm ſemper timere*, in illis ſcriptum eſt, *quàm pratimere*. Ac certè pro hac ſcriptura faciunt quæ proximè ſequuntur, *Quæ iſta dementia eſt, malum ſuum antecedere?* At verò *Prætimere* pro Valde timere, ex Plauto affertur. Ne hoc quidem prætereundum eſt, veteres libros alicubi eandem quam & typographicas editiones vocem nobis dare, ſed aliter ſcriptam. Exempli gratia, quũ Socratem appellari *perpetitium ſenem* in his videamus (epiſtola CIIII) in illis, ſaltem in illorũ quibuſdam, *perpeſſitium* legimus: ac certè de hac non illa ſcriptura conſentiunt etiam editiones in alio Senecæ loco, epiſtolę LIII, *Leuis aliquem motiuncula decipit: ſed, quum creuerit, & vera febris exarſerit, etiam duro & perpeſſitio confeſſionem exprimit*, vel *extorquet*. Malè autem *confeſſionem accepit*, priores editiones habent. Cæterùm vix vllum eſt vocabulum quod potius Senecam οἴκοθεν attuliſſe crediderim, aut ſaltem cum paucis commune habuiſſe: ſed *perpetitiũ* potius quàm *perpeſſitium* ſcripſiſſe. Siquis tamen *perpeſſitium* malit, ver-

bale *perpeſſio* pro illo facere videri poterit.

Loquendi autem genera (ſicut & ſimplicia vocabula) Senecæ ex veteribus libris reddita eſſe conſtat, in locis qui ad illorum fidem emendati fuerunt. Inter illa autem notabile eſt hoc, vel potius vnum ex notabilibus, *Intra ſalutarem modum continere.* quod tamen ex iis eſt quæ nondum in vlla typographica editione poſita fuerũt: quum non *ſalutarem* ſed *ſaltem* omnes habeant. At verò iſtud loquendi genus *in ætatum & colorum paria diducere*, eſt quidem in Romana editione, at non in iis quæ illam præceſſerunt. Nam quum libelli De breuitate vitæ capite XII, ſcriptum ſit in aliis, *qui in ceromate ſpectator puerorum rixantium ſedet, qui vicorum ſuorum greges metatur, & colonorum paria deducit:* in illo ex vet. lib. ſcriptũ eſt, *qui vinctorum ſuorum greges in ætatum & colorum paria diducit.*

SED VT promiſſa præſtem de illis etiã vocibus quas coniecturæ, id eſt coniecturales emendationes Senecæ reddiderunt, aut reddere ſe putarunt, primum libẽter locum dabo voci *grandiſcapiæ*, quam Pincianus reponendam pro grandis copiæ putat in fine epiſtolæ LXXXVI, *Omnes autem iſtas arbores quæ (vt ita dicam) grandiſcapiæ ſunt, aut aqua adiuuandas ciſternina.* Nam quum in

omnibus

omnibus editionibus ſcriptum ſit *grandis copiæ*, & Pincianus in ſuis etiam vet. libris hanc ſcripturam inueniret, Fortè, inquit, *grandiſcapiæ ſunt:* vt ſit *grandiſcapiæ*, dictio compoſita, hoc eſt, grandis capitis. Nam ſi ſeparatim *copiæ* legas, quare *vt ita dicam* adderet? Hæc ille, non inualido (mea quidem ſententia) argumento vtens: ſed alio fortaſſe non minus firmo vſurus, ſi addidiſſet, reſpondere hoc *grandiſcapiæ* Græco μακρόκαυλοι. Sed non probo quòd *grandiſcapiæ* exponit Grãdis capitis. Et quid ſi *grandiſcapæ* potius ſcribamus?

Fitilla ex iis eſt quæ ex coniectura Senecæ reddita ſunt, reddita quidem certè exiſtimantur. Nam quum libri De benef. primi capite ſexto ſcriptum ſit in ſuperioris temporis editionibus, *Itaque boni etiam farre ac fictili religioſi ſunt, mali rurſus non effugiunt impietatem, quamuis aras multo ſanguine cruentauerint:* in Romana legimus *farre ac fitilla religioſi ſunt*. Sed hanc coniecturalem emendationem duo ſibi vindicant: licet is qui annotationes in editionem illam dedit, ſibi non illi adſcribẽdam eſſe clamet. Quaſi verò fieri hîc non potuerit, quod ipſe fieri poſſe ſcribit alicubi, vt duobus eadem in mentem veniant, in iis etiam quæ ad loci alicuius emendationem ſpectãt. Ego certè

ex quodam Arnobij loco vtrunque huius correctionis materiem ſumpſiſſe arbitror: & mihi quoque fortaſſe ac tibi eundem in locum incidenti, & loci Senecæ recordanti in quo iam illud *fictili* ſuſpectum erat, eadem emendatio in mentem veniſſet. Eſt autem *fitilla* genus pultis.

Luſcitioſi oculi, vbi antea *vitioſi*, idem reponit.

Idem *mimicum* in Senecã inuexit ex coniectura. nam in contextu etiam ita ſcribere auſus eſt, libri De beneficiis primi capite XIIII, *Nempe hoc quod in illum & vix bene notum ſibi, & in illum etiam mimicum ac turpiſſimum hominem.* Ita mutare (inquit) auſus ſum, in ambigua veteris libri ſcriptura: quũ antea legeretur *inimicum.* Coniecturam hanc probo: audaciam hanc in contextum illam inuehendi probare nequeo.

Idem ita probauit vocem ex coniecturæ margini adſcriptam, De breuitate vitæ capite VII, videlicet *reyculos*, vt eam quoque in contextum immiſerit: & ſcripſerit, *Diſpunge, inquam, ac recenſe vitæ tuæ dies: videbis paucos admodum & reyculos apud te reſediſſe:* quum in aliis legatur *ridiculos.*

Quod capite vndecimo Conſolationis ad Marciam, *res magni molimenti*, ſcribit, quum in aliis legatur, *res magni momenti*, ſi ex cõiectura itidem fecit, minor certè in eo

audacia eſt, quum minus ſit à vera lectione aberrandi periculũ. Sed nec in hoc vno Senecę loco legi putó hoc vocabulum: & veró *molitores ſceleru* apud eu legiſſe mihi videor.

Pupulus eſt ex iis quæ Senecæ reſtituta exiſtimo: ſed de hac reſtitutione, eadem quę de illo *fitilla*, non tamen inter eoſdem, eſt controuerſia. Duo enim ſunt qui Senecæ illud ſe reddidiſſe prædicant. Et quemadmodum vulgo dicitur, Inter duos litigantes tertius gaudet, ita etiam, interim dum duo de illius emendationis honore litigãt, editio Romana illa ſe ornat. Nam in ea legimus, epiſtola x i i, *Profectò inquam iſte delirat. Pupulus etiam deliciolum meum factus eſt.* quum in editionibus quæ illam præceſſerunt ſcriptum ſit, *Perfectè inquam iſte delirat vetulus, etiã deliciolum meum factus eſt.* Cæterùm hæc emendatio ita eſt ex coniectura vt partim etiam ex veteri ſcriptura ſit: quum in quodam aut quibuſdam vet. exempl. inuentum ſit *populus*, & ex eo facilè in mentem venerit *pupulus*.

Exaniare etiam pro *Exinanire* apud hũc ſcriptorem ex coniectura repoſitum fuit: & vno quidem in loco adiuuit (ſicut in proximè præcedẽte emendatione) vet. exem. ſcriptura, *examinare*.

Sunt qui & verbum *ambedere* Senecæ ex

coniectura reddiderint, ſcribentes, libri quarti Natur.quæſtionũ, cap.11, *quòd quum cæteri amnes ambedant terras & euiſcerent:* quum vulgo recepta lectio ſit, *abluant terras*. Non dubito autem quin ita emendandi occaſionem illis præbuerit verbum *exedant:* quod ſtatim à Seneca ponitur. Addit enim, *Nilus tanto cæteris maior adeo nihil exedit nec abradit vt cõtrà adyciat vires*. Sed in quibuſdã editionibus craſſo errore ſcriptum eſt *excedit* pro *exedit*.

Aliud verbum, quod magis eſt nouum, Senecæ reddendum putauit Eraſmus, in epiſtola x c v, *Hoc in omnibus rebus accidet nobis, niſi eximantur quæ reprehendunt animos ac detinent, & præconari totos vetant.* Nam pro *præconari* credidit ſcriptum fuiſſe *perconari*. Affertur alioqui & alia lectio *percontari:* ſed omnino ab hoc loco (vt opinor) aliena. At verbum *perconari* alienum à ſermone Senecę non puto: quamuis illa Rom. editio nobis dare maluerit *conari*.

Sed & quædam reſtituta ſuis Senecæ locis vocabula fuerunt, multo antè quàm in vet.exempl.inuenta eſſent: quorum autoritas deinde ad coniecturam acceſſit. Quod dici poteſt de hoc loco epiſtolæ c x, circa finem, *Hoc itaque ipſe mihi dico, quoties tale aliquid præſtrinxerit oculos meos, quoties occurrit*

cur it domus ſplendida, cohors culta ſeruorum, lectica formoſis impoſita calonibus. Nam *coloribus* habent editiones quæ Romanam præceſſerunt: ſed in margine *calonibus*.

Nvnc ad alteram huius capitis partem veniendum eſt: ad quædam videlicet vocabula quæ contrà è Senecę libris ſublata, veterum librorum autoritate, fuerunt; quum alioqui notabilia & rara videri poſſent.

Incipiam à verbo *Prolongari*, quod tam multos Senecæ locos occupauit in ſuperioris temporis editionibus, vt propemodum deiici de poſſeſſione videatur. Nam de benef. libri quinti capite decimoſeptimo legimus, *Vt prolongetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem: quoniam mora non fit beatior vita, ſed longior.* quum alia quoq; lectio margini adſcribatur, *prorogetur.* Sic etiam Natur. quæſt. libri ſecundi capite quinquageſimo, *aut quæ minui poſſunt aut prolongari*, ſed in margine itidem *prorogari.* Eodémque modo aliis in locis cõtextus quidem illud, at margo iſtud habet: ſed illa editio Romana nullum illi dare locum voluit. Cæterùm ex Plinio quoque duo afferuntur loci vbi pro *prolongare* ex libris veteribus repoſitum fuit *prorogare*.

Defortunatum virum ex libris Senecæ eiectum eſſe iam antea oſtendi.

De *iniuriatus* non eſt quod admoneam. nemo enim non videt iniuriam Senecæ facere hoc vocabulum.

Coctor pro decoctore eſt in primis editionibus Senecæ, & nominatim in illa Frobenij, anni M. D. XXIX: lib. IIII, De Benef. capite XXVI, *Quis coctori pecuniam credet, aut depoſitam committet ei qui iam pluribus abnegauit?* Et margini adſcriptum eſt, coctorem dixiſſe videri pro decoctore. Sed illa Heruagij (ſicut & Romana poſtea) *decoctori* nobis dedit.

Coactor etiam illius *decoctor* ſedem occupauit epiſt. LXXXI, *Poſt naufragium maria tentantur: fœneratorem non fugat à foro coactor.* Nam de hac lectione & Frobeniana & Heruagiana (quarum modò mentionem feci) inter ſe conſentiunt: ſed hæc duas alias lectiones margini adſcriptas habet: vnam, ex aliis exempl. *tortor:* alteram, ex coniectura, *coctor:* quod ſumatur pro decoctore: quũ hoc ipſum *coctor* ex alio eiectum eſſe loco videas.

Ablegatum fuit & verbum *rigidari*, epiſt. LXXI, *Idem ergo de virtute dicemus: & hæc recta eſt. flexuram non recipit: rigidari quidem, amplius intendi non poteſt.* Nam Romana illa editio habet, *rigida eſt, amplius intendi non poteſt.* Neque tamen editionem illam

illam nobis pro regula eſſe volo, vt antea oſtẽdi: ſed Pincianum etiã ſequor, qui quum exemplaria pleraque impreſſam lectionem *rigidari* habere fateatur, addit in aliis eſſe, *rigida eſt*. quinetiam adiicit, eſſe conſiderandum lectoribus an ita legi commodè poſſit, *rigida eſſe, amplius non intendi poteſt*. Niſi potius ſcripſit, *non amplius intendi poteſt*.

Verbum etiam *interuigilo* editio illa Romana tolerare noluit, ſed pro eo *interiungo* ſubſtituit: vt antea docui.

Nomen *ſalutatorium* eadem editio recipere recuſauit. nam quum libelli quo probare conatur nullam nec iniuriam nec contumeliam in ſapientem cadere, cap. XIIII, ſcriptum ſit in illis quarum paulo ante mentionem feci editionibus, aliiſque plurimis, quæ Romanam anteceſſerunt, *Itaque illi quoque quiſquis erit qui ſalutatorium publicum exerceat, donabit:* hæc nobis iſtam ſcripturam exhibet, *Itaque illi quoque quiſquis erit qui hoc ſalutationum publicum exercet,* (malim *exerceat*) *donabit*. In annotationibus autẽ ſcriptura hæc è vetere libro ſumpta eſſe perhibetur: & nihil magis ex conſuetudine Senecæ dici potuiſſe: id eſt, vi banius & elegantius. Publica enim exercere eos qui ex eo publicani vocantur: vt publicum pecoris, publicũ ſalis, vini, cęterarumq́;

mercium pro quibus portorium exigitur. Ita igitur dicere, eos *ſalutationum publicum exercere*, qui admiſſionibus præſunt, & ad principes ſalutandos admittunt eos quibus eis conuentis opus eſt: mercedéſque ab eis eo nomine non exiguas petunt.

Pædagium etiam è Seneca expulſum fuiſſe, & meritò, docebo capite proximè ſequente vbi de vocabulis è lingua Græca ſumptis agam.

Cæterùm, & quædam loquendi genera eiecta ex eodem fuerunt: ex quibus eſt, *Capite agere*, libri De benef.primi cap.primo.

CAPVT XI.

De nonnullis quæ in ſermone Senecæ reprehenſa fuerunt.

De nonnullis, quæ quum illi peculiaria eſſe lector. exiſtimaturus ſit, communia tamen illi cum quibuſdam alÿs eſſe comperiuntur.

De vocabulis & loquendi generibus quæ ex iuriſconſultorum ſeu forenſi ſermone petita ſunt.

SENECÆ ſermonem non ſatis purum eſſe nonnulli clamitant, qui quæ ſit pura Latinitas ignorant. Ego certè nihil eſſe quod ab eius puritate abhorreat, dico, ſi nonnulla

nonnulla quæ in capitũ titulis leguntur, excipiantur. Sed hos titulos eſſe quidem apud Senecam in typographicis editionibus, non Senecæ tamen eſſe, ſatis conſtat.

Meus certè De Latinitate falsò ſuſpecta liber eum tibi ſcrupulum eximet quem iniicere poteſt vſus particulæ *bene* in aliquot ſcriptoris huius locis. Ex quibus eſt hic, *Quum bene iſta per quæ diuitias ſuas diſpoſuit ac fudit, circumſpexerit, ſuperbúmque ſe fecerit, ſi quidquid habet, ei quod cupit comparet, pauper eſt.* Item libelli De breuitate vitæ capite XIIII, *Iſti qui per officia diſcurſant, qui ſe alióſque inquietant, quum bene inſanierint, quum omnium limina quotidie perambulauerint, nec vllas apertas fores præterierint, quum per diuerſas domos meritoriam ſalutationem circumtulerint, quotumquenque ex tam immenſa & varijs cupiditatibus diſtricta vrbe poterunt videre?* Sic etiam alibi, *Quum bene laudaueris.* Et alio loco, *Quum bene lacertos exercuit.* Ille inquã meus liber ſcrupulum tibi eximere poterit quem hic particulæ iſtius vſus fortaſſis iniiciet. Quamuis enim in vernacula lingua noſtro *bien*, quod ex *bene* factum eſt, ita vtamur, tamen & Latinos ita eſſe loquutos, & nominatim poetas elegeiographos, te docebit.

Sic etiam verbum *Inquietare*, quo Seneca

aliquoties vtitur, nonnulli non tam Latinum quàm ex noſtro Gallico *inquieter* effictum ſunt exiſtimaturi: ſed non apud eum tantummodo, verùm & apud Fabium & alios Cicerone poſteriores extare conſtat.

Latinitatis falsò ſuſpectę (de qua editum eſſe à me librum dixi) aptiſſimũ eſſe exemplum & hoc poteſt, *Confeſſione ſua:* eadem omnino ſignificatione qua dicimus *Par ſa confeſſion.* Nam quotuſquiſque eſt qui hanc phraſin ſuſpectam non habeat? Sed immeritò tamen ſuſpecta habeatur. Nam præter Senecam (ſiquis eius autoritate contentus eſſe nolit) etiam Fabius Quintilianus ita loquitur. Legimus enim apud eum libri XII, capite III, *Quòd ſi plerique, deſperata facultate agendi, ad diſcendum ius declinauerunt, quàm id ſcire facile eſt oratori quod diſcunt qui ſua quoque confeſſione oratores eſſe non poſſunt?* Ita enim omnino his verbis vtitur & Seneca, quum ſcribit, libelli De breuitate vitæ capite XVII, in principio, *Qualia autem putes tempora eſſe, etiam ipſorum confeſſione miſera, quum hæc quoque quibus ſe attollunt, & ſupra hominem efferunt, parum ſincera ſint?*

Audiui & qui vocem *adiutorium* tãquam non ſatis Latinã reprehenderent: verùm illi ſciant non Senecam tantùm, ſed etiam Valerium

lerium Maximum, necnon Quintilianũ & Columellam ea vſos eſſe: quinetiam ex Aſinio Pollione à Suetonio in libello De claris grammaticis locum afferri, in quo ea vtitur. Sed ideo fortaſſe quòd legerunt, *Adiutorium meum in nomine Domini*, & quòd hoc ipſum vocabulum noſtris aliquando intermiſcemus in ſermone familiari, veluti quum dicimus, *I'ay trouué vn petit adiutorium:* ideo vix Latinam ſatis eſſe vocẽ exiſtimant. Aliquot quidem certè Senecæ loci hanc vocem habent. Ex quibus vt duos proferam, legimus capite quarto libri primi De ira, *Homo in adiutorium mutuum generatus eſt.* Et capite nono eiuſdem libri, *Ideo nunquam aſſumet ratio in adiutorium improuidos & violentos impetus.*

Prolongare autem, quod iure fortaſſe pro non Latino habetur, ex libris Senecæ eiici, tanquam ſuppoſititium, & in eius locum *prorogare* ſubſtitui (ſicut & *prorogare* pro *prorogari*) antea docui.

Corporalis & *Incorporalis* licet à Cicerone, vt à Seneca, non dicantur, (ſed potius *Corporeus* & *Incorporeus*) non ideo Latina non ſunt: quum Fabius illis vtatur.

Interim pro Nonnunquam dicit alicubi Seneca: ſic autem & Quintilianus alicubi illo vocabulo vtitur. *Ideo* quoque illi fre-

quens eſt in eo vſu quem idem Quintil. illi dat Declam. CCLXII, *Ego te adeo non puto defendi hoc genere patrocinij poſſe, vt, quocunque alio modo dimiſiſſes vxorem, meliorem tum cauſam fuiſſes habiturus.* Sic autem vtitur & in Inſtitutione oratoria.

Vocabulo *Conſummatus* nonnullis in locis eum vſum tribuit quem Quintilianus, vbi *conſummatam eloquentiam* dicit: item vbi ſcribit, *Conſummati iam patroni veteribus æmulantur.* Et paulo pòſt ſcribit, *Egregius verò multóque quàm in orationibus præſtantior Brutus, ſuffecit ponderi rerum. ſcias eum ſentire quæ dicit.* Vbi habes & verbum *ſcias* ita poſitum vt à Seneca frequenter ponitur.

Quum item, *Suprema præſtare*, apud Senecam leges, memento & Quintilianum hoc vocabulum *ſuprema* ita vſurpare.

Exequi laudes alicuius, vel aliquid aliud, quum dicit Seneca, ita hoc verbo vtitur vt Fabius, quum dicit cap. primo libri octaui, *Sed ea quæ de ratione Latinè atque emendatè loquendi fuerunt dicenda, in libro primo, quum de grãmatice loqueremur, exequuti ſumus.* Sic alibi, *quũ omnia tria genera fuero exequutus.*

Necnon quum in hũc Senecæ locum incides, in principio capitis XXV, Conſolationis ad Polybium, *Poteſt & illa res à luctu te prohibere nimio, ſi tibiipſi renuntiaueris,*

nihil

nihil horum quæ facis poſſe ſubduci: aut in aliũ ei ſimilem, memineris & Fabium ita loqui, libri vltimi capite vltimo, *Sed hi primùm renuntient ſibi quanta ſit humani ingenij vis, quàm potens efficiendi quæ velit.* Ac tale eſt quod Seneca locis aliquot dicit *Aurem ſibi peruellere.*

Atque vt dem, de hoc *Renuntiare* dici poſſe, talem eius vſum Senecæ cum Fabio tantùm eſſe communem, at non & de aliis omnibus quæ præcedunt dici poteſt. Sed tamen ſunt & quędam loquendi genera aut Senecæ vix cum alio quàm cũ Fabio communia, aut ſaltem illis magis quàm aliis vſitata. Ex iis ſunt, *Confeſſione mea*, vel *Confeſſione ſua*, de quo paulo antè dictum eſt. Cui addere poſſumus, *Ex confeſſo.* vt epiſtola LXXVI, *Siquis omnia alia habeat, valetudinem, diuitias, imagines multas, frequẽs atrium, ſed malus ex confeſſo ſit: improbabis illum.* Itidémque in ſequente periodo, *ſed ex confeſſo bonus ſit.* Nam eodem modo dicit Fabius, *Niſi fortè laudare quæ conſtet eſſe honeſta, & vituperare quæ ex confeſſo ſint turpia, non eſt oratoris officium.* Quinetiam aliquid *in confeſſo eſſe* dicitur: vt capite II, De breuitate vitæ, *De iſtis me putas differere quorum in confeſſo mala ſunt?* Cuius loquendi generis non dubito quin itidem apud Fabiũ exem-

pla inuenturi ſimus, apud Plinium certè inueniuntur.

Ex Ouidij etiam ſermone quędam illum petere obſeruaui. Ouidij autem ſermonem quum dico, partim illi peculiarem (inter illos qui ad noſtra vſquę tempora peruenerũt ſcriptores) partim, illi magis quàm cuiquam alij vſitatum intelligo. Quod de illo particulæ *bene* vſu, cuius in principio huius capitis facta mentio fuit, meritò dixerimus.

Hoc etiã non tacebo, nõnulla eſſe vocabula quæ Senecę cũ ipſo etiã Cicerone eſsẽt cõmunia, ſi veteres Ciceronis editiones ſequeremur. Atque hoc de voce dignatio dici poteſt: nam ſicut apud Senecam legitur, ita & apud illum in editionibus illis olim legebatur, quum in vocem *dignitas* in recentioribus ſit mutatum. Eſt ſanè Ciceronianus is verbi *ſequi* vſus quem illi dat Seneca, quum ſcribit, *Qui gratus eſt quid ſequitur?* pro eo nimirũ quod aliter diceretur, Quid ſpectat? vel, Quid ſibi proponit? Cicero *ſcopum* quoque hac de re dicit. Vulgo autem dicitur, Qua intentione hoc facit? Aliquando autem *Id agit vt*, eodem ferè ſenſu dicit: (quod & ipſum Ciceronianum eſt) vt epiſt. CVIII, *Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philoſophorum ſchola diuerſorium otij ſit. Non id agunt vt aliqua illic*

vitia

vitia deponant, vt aliquam legem vitæ accipiant. Sic epiſt. x x x, *Nam de morte multa loquitur, & id agit ſedulò vt nobis perſuadeat.* Perinde acſi diceret, Et ſedulò dat operam vt nobis perſuadeat. Sic etiam libri De benef. quarti capite x x x, *Hæc debemus virtutibus, vt non præſentes ſolùm illas ſed etiam ablatas è conſpectu colamus. Quomodo illæ id egerunt vt non in vnam ætatem prodeſſent, ſed beneficia ſua etiam poſt ipſas relinquerent: ita & nos non vna ætate grati ſimus.* Verùm particulam *id* in poſterioribus editionibus nō habemus (quum tamen huic loquendi generi ſemper ſoleat adhiberi) nam in illis ſcriptum eſt, *Quomodo ijdem illi egerunt vt non in vnam æt.* & *poſt ipſos*, non *poſt ipſas.* Sunt autem & loci in quibus aliquis de ſignificatione huius phraſeωs non admonitus, falli poſſit. Quædam etiam alia non minus Ciceroniana ſunt, quæ tamen noua cuipiam aut ſaltem à ſermone Ciceronis aliena videri poſſint. Tale eſt quod legimus circa principium epiſtolæ x c v, & *ingentem epiſtolam impingam.* Nam & apud Ciceronem legimus, *Impingit mihi epiſtolam Scaptius Bruti.* Vtitur autem & alibi ſæpe hoc verbo Seneca: vt libri primi De benef. capite primo, *Gratus aduerſus eum quiſquam eſſe poteſt qui beneficium aut ſuperbè iniecit,*

aut iratus impegit? Sed magis ſimilis ſuperioribus locus eſt is in quo dicit, *& illi Ouidium ſuum impingo.* His autem addendum eſt & illud *Deformare* quo vtitur libri De benef. ſeptimi capite ſecundo, quum dicit, *Hic quem deformamus.* Nam & Ciceronem ita verbo *deformare* vti ſciet qui illum diligenter euoluerit.

AD EA porro vt veniam quæ non itidem fortaſſe defendi poſſe aliorum ſcriptorum aut alius ſcriptoris autoritate videbuntur, recordatus ſum modò, quum locū hunc afferrem, *Gratus aduerſus eum quiſquam eſſe poteſt qui beneficium aut ſuperbè iniecit, aut iratus impegit?* reprehendi vſum hunc præpoſitionis iſtius in bonam partem. Cui ſimilis eſt iſte, *Quomodo ſe gerat aduerſus vxorem.* Sed non ſolùm veteris ſermonis, verumetiam ipſius Ciceronis autoritas illum hîc tuetur.

Quoniam quidem autem pro *Quandoquidem* ex iis eſt etiam quæ apud illum ſæpe occurrunt, & quidem exemplo fortaſſe apud alium ſcriptorem carent: ſed ex vet. exempl. ſæpe à Pinciano *quandoquidem* reponi videmus.

De vſu autem aduerbij *Tanquam*, vbi aliquid in exēplum vult afferre, pro eo quod Græci dicūt οἷον, antea monui. Hoc etiam paſſim

paſſim apud eum obuium eſt, *Æquè quàm* pro *Æquè atque*. Vt, *Nihil æquè amarum quàm diu pendere*. Item, *Æquè enim exiguo tegitur corpus quàm alitur*. Sed leuia ſunt hæc duo de quibus reprehenditur, & quæ Latinitati facere iniuriam dici (vt opinor) non poſſunt: ac præſertim ad iſtud poſterius quod attinet.

At non leuis itidem eſt momenti hęc reprehenſio Eraſmi, dicentis illum, pronomine reciproco, *ſui*, *ſibi*, *ſe*, frequenter durius vti. fieri enim nequit quin durior hic pronominis vſus (quũ abuſum aut abuſui proximum eſſe conſtet) in Latinitatem peccet. Sed ego, qui Senecam legi, & bonam eius partem non legi ſolùm ſed relegi, nullum pronominis huius duriorem vſum animaduertere me memini. Fateor quidem, libri tertij De ira capite vigeſimoſecundo, ſcriptum eſſe *mater ſua*, vbi *mater eius* fortaſſe lector expectaſſet. Hęc enim in capitis principio legũtur, *C. enim Cæſar villam in Herculanenſi pulcherrimam, quia mater ſua aliquando in illa cuſtodita erat, diruit, fecitque eius per hoc notabilem fortunam*. Sed non video cur non & hoc modo loqui illi per Latinitatem licuerit. Ac miror certè cur in illa editione Frobenij, cuius à me facta iam ſæpe fuit mentio, & cui ipſe Eraſmus quo-

dammodo præfuit, notatum ſit *Sui* in margine, vno in loco, & *Suo* duobus in locis. Nam in fine paginæ 58, vbi Seneca ſcribit, *Et quāquam maius illi propoſitum ſit, maiórq; actus ſui fructus quàm ſeruare mortalia*, margini adſcriptum eſt *Sui*, videlicet tanquam obſeruatione dignum. At pag. 62, vbi à Seneca ſcribitur, *Eſt proprium ſuperbiæ, magno æſtimare introitum ac tactum ſui liminis: pro honore dare, vt oſtio ſuo propius aſſideas*, margo habet itidem illud *ſuo*, tãquam dignum quod annotetur. Idémque factum fuit in fine illius paginæ, vbi legimus, *Si optares vt illi ſolueres de ſuo*. Sic etiam pag. 67, vbi habes, *Itaque non poteſt dari beneficium ſapienti: cui quidquid datur, de ſuo datur*. Et paulo poſt, vbi legitur, *Itaque dare regi & domum & mancipium & pecuniam poſſumus, nec donare illi de ſuo dicimur*, vtrobique *de ſuo* margini adſcriptum eſt. At ego non video quid noui aut quid notabile habeat vſus huius pronominis in vllo horum locorum. Duo quidem certè ſunt loci à me obſeruati, in quorum vno *ſuam*, in altero *ſuus* dicit, quum tamen pronomen primitiuum *ſui* aptius fortaſſe videri poſſit. Nam De breuitate vitæ capite x, legimus, *Ille qui multa ambitioſè concupijt, ſuperbè contempſit, impotẽter vicit, inſidioſè decepit, auarè rapuit,*

prodigè

prodigè effudit, neceſſe eſt memoriam ſuam timeat. vbi *memoriam ſui* legamus, vel *memoriam ſuam* eo de ſenſu intelligamus neceſſe eſt. Idémq; de *ſuus* cẽſendum eſt, (meo quidem iudicio) vbi ſcribit, *Hic, illius cultor eſt, ille, illius: ſuus nemo.*

Quòd ſi verum fatendum eſt, vſum pronominis *ipſi* potius mirari & ſuſpectum habere nonnullis in locis deberemus. Nam capite x x x, libri de benef. quarti, legimus, *Quomodo ijdem illi egerunt vt non in vnam ætatem prodeſſent, ſed beneficia ſua etiam poſt ipſos relinquerent.* Nam quomodo *ipſos* habere hîc locum dicemus? Certè aut *ſe*, aut *ſeipſos* expectandum potius fuiſſe, nemo (vt opinor) negauerit. Quidquid autem hoc de loco dixerimus, dicendum de iſto etiam fuerit, *Non ideo quidquam inter illos puerόſque intereſſe quis dixerit, quòd illis talorum nucúmque & æris minuti auaritia eſt, his auri argentíque*, & *vrbium: quòd illi inter ipſos magiſtratus gerunt.* Sed veriſimilius eſt *ſeipſos* à Seneca ſcriptum fuiſſe quàm *ſe*, & in hoc & in præcedente loco, & in aliis ſimilibus: & ita librarios in omittendo non in mutando peccaſſe.

Vt autem illi de ſuſpectis vocabulis & loquendi generibus ſermoni aliquid addam, ſcio ex illis quidem fore & verbum

Decollare: (& tamen eo alij etiam vſi ſunt) in horum autem numero futurum & iſtud, *Bonum habere animum.* ſed quamuis Gallicam phraſin audire nobis videamur, tamen Plautum ipſum ita eſſe loquutum, docui in meo De Latinitate falsò ſuſpecta libello. Sed & nonnulla quæ non immeritò fortaſſe improbabuntur, negligentiæ librarij, vt opinor, iure imputabuntur. Tale eſt, *Non retuliſſe lædentibus gratiam*, De clementia libri primi capite VII. quidni enim *malam gratiam* Senecā ſcripſiſſe, ſed *malam* librarium omiſiſſe ſuſpicer? Ad ea aūtem quod attinet in quibus conſtructio cuipiam fortaſſe non ſatis Latina videbitur, ex illorum numero ſcio fore, *Interdicere alicui rem aliquam.* hoc enim multis in locis occurrit: quorum vix vnum ita ſcriptum in illa Romana editione manſiſſe puto. Atqui, ſi mutanda eſt apud Senecam hæc conſtructio, idem & apud quoſdam alios faciendum eſt.

Scio equidē vel Latinitatem Senecę, vel librarij fidem alicui ſuſpectam fore & in hoc loco, à quo incipit epiſtola CXI, *Quid vocentur Latinè ſophiſmata*: ſed hūc monitum eſſe volo, Senecam alibi quoque ita loqui.

Sunt tamen & quædam vocabula quæ in ambiguo relinquo: ex quibus ſunt, *Formoſa domus*,

domus, epiſtola LXXXVII: & alibi, *Gregalia poma*, item *Gregale tectorium*.

Supereſt vt etiam de duplici vſu particulæ *quod*, quem apud Senecam habet, aliquid dicam: & ita quidem vt vnum ei cum optimis quibuſque ſcriptoribus cõmunem eſſe fatear, alterum non item: ſed in hoc ſuſpectam eſſe debere librariorũ fidẽ, reſpondeã. Communis eſt is quem habet quum dicitur à Seneca, *Non eſt quòd mireris*, *Non eſt quòd putes*. vel *Non eſt quòd exiſtimes*, aut *credas*. Sic, *Non eſt quòd ad quaſdam fœminas reſpicias*. Item, *Non eſt itaque quòd iſta officia cuiquam imputes*. Item quum dicit, (niſi fortè hic vſus à præcedente diſtinguendus eſt) *Multum præſtant philoſophi, quòd loquuntur, quòd honeſta mente concipiunt*. Item, *Liberaliter facit quòd viuit*. Alterius autem exemplum eſt, epiſt. CVIII, *Quum verò commendare paupertatem cœperat, & oſtendere quòd quidquid vſum excederet, pondus eſſet ſuperuacuum & graue ferenti*. Verùm hîc illa editio noua particulam iſtam omittit, & pro *eſſet* habet *eſſe*. Ad locum quidẽ certè quod attinet qui eſt libri De beneficiis tertij capite XXIII, non ſolùm potuiſſe ſed debuiſſe prætermitti hanc particulam, nemo eſt qui negare auſit. Alibi autem, vbi apud Senecam legimus, *Tunc manifeſtum fit quòd in*

arduo ſumma ſint, editio illa non *quòd* ſed *quàm* habet: atque alibi itidem hanc in illius locum ſubſtitutam in ea videmus. At non itidem ſuſpectos habere debemus hos (& his ſimiles) locos, Controuerſ. v, vel (vt alij partiuntur) IIII, libri ſecundi, *Obiecit patri quòd etiam fratrem abdicaſſet.* Et paulo pòſt, *Hoc per tranſitum obijcere cœpit, quòd non recepiſſet, quòd vidiſſet in lupanari habitantem.*

De illis autem quæ ex iuriſconſultorum ſeu forenſi ſermone petita ſunt dicere aggrediens, primũ iis quæ frequentiora ſunt, locum dabo. Ex iis igitur eſt *manus iniectio:* vt cap. v, libelli quo probare conatur nullam nec iniuriam nec contumeliam in ſapientem cadere. Poſtquam enim narrauit, Stilponem philoſophum, à Demetrio cui cognomen Poliorcetes fuit, Megara capta, interrogatum num quid perdidiſſet, reſpondiſſe, Nihil: omnia enim ſua ſecum eſſe: paucis interiectis addit, *Habebat ergo ſecum vera bona, in quæ non eſt manus iniectio.* Sed & Cõſolationis ad Heluiam caput vndecimũ his verbis claudit, *Animus quidem ipſe ſacer & æternus eſt, & cui non poſſit inijci manus.* Quinetiam epiſtola prima legimus, *Fac ergo mi Lucili, quod facere te ſcribis: omnes horas complectere. ſic fiet vt minus ex craſtino*

ſtino pendeas, ſi hodierno manum inieceris.

Ibidem, *In poſſeſſionem mittere* dicit, non minus aptè hoc loquendi genus quàm alterum illud ſermoni ſuo accommodās. Scribit enim, *Omnia, mi Lucili, aliena ſunt: tempus tantùm noſtrum eſt. In huius rei vnius fugacis ac lubricæ poſſeſſionē natura nos miſit: ex qua nos expellit quicunque vult.* Apud eundem legimus, *Poſſeſſionem æternam alicuius rei promittere* (vbi æterna poſſeſſio vocatur quæ alibi perpetua) De vita beata capite XXVI, vbi de diuitiis agitur, *Vos, tanquam aliquis vobis æternam poſſeſſionem earum promiſerit, aſſueſcitis illis & hæretis: ſapiens tunc paupertatem præcipuè meditatur, quum in medijs diuitijs conſtitit.* Ad hunc autem ſermonem pertinet quod aliquoties apud eum occurrit, *Mancipio dari.* vt De benef. lib. III, cap. XX, *Corpus itaque eſt quod domino fortuna tradidit, hoc emit, hoc vendit* (vel, *hoc emitur, hoc venditur*) *interior illa pars mancipio dari non poteſt. Ab hac quidquid venit, liberum eſt.* Epiſtola item LXXII, poſtquam dixit, omnia quibus vulgus inhiat, vltro citróque fluere, addit, *Nihil dat fortuna mancipio.* Ideóque iis quæ à fortuna dantur, & fortuita vocantur, opponit ea quæ perpetua ſunt. Vſus autem erat hoc loquendi genere & Lucretius, hoc in verſu,

Vitáque mancipio nulli datur, omnibus vſu.

Admonet porro me illud vltimum huius verſus vocabulum vt & locos proferam in quibus *vſumfructum* eleganti metaphora ſermoni ſuo aptat. Scribit igitur Conſolationis ad Polybium capite XXIX, *Gaude itaque habuiſſe te tam bonum fratrem: & vſumfructum eius, quamuis breuior voto tuo fuerit, boni conſule.* Sic Conſolationis ad Marciam capite X, de liberis, honoribus, opibus, de clara, nobili aut formoſa coniuge, déque cæteris quæ ex incerta & mobili ſorte pendent, loquutus, nõ multis interiectis, addit, *Ita non eſt quòd nos ſuſpiciamus, tanquam inter noſtra poſiti. mutuò accepimus: vſusfructus noſter eſt: cuius tempus ille arbiter muneris ſui temperat.*

Verbo *Delegare*, (quod eſt iuriſconſultis, Alium pro ſe qui ſoluat ſubſtituere) vſurpat libro De benef. quarto, capite XI, *Ignoto naufrago nauem qua reuehatur & damus & inſtruimus. Diſcedit ille, vix ſatis noto ſalutis autore: & nunquam amplius in conſpectum noſtrum reuerſurus, debitores nobis deos delegat: precatúrque vt illi pro ſe gratiam referãt.* Verùm obſerua, non dici hîc ſimpliciter, *delegat deos*, ſed *delegat deos debitores*. Sic autem *delegationem* dicit libri ſexti capite quinto, *Nam & pecuniã dicimur reddidiſſe, quamuis numera-*

numerauerimus pro argenteis aureos, quamuis non interuenerint nummi, ſed delegatione & verbis perfecta ſolutio ſit.

Habemus autem in hoc ipſo capite & *Contribuere*, quod itidem eſt iuriſconſultorum. Sed ego de alio huius verbi elegantiſſimo pariter & Latiniſſimo, ſed rariſſimo tamen vſu, monitum lectorem volo. Is eſt quem habet in fine capitis XIIII, libelli De breuitate vitæ: vbi ſcribit, *ſuos tibi annos contribuet.* Nam ita loquutum eſſe Tibullum comperio libri primi elegia VI,

Viue diu mihi dulcis anus. proprios ego tecum
(Sit modò fas) annos contribuiſſe velim.

Atque huc pertinent quæ legimus capite VIII eiuſdem De breuitate vitæ opuſculi, *Dicere ſolent iis quos validiſſimè* (vel *valdiſſimè*) *diligunt, paratos ſe partem annorum ſuorum dare.* Sic certè apud Plautum iuuenis quidam amicæ dicit,

Ego te? quam ſi intelligam deficere vita, iam ipſe
Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.

Petitum è iure eſt & *aſſignati*, quod extat epiſtola CX, *Interim illud ſcito, ſiue aſſignati ſumus, ſiue neglecti & fortunæ dati, nulli te poſſe imprecari quidquam grauius quàm ſi im-*

precatus fueris vt ſe habeat iratum.

Idem quum epiſtola LXXXI ſcribit, *Qui retulit* gratiam, *ipſe ſe appellauit*, nõ dubium eſt quin ad forenſem huius verbi vſum reſpiciat: perinde acſi diceret, Non expectauit donec appellaretur, ſed ipſemet erga ſe appellantis officio functus eſt. Manifeſtum autem iſtud fuerit vel ex collatione cum hoc eiuſdem loco, libri VII, De benef. capite XXII, *Quod debes quære cui reddas: & ſi nemo poſcet, ipſe te appella.*

Sententiam diuidere, quod apud eum legimus capite tertio de vita beata, alio eiuſdem explicatur loco. Nam hîc quidem ſcribit, *Noſtram verò* opinionem *quum dico, non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus. eſt & mihi cenſendi ius. Itaque aliquem ſequar, aliquem iubebo ſententiam diuidere.* At verò epiſtola XXI legimus, *Has voces non eſt quòd Epicuri eſſe iudices: publicæ ſunt. Quod fieri in ſenatu ſolet, faciendum ego in philoſophia quoque exiſtimo. Quum cenſuit aliquis quod ex parte mihi placeat, iubeo illum diuidere ſententiam, & ſequor.* Vſus eſt autem & Cicero eodem loquendi genere, libri primi epiſtola ſecunda, *Poſtulatum eſt vt Bibuli ſententia diuideretur. quatenus de religione dicebat (cui quidem rei iam obſiſti non poterat) Bibulo aſſenſum eſt: de tribus legatis,*

frequentes ierant in alia omnia. Quinetiam in oratione pro Milone, *Diuiſa ſententia eſt.* Aſconius ſcribit, quum aliquis in dicenda ſententia duas pluréſve res complectitur, ſi non omnes hæ probantur, poſtulatur vt diuidat, id eſt, de ſingulis rebus referatur ſeorſum: quò pars vna, ſi viſum fuerit, repudietur, altera recepta. Non dubito autem quin Seneca ad hunc ſententiam diuidendi morem alluſerit, vbi ſcripſit, *Et Platonis argumentum afferam. Quid enim prohibet alienis vti ex parte qua noſtra ſunt?* Ideo enim ſenator ſententiam diuidit vt illa vtatur ex ea parte qua ſuam, id eſt ſuę conſentaneam, eſſe videt. Et verò in illo epiſtolæ XXI loco habemus, *Quum cenſuit aliquis quod ex parte mihi placeat.* vbi quamuis aliud ſonent hæc, *quod ex parte mihi placeat*, quàm illa, *ex parte qua noſtra ſunt*, tamen dicere poſſumus nos eo ipſo quod nobis ex parte aliqua placet, velle vti ea ex parte qua noſtrum eſt. id eſt, qua pro nobis facit: ſiue cum opinione noſtra conuenit.

Obſeruandum verò eſt hoc quoque, vbi dicit, *Aliquem ſequar, aliquem iubebo ſententiam diuidere*, velut opponi hæc duo, Aliquem ſequi, & Iubere aliquem ſententiam diuidere: non quòd is qui iubet hoc fieri, non ſequatur eius ſententiam, ſed quòd ex

parte tantùm id faciat:at quum dicitur Aliquem ſequi, intelligatur, eius ſententiam omni ex parte ſequi. Antequam verò ab hoc de voce *Diuidere* ſermone diſcedam, locum afferam vbi vtitur pulcherrimo loquēdi genere quod ab illo verbo originem habet, licet aliò quàm ad id de quo dictum eſt, pertineat. Id legitur in principio capitis vltimi Conſolationis ad Heluiam, *Maximum adhuc ſolatium tuum tacueram, ſororem tuam: illud fideliſſimum pectus tibi, in quod omnes curæ tuæ pro indiuiſo transferuntur, illum animum omnibus nobis maternum.*

Cæterùm in fine capitis illius libelli De vita beata quod proximè citatum præcedit, in fine primi videlicet, necnon in principio ſecundi habemus itidem quæ ad eundem illum cenſendi ſeu ſententiam pronuntiandi morem pertinent. Scribit enim in fine capitis primi, *Itaque idem euenit quod in comitijs, in quibus eos factos prætores iidem qui fecere mirantur, quum ſe mobilis fauor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus eſt omnis iudicij in quo lis ſecūdum plures datur.* Vbi anīmaduerte hoc loquendi genus, *Vbi lis ſecundum plures datur.* Quibus verbis quū hoc caput clauſerit, ſequens (quod eſt ſecundum) ab his inchoat, *Quum de beata vita agitur, non eſt quòd mihi diſceſ-*

ſionum

ſionum more reſpondeas, Hæc pars maior eſſe videtur. Vbi obſeruandum eſt, opponi ab eo morem illum qui ſeruatur in omni iudicio in quo lis ſecundum plures datur, ei qui ſeruandus eſt quum de beata vita agitur. Hîc enim eſt illa particulæ coniunctiuæ omiſſio Senecę familiaris, cuius à me facta mentio fuit: quum alioqui dicendum fuiſſet, *At quum de beata vita agitur, non eſt quòd mihi diſceſſionum more reſpondeas, Hæc pars maior eſſe videtur.* Cæterùm hoc vocabulum, *diſceſſionem* inquam, habemus in eodem illo quem attuli ex ſecunda Ciceronis epiſtola loco, *antè ſe oportere diſceſſionem facere quàm conſules.* Et aliquanto pòſt, *Perſpiciebant enim, in Hortenſij ſententiam multis partibus plures ituros.* Nam quum ſenatuſconſultũ per diſceſſionem fiebat, pedibus in ſententiam hanc vel illam ibatur: quum denuntiaretur, Qui hæc ſentitis, ite hanc in partem: qui alia omnia, ite in illam. Legimus porro & in quarta Ciceronis epiſtola, *Nemo eſt enim qui neſciat, quominus diſceſſio fieret, per aduerſarios tuos eſſe factum.* Dicebatur verò & Diſcedere in alicuius ſen tentiam. vt apud eundẽ legimus, epiſt. x x I, libri x I I, ad Atticum, *Quæ omnia quia Cato laudibus extulerat in cœlũ, perſcribẽdaq; cẽſuerat, idcirco in eius ſententiã eſt facta diſceſſio.*

Seneca in eo etiam capite quod proximè ſequitur, tertio videlicet, poſtquam dixit, *Aliquem ſequar, aliquem iubebo ſententiam diuidere*, verbis vtitur quæ itidem propria &(vt ita dicam) ſenatoria ſunt. addit enim, *Fortaſſe & poſt omnes citatus, nihil improbabo ex iis quæ priores decreuerint: & dicam, Hoc amplius cenſeo.* Nam hîc obſeruanda ſunt, *citatus*, & *decreuerint*, & *cenſeo*: vel potius totum hoc loquendi genus, *Hoc amplius cenſeo.* Et ad verbum quidem *cenſere* quod attinet, eo vtẽtem audimus & in iis quæ proximè præcedunt, *Noſtram verò* opinionem *quum dico, non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus. eſt & mihi cenſendi ius.* Vbi non ſolùm obſeruare debemus ipſum verbum, ſed totam hanc phraſin, Eſt & mihi cenſendi ius. Ad vocabulum autem *citatus* quod attinet, cum hoc loco eſt conferendus alius, in quo eodem eadem in re vtitur, proprietatis, vt hîc, ita illic (ſuo more) ſtudioſus. Nam in fine libelli De breuitate vitæ legimus, *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo ſenatorem non citat.* Sic à Cicerone citari iudex dicitur: vt Philippica quinta, *Quæro igitur ſi Lyſiades citatus iudex non reſponderit.* Necnon tertia in Verrem oratione, *Quo quidem die primùm iudices citati in hunc reum conſediſtis.*

quoniam

quoniam, vt ſcribit Aſconius, & iudices & reus, & teſtes per præconem prætorium citari ſolebant. Apud Ciceronem autem non ſolùm iudices,& reum,& teſtes citari videmus, ſed etiam accuſatorem. Citari autem tradunt eſſe,ad prętoris tribunal,ſiue ad iudicium vocari. Sed in illo priore Senecæ loco ſimplicius accipi poteſt videri.

Vt porro ab illo dicitur, *Hoc amplius cenſeo:* ita etiam dici nonnunquam ſolitum fuiſſe,*Hoc amplius decerno:* vel ex hoc Ciceronis colligimus loco, epiſtola IIII, ad Brutum, *Quum de ÿs qui hoſtes iudicati ſunt, bello perſequendis ſententiæ dicerentur, dixit Seruilius etiam de Ventidio,& vt Caſſius perſequeretur Dolabellam. Cui quum eſſem aſſenſus,decreui hoc amplius,vt tu,ſi arbitr.*&c. Vbi quod dicit ſe aſſenſum eſſe Seruilÿ ſen tentiæ,ſic tamẽ vt aliquid amplius decreuerit:conuenit cum iis quæ à Seneca dicuntur, *Nihil improbabo ex ÿs quæ priores decreuerint: & dicam*(niſi potius *ſed dicam* ſcripſit) *Hoc amplius cenſeo.* Qui enim aliquid ad ea quæ ab aliquo in ferenda ſententia dicta ſunt, adiicit, non ideo ab ea diſſentire exiſtimandus eſt.

Eandem ad rem pertinent & iſta, Nega tibi liquere, & nos reuerti iube: quæ leguntur epiſtola LXV, quæ vulgo LXVI nume-

ratur. Nam quum iuſſiſſet Lucilium, vt iudicem, ferre ſententiam, & pronũtiare quis veriſimillimum dicere videretur, non quis verum diceret: paucis interiectis addit, *Aut fer ſententiam, aut (quod facilius in eiuſmodi rebus eſt) nega tibi liquere, & nos reuerti iube.* Tam proprium autem erat hoc loquendi genus *Non liquere*, & tam (vt ita dicam) inueteratum, vt iuriſconſulti vix alio vſi ſint. Sed & Cicero hoc vſus eſt, cum alibi, tum in oratione Pro Aulo Cluentio, *Deinde homines ſapientes, ex vetere illa iudiciorum diſciplina, qui neque abſoluere hominẽ nocentiſſimum poſſent, neque eum de quo eſſet orta ſuſpicio pecunia oppugnatum, re illa incognita primò condemnare vellent: non liquere dixerunt.*

Pulcherrima metaphora ex iure ſumpta vtitur & epiſtola XLVIII, circa finem, vbi de iis loquitur qui ſophiſmatibus conantur eos aduerſus quos diſputant, in fraudem inducere: & nihil aliud agere eos dicit, quum eum quem interrogant, ſcientes in fraudem inducunt, quàm vt formula cecidiſſe videatur: ſed quemadmodum prætor illum qui formula cecidit, in integrum reſtituit, ita hos à philoſophia reſtitui in integrũ. Qualia autem eſſent illa, quorum nõ habita ratione, formula cadebãt, ex Fabio diſcimus,

ſcribente,

ſcribente, in omnibus ferè cauſis, in quibus cecidiſſe quis formula dicitur, has eſſe quæſtiones, An huic, An cum hoc, An hac lege, An apud hunc, An hoc tempore liceat agere. At verò in philoſophicis diſputationibus formula excidit is qui ſophiſmate in fraudem inductus aliquid cōcedit quod concedendum nō erat: quoniam ex eo conceſſo ſequitur aliquid quod nullo concedi modo debet. Sed ad ipſum Senecæ locum veniendum eſt, *Quid enim aliud agitis, quum eum quem interrogatis, ſcientes in fraudem inducitis, quàm vt formula cecidiſſe videatur? Sed quemadmodum illum prætor, ſic hos philoſophia in integrum reſtituit.* Dicitur porro & *Excidere formula.* Sed quod quidam ſcribunt, idem eſſe Formula cadere ſeu excidere, quod Cadere cauſa, nō video quî verum eſſe poſſit. Siquidē etiamſi cauſa quis cadat quòd formula ceciderit, non tamen eodem vtrunque ſenſu dicitur: ſed illud ex hoc accidit. Adde quòd is qui formula cecidit, cauſa non cadit ſi à prętore in integrum reſtituatur.

E foro, id eſt è forenſi ſermone, ſumpta ſunt & illa, epiſt. XIII, *Litem conteſtatam habemus.* Poſtquam enim dixit, nos aut augere dolorem, aut fingere, aut præcipere: addit, *Primum illud, quia res in controuerſia*

eſt, & litem conteſtatam habemus, in præſentia differatur.

Aduocationis etiam appellatione non vnò in loco vtitur: quæ propriè dicitur de illo temporis ſpatio quod nonnunquam iudex iis dabat qui ad cauſam aliquam tuendam nondum ſatis parati & inſtructi venire poterant. Atque ideo aduocatio vocabatur, quòd illis interim aduocare amicos liceret quos in conſilium adhiberent. Hinc igitur ſumpta metaphora dicit eleganter in Conſolatione ad Marciam, capite x, *Rapite ex liberis voluptates, fruendos vos inuicem liberis date: & ſine dilatione omne gaudiũ haurite. Nihil de hodierna die promittitur. Nimis magnam aduocationem dedi: nihil de hac hora. Feſtinandum eſt.* Quum enim dixiſſet, *Nihil de hodierna die promittitur*, & tamen dicẽdum potius eſſet, *Nihil de hac hora promittitur*, dicit ſe nimis magnam aduocationem dediſſe: id eſt, nimis magnum temporis ſpatium. Idem libro De ira primo, iram rationi opponens, poſtquam dixit iram ſibi indulgere, ex libidine iudicare, & audire nolle, & patrocinio locum non relinquere, & ea tenere quæ inuaſit, & eripi ſibi iudicium ſuum, etiamſi prauum eſt, non ſinere: rationem contrà vtrique parti locum dare & tempus ait: deinde aduocationem etiam

ſibi

ſibi petere, vt excutiendæ veritati ſpatium habeat. Leguntur autem hæc capite vltimo illius primi De ira, *Ratio* (inquit) *vtrique parti locum dat & tempus. Deinde aduocationem etiam ſibi petit, vt excutiendæ veritati ſpatium habeat.* Paulo poſt autem aduocationem ambitioſiorem dicit, *Ira vanis & extra cauſam obuerſantibus commouetur. Vultus illam ſecurior, vox clarior, ſermo liberior, cultus delicatior, aduocatio ambitioſior, fauor popularis exaſperat.* Vtitur denique & alibi hoc vocabulo: & quidem alicubi editiones ſuperioris temporis *actionem* habent vbi *aduocationẽ* ſcripſit Seneca. Obiter autẽ admonebo aduocationis appellatione alicubi aliter etiã vti, de eo videlicet quod aduocatus præſtat officio: vbi de eo loquitur qui ſe cuidam aduocationẽ promiſiſſe dicit.

Ex eodem fonte ſunt iſta verba, epiſtola CIIII, *Etiam ad tutelam ſalutis tuæ inhabilis es.* Neq; verò in *tutelæ* tantùm appellatione proprietatẽ cõſiderare debemus, ſed in illo etiam vocabulo *inhabilis.* Totus autẽ locus eſt hic, *Ipſa pax timores ſubminiſtrabit. Ne tutis quidem habebitur fides: conſternata ſemel mente, quæ vbi conſuetudinẽ pauoris improuidi fecit, etiã ad tutelã ſalutis tuæ inhabilis es.*

Ex eodem fonte & illa metaphora manauit, qua vtitur quum *beneficiorum nouas*

uas tabulas dicit.

Nec verò aliunde petita eſt metaphora quã habet iſtud loquendi genus, *Nunquam vitia bona fide manſueſcunt.*

In epiſtola autem x c i, repoſitum fuit antiquum vocabulum *ſiremps*, à ſummo viro Iacobo Cuiacio: ita vt quum in ſuperioris temporis editionibus ſcriptum ſit, *Omnium quæ terram premunt, ſimilis eſto:* in noua illa legamus, *Omnium quæ terram premunt, ſiremps lex eſto.* Sic autem in quadam lege quam Barnabas Briſſonius è Frontino (ſed pleriſque in locis à ſe emendatam) in doctiſſimis ſuis libris de formulis & ſolemnibus populi Romani verbis, affert, legimus, SIREMPS LEX EI IVS CAVSSAQVE OMNIVM RERVM ESTO.

Habemus apud eum & *vltro tributa*, (ſiue *vltrotributa* vna voce) cap. primo libri De benef. quarti: vbi poſtquã dixit inueniri qui honeſta in mercedem colant, & quibus nõ placeat virtus gratuita: quum tamen hęc nihil in ſe habeat magnificum, ſi quidquam venale habet: addit, *Quid enim eſt turpius quàm aliquem computare quanti vir bonus ſit: quum virtus nec lucro inuitetur, nec abſterreatur damno? adeóque neminem ſpe ac pollicitatione corrumpat, vt cuncta in ſe impendere iubeat,*

beat, ac ſæpius in vltro tributis ſit? De quo vocabulo apud Adrianũ Turnebum (quem virum ego, Galliæ noſtræ lumen aũt vnum ex Galliæ noſtræ luminibus auſim appellare) legimus, ita vocatas fuiſſe impenſas & attributiones operum publicorum faciendorum, & ſartorum tectorum præſtandorum, mancipibus & redemptoribus certa mercede locatorum. Vnde factum eſſe vt vectigalia, quibus reditus & fructus populi Romani cõſtabat, cenſores pro viribus auxerint: at vltro tributa, quibus impenſæ ſumptúſque & erogationes pecuniæ publicæ ex ærario hauriebantur, quoad eorum fieri potuit, pretiis diminuerint, & ad minimam ſummam perduxerint. Et quibuſdam ex Plutarcho interiectis, illũ Senecæ locum addit, in quo ſignificari ab illo ait ſumptum magnum impenſáſque virtutis cauſa ſæpe eſſe faciendas. Attulerat autem duos Liuij locos: in quorum vno, de cenſura Marci Portij Catonis & Valerij Flacci loquens, ſcribit, *Vectigalia ſummis pretijs, vltro tributa infimis locauerunt.* In altero, *Qui publica vectigalia aut vltro tributa conduxiſſent.*

Hæc quidẽ ille. Sed & Antonius Auguſtinus, vir (vt omnibus notũ eſt) in antiquitatis indagatione maximus, *Vltrotributa* dicta ait, operum publicorum, quæ cenſores

locabant redemptoribus, vel vt ędificarent, vel vt ſarta tecta conſeruarent, ſumptum & impenſam. Atque ita fuiſſe appellata quòd quum quinto quoque anno ab omnibus tributa ſoluerentur cenſoribus, ij vice verſa redemptoribus tanquam tributum penderent. Quæ ſi rectè ab illo dicuntur, certè quum ita loquitur Seneca, *Quid enim eſt turpius quàm aliquem computare quanti vir bonus ſit? quum virtus nec lucro inuitetur, nec abſterreatur damnó: adeóque neminem ſpe ac pollicitatione corrumpat, vt cuncta in ſe impendere iubeat, ac ſæpius in vltrotributis ſit?* quum (inquam) ita loquitur, ſenſus erit, Tantum abeſt vt virtus ſpe alicuius præmij quenquam corrumpat, vt etiã velit impẽdi cuncta in ſeipſam ab eo qui eius cultor eſt, ac ſæpius inter vltrotributa computari poſſit. id eſt, inter eas quas facere cogimur impenſas. Atque ita res in quam ſiue propter quam facere impenſam & ſumptum cogimur, impenſa vocabitur. Perinde acſi diceret, Quemadmodum redemptores cenſoribus tributa, ſicut cæteri, non pendunt, ſed contrà ab illis accipiunt: ita, tantum abeſt vt virtus cultoribus ſuis quæſtuoſa ſit, aut aliquam lucri ſpem illis oſtentet, vt eos omnia in ſeipſam impendere iubeat: adeò vt virtus ſæpe illis vltrotributorum materies

ries ſit. Neque tamen negauerim duriuſculè dictum mihi illud videri, *in vltrotributis ſit*, ſi ita accipiatur. Alioqui ſummatim talem eſſe huius loci ſenſum, oſtendunt & quæ ſequuntur. Scimus autem multos queſtos eſſe quòd virtutem pleriq; ideo amplecti nollent, quia eam illa cõditione amplecti oportebat. Vnde iſta,

--quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas?

His adiicere multa poterit ab eo qui ſcriptoris huius libros, præſertímq; Cõtrouerſiarũ peruolutarit. (ſi tamẽ eiuſdẽ ſunt) Sed ne hoc quidẽ omittam, illũ dicta etiã quædam iuriſconſultorũ, & nonnulla quæ velut regulæ ſunt, elegãter propoſito ſuo accommodare. Ex quibus eſt illud, Quæ publica ſunt, non vſucapi. Duobus enim in locis (nam duorum tãtùm recordor) illud affert. Quorum prior eſt, epiſtola LXXIX, *Parata verba inuenit: quæ aliter inſtructa* (ſed *ſtructa* legendũ ſuſpicor) *nouam faciem habent. Nec illis manus inijcit, tanquam alienis. ſunt enim publica. iuriſconſulti negant quidquam publicũ vſucapi.* Niſi ſcripſit, *iuriſconſulti autẽ negãt*. vel, *at iuriſconſulti negãt*. Poſteriorẽ locũ habet epiſt. LXXXVIII, quæ in ſuperioris temporis editionibus LXXXIX numeratur, *Paterno agro, inquit,* (ſed *inquis* eſt ſcriben-

dum)& *auito expellor. Quid? ante auum tuum quis iſtum agrum tenũit? cuius, non dico hominis, ſed populi fuerit, expedire potes? Non dominus iſto ſed colonus intraſti. Cuius colonus es? Si bene tecum agitur, hæredis. Negant iuriſconſulti quidquam vſucapi quod publicum eſt. Publicum eſt hoc quod tenes, & quidem generis humani.*

Hoc quoque non tacebo, eum qui iuriſconſultorum ſermoni (de veteribus tantùm loquor) aſſuefactus erit, inuenturum non pauca illum cum ſermone Senecæ (niſi fortè dicendum potius eſt, Senecæ ſermonem cum illo) habere cõmunia, in iis etiam quæ alioqui ad ius propriè non pertinent.

CAPVT XII.

DE VOCABVLIS ET LOquendi generibus quibus Seneca Græca exprimit, aut ſaltem imitatur: necnon de pleriſque quibus vtitur Græcis vocabulis.

CAPVT hoc quum abſoluam, quo in ſtatu futurus ſim, neſcio: inchoare certè ſine riſu non poſſum. Sed id tamen quod mihi riſum mouet, in cauſa eſt cur caput hoc cæteris à me adiiciatur. Verùm ne te diu mirabundum detineam, ad quandam ex iis quas ad Dalechampium ſcripſi epiſtolis remittam, vbi oſtendo, Senecam, quòd Græcam declinationem ſequens, *Pythoclea* non *Pythoclem*, dixiſſet, occaſionem Italo cuidam præbuiſſe *Pythocleam viam* in indicem Romanæ editionis inuehendi. Ille igitur bonus vir ne ad ſimilem poſthac lapidem impingat, id eſt, ne ex alio ſimili accuſatiuo *Idomenea* talium ineptiarum materiem arripiat, ſciat, *Pythóclea* & *Idomenea* non eſſe ablatiui caſus ab adiectiuis Pythocleus & Idomeneus, ſed accuſandi caſus, more Græco: quem & in accuſatiuo *Orphea* alicubi ſequutum eſſe. At ſunt poetici potius tales accuſatiui. Fateor: ſed ita poetici vt ſoluta oratione vtentibus eorum vſu in-

terdictum non ſit, vt oſtendunt qui itidem *Periclea* & *Themiſtoclea* dixerunt. Seneca quidem certè non minus *Pythoclea* & *Idomenea* & *Orphea* dicere potuit pro terminationem Latinam habētibus, Pythoclem, & Iedomeneum,& Orpheum, quàm *platanona* potius quàm platanonem dixit.

Cęterùm illa tanta támque craſſa etiam apud Romam ignorantia,quam mihi riſum mouiſſe dixi, ideo cauſa fuit cur hoc caput cæteris adiecerim(nam hoc ei acceptum ferendum eſſe dixi) quòd apud me cogitarim, ſi ex illis etiam trinominibus hominibus literatis, & qui tria illa ſua nomina Indicibus librorum à ſe confectis inſcribunt, (& quidem Romæ) aliqui ea inſcitia laborarēt vt Græcus accuſatiuus *Pythoclea* Pythocleam viam excogitandi occaſionem illis præberet: quanto magis alia quædam à noſtro Seneca è ſermone Gręco ſumpta occaſionem hærendi aut etiam impingendi aliis quibuſdam eſſent præbitura. Atque(vt nihil diſſimulem)riſum illum alius etiam comitatus eſt. ſimul enim in mētem venerunt aliqui huius ſcriptoris loci in quibus ex Græcis vocabulis Latina ridiculè facta fuerunt: veluti vbi *platamona* in *prata bona*, & *petaurum* in *peccatum* mutaſſe librarios videmus.

Ab hoc

Ab hoc autem velut prꝫludio eorum quæ huius capitis ſunt argumentũ, vt ad illa iam nũc aggrediar, de hoc primùm te monebo, vt quum incides in hunc Senecæ noſtri locum epiſt. LXV (quæ LXVI numerari ſolet) *Itaque homines quidem pereunt, ipſa autem humanitas ad quam homo effingitur, permanet: & hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur:* Latinum hoc *humanitas* non id ſonare quod paſſim apud Latinos eo ſignificatur, ſed id quod Grꝫcis ſonat ἀνθρωπότης: & ad eius exemplar effictum eſſe.

Idem verò dicendum & de illo *Impatientia*, quod habemus epiſtola nona: illo inquã quo conatur Græcum ἀπάθεια exprimere: ſicut Latino adiectiuo *Impatiens* Græcum adiectiuum ἀπαθής. Sed ita id facere conatur vt ambiguitatem habituras eſſe has Latinas voces fateatur. Cꝫterùm ibidem quum affert hanc ἀπαθείας periphraſticam interpretationem, vt dicamus eſſe *animum extra omnem patiẽtiam poſitum*, animaduertendum eſt *patientiam* hîc non habere conſuetam ſignificationem, ſed ſonare τὸ πάσχειν, ſeu παθητόν.

Sic etiam quum *ordinatiorem* epiſtola LXXIIII, legis, Græcum εὐτακτότερον tibi in mentem veniat. nam illud ad huius exemplum dictum eſt, vtroque eandem

originem habente: quum illud ſit ab ordine, hoc ἀπὸ τῆς τάξεως, quo declarari ordinem omnibus notum eſt.

Alloqui & *Alloquutio* frequenter pro verbo Conſolari & nomine Conſolatio vſurpat, Græcorum παραμυθεῖσθαι & παρηγορεῖν, necnon παραμυθία & παρηγορεία imitans. vt epiſt. CXVIII, *Egregiè itaque videtur mihi Metrodorus dixiſſe in ea epiſtola qua ſororem, amiſſo optimæ indolis filio, alloquitur.* Item Conſolationis ad Polybium cap. XXXIII, nō procul à principio, *Nullus itaque melius has alloquendi partes occupauerit.* Nam quæ addit, vſum hunc iſtud verbum habere apertè oſtendunt, *aliud habebunt hoc dicente pondus verba, velut ab oraculo emiſſa: omnem vim doloris tui diuina eius contundet autoritas.* Nec videtur alium vſum habere epiſtola LIIII, vbi ſcribit, *His & huiuſmodi exhortationibus tacitis (nam verbis locus non aderat) alloqui me deſii.* Itidem verò alloquutionem dicit cum alibi tum verò Conſol. ad Heluiam matrem capite primo, *Quid quòd nouis verbis, nec ex vulgari & quotidiana ſumptis alloquutione, opus erat homini ad conſolandos ſuos ex ipſo rogo caput alleuanti?* Sic etiam alloquutiones legimus Conſolationis ad Marciam capite primo, *Fatigatæ alloquutiones amicorum, autoritates magnorum*

&

& affinium tibi virorum.

Malitia item pro vitioſitate ab eo dicitur eodem modo quo à Græcis κακία. nam vt hoc à nomine κακὸς, ita illud à nomine *malus* ortum eſſe manifeſtum eſt. Ac, quamuis Cicero eo ſe nolle vti dicat, quòd certi cuiuſdam vitij nomen ſit, & eius loco vti malle vocabulo Vitioſitas, quod eſt nomen vitiorum omnium, tamen Seneca eo paſſim vtitur, virtuti opponens. Sic epiſt. LXXV, *Quidam hoc proficiētium genus, de quo loquutus ſum, ita complectuntur, vt illos dicant iam effugiſſe morbos, animi affectus nondum: & adhuc in lubrico ſtare: quia nemo ſit extra periculum malitiæ, niſi qui eam totam excuſſit.* Sic etiam in illo Attali dicto, *Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit.* Alicubi & virtutis appellationem, tanquam ei oppoſitæ, altera ex parte ponit: alicubi bonos mores ei opponit, vt in fine epiſtolæ XLVII. Sic verò & Nequitiam virtuti opponi ab illo videmus: quod nihilò (vt opinor) magis apud Ciceronem vſum iſtum habet. Non eſt autem omittendum, *malitiam* alicubi etiā legi, vbi malaciam Seneca ſcripſit, ſicut in quadam epiſtola admonui.

De *interrogatione* pro ſyllogiſmo, ad exemplum Græci ἐρώτησις, vel potius συνερώτησις, à me antea (ſi bene memini) dictū

fuit. Huc autem reſpiciendo, dicit etiam, *eum quem interrogatis*, ſignificare volens, Cui ſyllogiſmũ proponitis, epiſt.XLVIII. Sed & Collectionem & Colligere eadem de re dicit.

Item *feruidum factum* imitatione θερμȣ̃ ἔργȣ Grecorum dictum eſſe conſtat: ex quibus & ſuum θερμουργὸν compoſuerunt.

Necnon quum *præfatum tempus* pro eo quod fato præfixum eſt, dicit, τὸν προειμαρμένον χρόνον velle imitari videtur. Ideóque malè quidam pro *præfato tempore* aliam lectionem *præterito tempore* inferre voluerũt.

Atque hoc *præfato* mihi in memoriam reuocat quod ex eadem præpoſitione compoſitum eodémque modo ad Græci vocabuli ſignificationem accõmodatum eſt, *præoccupati*. Nam alicubi *præoccupati ſumus* eo ſenſu dicit quo Græci dicerent, πρόληψιν ἔχομεν, (vel ταύτην τὴν πρόληψιν ἔχομεν) breuius quàm ſi diceret, Hanc præoccupationem habemus.

Quinetiam *Aut* pro Alioqui quũ dicit, Græcum ἢ in exemplum ſibi proponit, quo vtrunque ſignificatur. Idémque dici poteſt de aduerbio *Rurſus*, quum pro Contrà eo vtitur. nam ita πάλιν vtrunque vſum habet.

Græcorum etiam libertatem in compoſitis quibuſdam æmulatur: vt, quum *inexcitabilem*

tabilem ſomnum dicit, ſicut Græci ἀνήγρετον ὕπνον: ſed multo magis quũ arbores, *grandiſcapias*, vt illi δένδρα μακρόκαυλα.

Iam verò & omnia vocabula Latina quæ Stoicæ linguæ appellatione cõtineri docui, ad exemplar Græcorum facta eſſe, ex ijs quę antea dixi, ſatis liquet. Quò pertinet & ille vſus vocabuli *præoccupati*, cuius paulo ante memini: ſic tamen vt fatear, vocabulum πρόληψις, cuius ſignificatio eo includitur, alijs philoſophis cum Stoicis eſſe commune.

Quinetiam vbi Seneca ex Chryſippo ſcribit, ſapientem nulla re indigere, & tamen multis illi rebus opus eſſe, Stoicam differentiam (nam Stoicam magis quàm Græcam eſſe puto) verborum δεῖσθαι & ἐνδεῖσθαι videtur voluiſſe exprimere: ſed non auſum eſſe eandem inter Egere & Indigere diſtinctionem ſtatuere. Nam vbi legimus in typogr. editionibus, de Chryſippo, *Ait ſapientem nulla re indigere*, non eſt quòd putemus magis ἐνδεῖσθαι quàm δεῖσθαι repræſentari, quum nec vet. exemplar hoc ſuſpicari permittat: vt pote in quo egere ſcriptũ eſt: ſicut in ſequentibus hoc non illo vtitur.

Ad loquendi autem genera quod attinet è Græco ſermone ſumpta, eorum è numero eſt illud metaphoricum, *Guſtum præbere* Græcis γεῦμα παρέχειν vel παρέχεσθαι

dicentibus, interdum verò & verbo actiuo γεύειν (quod nonnulli pro γεύεσθαι malè acceperunt) idem declarantibus. Vtitur autem non ſemel hac metaphora Seneca.

Item *inoperto capite* dixiſſe videtur vt Græci ἀκαλύπτως, & οὐκ ἐγκαλυψάμενος.

Alicubi (ſed in Controuerſijs opinor, quæ eiuſdem Senecæ non exiſtimantur eſſe) *perſeuerauit negare* ita videtur dictum vt διετέλεσεν ἀρνουμένη.

Melioris quàm fortioris viri eſt etiam ex ijs quæ Græci ſermonis conſuetudinem repræſentant.

Mors glorioſum eſt pro eo quod eſt Mors eſt res glorioſa, eſſe itidem ex Græci ſermonis imitatione, ſicut illud, *Triſte lupus ſtabulis*, vel mediocriter Græcæ linguæ peritis notum eſſe poteſt.

Vocum autem Græcarum quibus vſus eſt Seneca, non paruus eſt numerus: ſed nulla eſt qua tam frequenter támque liberè vtatur quàm *Scena*, in metaphorica ſignificatione. Cuius aliquot afferam exempla, quæ te de hac admoneant. Legimus itaque circa finem epiſtolæ XCIIII, *Ambitio & luxuria & impotentia ſcenam deſiderant: ſanabis iſta, ſi abſconderis*. Vbi *ſi te abſconderis*, legēdum mihi videri, docui in quadam ad Iac. Dalechāpium epiſtola, ſeorſum excuſa. Libro item

item ſexto De benef.cap.xxx, *Ingentia ſuper ſe caſura regna fregerunt: nec intellexerunt, in illa ſcena & vanis & citò diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipſos nihil non aduerſi expectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt.* Atque vt ad epiſtolarum opus redeam, habemus in xcix, *Vidi ego in funere ſuorum verendos, in quorum ore amor eminebat, remota omni lugentium ſcena.* (vbi pro voce *amor* videri poſſit ſubſtituenda vox *mœror.*) Alicubi verò in aliud vocabulum deprauatum hoc fuit. vt in præfat. libri III Controuerſiarum, (ſi modò huius Senecæ ſunt) *Agedum, iſtos declamatores produc à ſenatu in forum.* quum ſcribendum ſit, *produc à ſcena tu in forum.* quam emendationem ab Hieronymo Groſlotio profectam eſſe arbitror.

Spatia autem vacua (quæ lacunas vocamus) in quibus Græca vocabula deſiderantur, ſperabam certè editionem Rom. nobis impleturam: quod in pauciſſimis tantùm fecit, omittens etiam locos illos cui ſua verba Græca reddidi, in illa epiſt. ad Dalechāp. ſeorſum excuſa. Sed & Suaſoria prima illam quidem lacunam quæ eſt poſt verba iſta, *Tum ex Græculis quidam ait*, impleuit hoc modo, Κύειε, ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα σου Σεμέλην ἄφροικον εἶχε: ſed (quod miror) ſtatim pòſt

pulchram hanc ſcripturam non poſuit, Ὀκταουΐα καὶ Ἀθλωᾶ Ἀντωνίῳ, RES TVAS TIBI HABE. Sed meam & in has lacunas ſymbolam aliquando (fauente Deo) conferam.

FINIS.

HENRICI STEPHANI EPISTOLÆ AD IAC. DALECHAMPIVM,

DIORTHOTICÆ QVOrundam Senecæ locorum.

Aut ſaltem,

IN ILLORVM DIORTHOSES STOCHASTIKÆ.

PARTIM ETIAM, IN NONNVLLOS LOCOS EXETASTIKÆ.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

Epiſtola hæc locum proximè ſequentis occupauit.

SVPERIORIBVS literis nouum tibi conſolationis genus attuli, mi Dalechampi. ſi tamen conſolari eſt, ſpem fugiẽdæ cogitationis quæ mœrorem affert, oſtendere. Sperandum enim eſſe dixi, ſi in eas quas dixi occupationes te immergeres, vt ſicut minimè ab illis reſpirare, ita nec vxorem ſuſpirare tibi vacaret. At ecce, & frequentem meam per epiſtolas interpellationem, occupationibus illis tanquam additamentum dare decreui.

Sed quum propediem ſerias tibi ſim de quibuſdã Senecæ locis quæſtiones propoſiturus, in hac ioculares potius de quibuſdam ad eum pertinentibus proponam: & eiuſmodi vt tibi vel riſum excitare (quod vtinam contingat, vt contrarium contrarij ſit remedium) poſſint. Eius quidem certè riſus materies (quod eam cõmendare etiam debet) Roma allata fuit. Sunt enim quæſtiones duæ quas mouebit quicunque Romanam Senecę editionẽ, quę nuper prodiit,

peruolutauerit. Earum vna eſt, Quam viam Seneca vocet Pythocleam. Altera, Quínam ſint apud Senecam Nauſiphani. Has tu quæſtiones, vel quodlibeticas, vt vulgò loqauntur (nam hoc tibi per me licet) appellato. Atqui nec Pythocleam viam nec Nauſiphanos apud Senecam me legere memini, dices. Reſpondebo, te illam Romanam editionem, quæ nouiſſimè prodiit, non euoluiſſe: quod ſi id facere libuerit, fore vt vtrumque legas. Neque tamen (vt verum fatear) in ipſo verborum Senecæ contextu ea leges, ſed in Indice rerum ac verborum. Inter alia enim & hoc occurret, *Pythoclea via diuitem aliquem facere*, ex pagina LXXXI. Item, *Nauſiphani nihil certum habent*, ex pagina CXLIX. Illa ego in verba, quæ priora attuli, quum incidiſſem, cœpi quidem ridere, ſed nõ prius tamen bona fide, vel (ſi mauis) fideliter ridere potui, quàm Senecæ locum, de quo memoriæ meæ diffidebã, adij. In eo (quem habet epiſtola XXI) hæc legi, *Ne gratis Idomeneus in epiſtolam meam venerit, ipſe eam de ſuo redimet. Ad hunc Epicurus illam nobilem ſententiã ſcripſit, qua hortatur vt Pythoclea locupletem non publica nec ancipiti via faciat.* Et quænam illa via ſit, ſubiungit, *Si vis, inquit, Pythoclea diuitem facere, non pecuniæ adijciẽdum, ſed cupiditatibus detra-*

detrahendum eſt. Ipſa Epicuri verba ſunt, εἰ βούλει τὸν Πυθοκλέα πλούσιον ποιῆσαι, μὴ τοῖς χρήμασι προστίθει, (nã ita potius ſcribendus eſt hic Epicuri locus) τῆς δὲ ἐπιθυμιῶν ἀφαίρει. Cui dicto ſimile eſt iſtud Demonactis, τοσοῦτον εἰς ἀρετὴν προσθήσεις ὅσον ἂν ὑφέλῃς τῶν ἡδονῶν. Quis eſt (rogabis) indicis illius autor? Non ſolùm eius nomini, ſed nominibus etiam parcendum eſt: eſt enim trinominis. Et quoniam eius nominibus parcendum eſſe dixi, vix aliter quàm in aurem dicere auſim, Iulium Roſcium Hortinum vocari. Sed ille fortaſſe ita ſe defendet, vt dicat, nõ debuiſſe ſcribere Senecam *Pythoclea* Græco more, ſed *Pythoclem* Latino, quum Latinè ſcriberet. Hoc enim eſſe, lectori Græcæ linguæ imperito inſidiari. Alioqui ad huiuſmodi vocabula annotandum eſſe in margine, Caue. Mirũ verò ni & aliquã Idomeneã viam ſomniarit idem in iis quæ paruo interuallo pręcedũt, ſub nomine *Idomenea:* quod itidem dictũ eſt pro Idomeneum.

Ad alteram de Nauſiphanis quęſtionem venio, *Nauſiphani nihil certum habent*, ex pagina CXLIX. Nauſiphanos tu nullos apud Senecam inueniſſe dices: at Iulius Roſcius Hortinus inuenit, in ea quã dico illius editionis pagina: vbi ſcribit Seneca, *Si Protagoræ credo, nihil in rerũ natura eſt, niſi dubium:*

ſi Nauſiphani hoc vnum certum eſt, nihil eſſe certi. Neque enim dubitauit iſte quin huic nomini *Nauſiphani* addenda eſſet litera *s*, vt ex eo fieret *Nauſiphanis*. Cur enim de Græca declinatione (quæ hanc dat ſingularis numeri datiuo terminationem) cogitare teneatur is cui non plus cum Græca, quàm cum Britonica lingua commercij eſt? Si tamen reprehendendus eſſet ob vſum Græcæ declinationis Seneca, ac præſertim quòd Pythoclea & Idomenea (vt alia huiuſmodi prætermittam) dixerit, quum Pythoclem & Idomeneum poſſet dicere: eſſent certè alij eadem opera reprehendendi qui Periclea & Themiſtoclea dixerunt: quòd aliquis alius Iulius itidem aliquã Pericleam & aliquam Themiſtocleam viam ſub his comminiſci poſſet. Sed reprehendenda potius eſt quæ per animos plurimorum in Italia potiſſimum peruaſit opinio, inutilem eſſe qui in diſcenda Græca lingua ponitur, laborem. Vale.

HENRI-

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

Epiſtola hæc eſſe prima, non ſecunda, debuit.

SI SENECA eſſem, mi Dalechampi, iampridem à me conſolationem de morte vxoris haberes. Fœcundum enim illi hoc in argumento (magis etiam fortaſſe quàm alij cuiquã ſui ſeculi homini) fuit ingenium. In hoc autem argumento dico, quoniam de morte liberorum, aut parentum, de morte fratris aut ſororis, vxoriſve, de morte amici (quod ille omnium maximum eſſe damnorum dicit) dolentẽ conſolari, ſiue, vt alio eius vtar verbo, alloqui, vnius eiuſdémque artificis eſſe exiſtimo. Eius verbum appello, non quò primus, ſed quo frequentius quàm alius quiſquam (eorum quidem certè qui extant) vſus eſt. Sed quid audio? itáne te vxoris mortem tam molliter ferre? Vide ne ex iis ſis quos Seneca, ſi illum rediuiuum aduocares, obiurgatione potius quàm alloquutione dignos diceret: vel ob hoc ipſum quòd ſuas omnes conſolationes nullo cum fructu à te lectas eſſe videret. Sed nulla eius eſt (dices) de vxoris morte

conſolatio. Nulla eſt, fateor: quod quidem ſciam: ſed tantùm inter illa quæ ex aliquo eius qui intercidit libro excerpta ad nos peruenerunt, (ſi tamen Senecæ ea eſſe credere dignum eſt) ſunt nonnullæ ſuper vxoris etiam morte alloquutiones. Verùm earum pleræque quo minus & tibi conuenire poſſint, obſtat quæ ad ſeptuageſimum annum peruenit ætas. Quum enim de alia tibi vxore cogitandum non ſit, tibi vxorem bonam amiſiſſe te querenti, fruſtra hoc dilemma proponeretur: Si bonam inueneras, habere adhuc te poſſe, ex eo à te intelligi, quod habueris: at ſi bonam feceras, bene eſſe ſperandum, quòd res quidem perierit, ſed artifex ſaluus ſit. Quod verò proximè apud eum ſequitur, de vxore tua conuenienter dici non poteſt, ſi bona, ſi pudica, ſi diligens erat, non potuiſſe te affirmare, in illo eam permanſuram fuiſſe propoſito. In eius enim mores non cadebat hæc dubitatio.

Cur ergo (inquies) Seneca me, tanquam non percepto ex eius Conſolatoriis libris fructu qui percipiendus erat, obiurgatione potius quàm conſolatione dignum eſſe diceret, ſi nulla in illis eſt alloquutio quæ ad meum pertinere luctum dici poſſit? Imò verò aliqua eos habere dico quę & ad tuum transferri queant. Nam, vt ille vult, quum amicus

amicus perditus eſt, eum qui perdidit, magis gaudere quòd habuerit, quàm mœrere quòd amiſerit, nec imitari eos qui non computant quantũ gaudij & vtilitatis ex eo perceperint: ita tuũ fuerit, cogitare per quot iã annos vxore frui datum tibi fuerat, & Deo opt. max. gratias agere quòd quũ eo te beneficio à longo iam tempore, atq; adeò iam ab initio priuare poſſet, per tot annos eã tibi relinquere, & nunc demum tãto te bono priuare voluerit. Annon enim, ſi quid accidere potuerit, & nõ acciderit tamen, cõſideres, non paucos dies, non paucos menſes, ſed multos te annos lucrifeciſſe fateberis?

Iam verò & hoc in mentẽ venire tibi debet, quàm bene rebus tuis conſultũ ſit, quòd illa tibi ſoli, non etiã filiabus tuis, adempta ſit. Quæ enim illis, antequam nuberẽt, neceſſaria erat matris cura atque opera, eam, ex quo nupſerant, vtilem quidem ſed non & neceſſariam fuiſſe (aut ſaltem non perinde neceſſariã) ne ipſe quidem inficiaberis. Cogita igitur, prçclarè tecum actum eſſe, quòd te relinquens vxor, non tibi filiarum curam, & cuſtodiam (quod tibi omnium onerũ maximum fuiſſet) ſed potius aliquam de illis ſecuritatem reliquerit.

Sed hæc quidem fortaſſe ipſi etiã Senecæ in mentem veniret proponere: at tibi, Chri-

ſtiano, multo altius (vt noſti) quàm Senecæ aut alij cuiquam ethnico aſcendendum eſt, aliqua dolori tuo ſolatia quærenti. Cogita igitur, magna Dei prouidentia ſimul & benignitate contigiſſe vt faceres quod à te factũ non alij ſolùm, ſed ipſemet, opinor, miratus es: nimirum vt filiarum alteram, prius nuptam quàm ſatis nubilem, videres. Nẽpe tibi id faciendi θεὸς νόον ἔμβαλε θυμῷ: qui quod neſciebas ſciebat, ſe tibi propediem eius matrem eſſe adempturum: qua adempta, grauiſſimum tibi onus fore quod illi leuiſſimum erat. De filiæ enim (quamuis optimè morata, optiméque inſtituta eſſet) cura & cuſtodia loquor.

Denique ſi & hæc quę dixi & alia eodem pertinẽtia in animo verſare, & cum quanto maiore familiæ ſuæ damno aliis vxores eripiantur, perpendere libuerit, (nam vt ſit infirmi ſolatij genus turba miſerorum, at non etiam turba multo magis miſerorum) de Deo (vt Chriſtianus) dices quod de fortuna Seneca (vt ethnicus) dicentem quendam inducit, *Alios percuſſiſti, me petiſti.* Atque hæc dolori tuo ſi non remedia at delinimenta certè eſſe poterunt.

Verùm, etiamſi dolori tuo non delinimenta ſed remedia adhibuero, quid præſtitero, ſi quidem quotidie, atq; adeo in horas, reno-

renouata de vxoris morte cogitatione vellicatio etiam renouetur, ita vt vulneri nunquam cicatrix obduci queat? Hoc igitur potius agendum eſſe dico, vt obſtaculo quopiam cogitatio illa arceatur. Obſtaculum autem eſſe poterunt quæ magnæ quidem erant, ſed nunc multo maiores futuræ ſunt occupationes: & tantæ, vt quum illis antea premereris, nunc his propemodum opprimaris. Antea enim magnæ quidem, ſed tamen duplices tantùm erãt occupationes, quum quotidianis tuæ artis medicæ penſis literaria adijceres: at nunc domeſticarum etiam rerum cura (quam multorum capitum beluam, in locuplete præſertim domo, appellare ſoleo) vxori tuæ incumbere ſolita, tibi incumbet. Vide qualis ego ſim conſolator, & quàm nouam conſolandi te viam inueniam, quum tibi magnarum occupationum ſpem pro magno ſolatio propono: tanquam futuræ ſint tantæ, vt ſicut ab illis reſpirare non dabitur, ita etiam vxorem ſuſpirare non detur. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

QVANDOQVIDEM in te conſolando Seneca eſſe, ſeu Senecam agere, id eſt, dexteritatem ingenij Senecæ imitari, nō poſſum: faciam vt auocamenta ſaltem dolori tuo, &, ſi non remedia, ſaltem delinimenta (vt apud illum quēdam audis dicentem, *Delinimenta magis quàm remedia podagræ meæ compono*) opera mea ſuppeditet. Varias enim tibi ſuper variis Senecæ locis quæſtiones proponam, & te mearum coniecturarum iudicem conſtituam: vt à dolore tuo ſi non quieſcere, certè interquieſcere queas. Agnoſcis & hîc Senecæ verbum? *Sic podagra*, inquit ille, *& chiragra*, *& omnis vertebrarum dolor neruorúmque interquieſcit*. Si tamen Senecæ vocare verbum poſſum, quo Cicero ante illum vſus erat.

De alio potius verbo, ex eadē prępoſitione cōpoſito, dicendū hoc mihi erat: nimirū de verbo *Interuigilo*: quo epiſt. LXXXIII, (quæ LXXXIIII numerabatur, vſus eſt,

Dormio minimum. Conſuetudinem meam noſti. Breuiſſimo ſomno vtor,& quaſi interuigilo. ſatis eſt mihi vigilare deſiiſſe. Aliquando dormiſſe me ſcio,aliquando ſuſpicor. Sed quid quòd per illam editionem Romanam, quæ nouiſſimè prodijt,ita hîc legere nõ amplius nobis licet? Ecce enim aliam lectionẽ, *Interiungo*, quæ alicuius veteris libri autoritate confirmatur. Propriè autem *Interiungere* dici qui ſub meridiem equos ſoluunt,vt interquieſcant. Sed cur non potius *Interſoluere* hoc vocarunt? Niſi fortè eò reſpexerunt quòd inter equorum ſolutionem & aliam eorum iunctionem tempus interponitur. Alioqui non ignoro eſſe qui Interiungere ex eo dici putarunt, quòd currus rotæ interiecto ſude iungantur, vt ſubſiſtat. Affertur autem (vt Martialis verſum taceam) ex alio ipſius Senecæ loco, qui eſt circa finem libelli De tranquillitate animi, *Quidam medio die interiunxerunt,& in poſtmeridianas horas aliquid leuioris operæ diſtulerunt.* Vbi bona quidem lectio *interiunxerunt* in margine tantùm poſita eſt, præterquam in illa editione: at in ipſo (vt vocamus) contextu eſt *interuixerunt.* Sed vt hîc mihi non poteſt non placere *interiunxerunt:* ita certè diſplicere nequit *interuigilo* in illo de quo agitur loco. Nã qui interui-

gilat, nempe & interdormit: adeo vt duo hæc, alioqui cõtraria, diuerſo reſpectu (ſicut & in aliis contrariis vſuuenit) vnum eundémque ingredi locum poſſint. Quòd ſi is qui interuigilat, & interdormit, non malè ſubiungitur, *Satis eſt mihi vigilare deſiiſſe.* Nam qui vigilare dicitur, non itidem & interdormire intelligitur: adeo vt perinde ſit acſi diceretur, Satis eſt mihi omnino vigilare deſijſſe: vel, Satis eſt mihi peruigilare deſijſſe. Quamuis enim Peruigilare ſit propriè Totam noctem vigilare, (veluti quum ſcribit Martialis, *Nam vigilare leue eſt, peruigilare graue*) fortaſſe tamen & de illo dici poteſt qui ita vigilat vt nunquam interuigilare dici poſſit. Cæterùm & hoc facit vt non libenter illud *interuigilo* reiiciam, quòd illi voculam *quaſi* præfigit, quum eam non præfigat verbo *interiunxerunt*, in altero illo qui ex libello De tranquillitate animi allatus fuit loco. Et hæc quidem quæſtio ad quam exinopinato veni, omnium quas tibi promiſi eſto prima. Vale.

HENRI-

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

MEMINISTI (opinor) ſæpe me de illis apud te cõqueſtum eſſe, qui ſuis coniecturis tantum fidunt, tantúmque autoritatis tribuunt, vt quæ ab illis profecta ſunt, ipſius ſcriptoris verbis immiſcere (quod vulgo, In contextũ recipere vocamus) non dubitent. Sic igitur habeto, mihi in editione illa Romana (cuius & in ſuperioribus literis à me facta mẽtio fuit) nihil magis quàm hoc diſplicere. Multis enim id factum fuiſſe in locis, in mea ad lectionem Senecę Proodopœïa oſtendo. Sed ecce quod magis etiam quis miretur: alicubi quæ illic poſita eſt, ab ea quam habent annotationes diſſentit. Cuius rei exẽplum eſt in capite nono libri quarti De beneficiis. Nam quum in prioribus editionibus typographicis legatur, *Præterea quæritis beneficium. quod non eſſet faciendum, ſi per ſe beneficium dare expetenda res eſſet.* In poſterioribus autem, *Præterea quæritis cui beneficium: quod non eſſet facien-*

dum, ſi per ſe benef.&c. Romana illa habet, *Prӕterea quӕritis cui dandum ſit beneficium.* At in annotationibus illa priorum editionum lectio ponitur, *Prӕterea quӕritis beneficium:* deinde additur, locum eſſe deprauatum, ac fortaſſe legendum, *Prӕterea quӕritis quomodo detis beneficium.* Atque ita duæ ſunt coniecturæ, ſeu coniecturales emendationes: quarum vna in ipſum intruſa contextum fuit. At ego feliciorem ſaltem vellem fuiſſe audaciã, præſertim quum ad eam nos adiuuare Seneca ipſe videatur. Nam ſi ita ſcribatur (nunc enim & meam coniecturam audi) *Prӕterea quӕritis vbi & quî dandum beneficium,* vel, *detis beneficium,* habebimus hîc duo *vbi* & *quî*, quæ iſtis duobus Senecæ reſpondeant, *quocunque loco & quocunque modo daretur, beneficium erat.* Vbi deeſſe cauſalem particulam puto, & Senecam ſcripſiſſe, *Nam quocunque loco,* vel, *Quocunque enim loco:* quamuis multis in locis hanc particulam non librarij omiſiſſe, ſed ipſe neglexiſſe videatur. Cæterùm ideo *vbi & quî* potius quàm *vbi & quomodo*, ſcribo, quoniam quo breuiores erant voces, eo faciliùs prætermitti potuerunt. Atque ita στοχαζομένῳ Mureto ἀντιστοχάζομαι.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

SENECAM noſtrũ mira fuiſſe armatum puto patientia (ſi modò quorum præcepta dabat, etiam exempla peti ex eo poterant) ſed vix tamen tanta vt coniecturalem audaciam, quam in eius libris, vel potius in eius libros, quidã exercuerunt, ferre, ſi illa cum eo reuiuiſcente reuiuiſceret, poſſet. Coniecturalem audaciam voco (vt ſuſpicari potes) miram illam in intrudendis coniecturalibus emendationibus audaciam. Eius exemplum quum ex ſuperioribus literis audiueris, audi nunc aliud: in quo certè illam audaciam eo magis improbabis, quo ſtudioſior gloriæ Catonis eris. Nam, aut omnia me fallunt, aut lectio quam editio illa in locum vulgaris ſubſtituit, multum Catonis gloriæ detrahit. Nam quum ſub finem epiſtolæ x c v, antea legeretur, *Proderit, non tantùm quales eſſe ſoleant viri boni dicere, formámque eorum & lineamẽta deducere, ſed quales fuerint narrare:*

& exponere Catonis illud vltimum ac fortiſſimum vulnus,per quod libertas amiſit animam: Lælij ſapientiam,& cum ſuo Scip. concordiam. Quum (inquam) ita ſcriptus ſit in ſuperioris tẽporis editionibus hic locus, editio illa Romana,pro illa ſcriptura, *per quod libertas amiſit animam* (in qua libenter *amiſit* in *emiſit* mutauerim)hanc nobis exhibet,*per quod liber amiſit animam :* nimirum χάλκεα nobis ἀντὶ χρυσείων afferens. Quid? (dicet aliquis, audaciæ illi patrocinari volens)annon rectè hoc dicitur,Catonem liberum emiſiſſe animam? Rectè dicitur ſanè : ſed illud rectius: vt χαλκὸς præſtans eſt metallum, ſed χρυσὸς longè præſtantius eſt. Addo quod maius eſt, ea quæ recepta ſcriptura dicuntur, Seneca eſſe digniſſima: quæ illa noua,Seneca indigna. Scilicet enim Seneca dicere id ſolet quod omnibus notum eſt, atque adeo quod ne quæri quidem,ipſemet paulo ante dixerit. *Scit ſe vnum eſſe*(inquit)*de cuius ſtatu non agatur. Non quæri an liber Cato,ſed an inter liberos ſit.* At verò hæc ſcriptura, *Catonis illud vltimum ac fortiſſimum vulnus, per quod libertas emiſit animam*,habet, quod Seneca(vt dixi)digniſſimum ſit.Homini enim qui rariſſimum virtutis exemplum fuit laudem rariſſimam tribuit, quum libertatem per eius vulnus animam emiſiſſe ſcribit.

Quamuis

Quamuis autem hæc conſiderarem, tamen neſcio quomodo tam timidè ad extrudendam illam lectionem accedebam, quàm illi audaces in ea intrudenda fuerant: donec ipſummet alibi de Catone audiui dicẽtem, *Neque enim Cato poſt libertatem vixit, nec libertas poſt Catonem.* Scio alioqui de eodem alibi ſcribi à Seneca, *Catoni gladium aſſertorem libertatis extorque, magnam partẽ detraxeris gloriæ.* Sed quòd gladio ſuam libertatem aſſeruiſſe dicatur, ideo minus verum erit, libertatem poſt eum animam emiſiſſe?

Vt autem ab iis quæ de libertate Romana in mentione Senecæ dicit, ad eã tranſeã quæ dicit de eadem, vbi de Scipione loquitur, quid tandem illo epiſtolæ LXXXVI loco fiet? *Aut Scipio Romæ deeſſe debebat, aut Roma in libertate.* Scio duobus aliis modis locum hunc legi: vel, *aut Roma in libertate non eſſe.* vel, *aut Romæ libertas.* (quã ſcripturam illa editio Romana habet) ſed vide annon & tertia hæc eſſe poſſit lectio, *aut Roma libertati.* Mihi certè hæc magis quàm alia vlla placeret, ſiquid eſſet quod meæ con iecturæ autoritatem afferret. Nam eo ſenſu dicetur Roma deeſſe libertati quo dicitur aliquis deeſſe illi quem non tuetur & defendit, quum facere id poſſit. Quid? annon hoc dicitur elegantius? Ac pro me fa-

cit quod paruo interuallo apud Senecam ſequitur, *Eò perducta res erat, vt aut libertas Scipioni aut Scipio libertati faceret iniuriam.* Nam ei adeſſe debemus cui fit iniuria: ſi ei non adſumus, illi deeſſe dicimur. Abſimile autem vero non eſt, hoc loquendi genus *aut Roma libertati deeſſe*, non fuiſſe intellectum: & hoc ita mutandæ ſcripturæ occaſionem præbuiſſe. Vnum tantùm præuideo quòd aduerſus hanc meam coniecturalem emendationem obiici queat, alium vſum habiturum eſſe verbũ *deeſſe* in priore inciſo quàm in poſteriore: ſed hoc apud Senecam frequens eſſe respondeo. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

AVDACIÆ eiuſdem, id eſt, quæ eadem in re verſatur, (nam tibi, tanquam duarum proximè præcedentium epiſtolarum ſatis memori, loquor) nouum genus commemorabo, vt quomodo nunc cum veterũ libris agatur conſideres. Tritum enim il-

lud &

lud & peruulgatum eſt audaciæ genus, (vt ſunt tempora, vt ſunt mores) eam lectionem quam nobis coniectura noſtra, quæ nobis placuit, ſubminiſtrauit, in cõtextum intrudere: at ecce aliud, quod, vti dixi, planè eſt nouum, audere aliquem, eum etiam locum cuius emendationẽ nulla ſe poſſe coniectura aſſequi fateatur, in ipſo contextu emendare. At hoc tamen ab eo de quo iam antea queſtus ſum factum fuit. Nam libri vltimi De beneficiis capite penultimo, quũ ſcriptum ſit in Frobeniana editione, anni M. D. XXIX, *Vincit malos pertinax bonitas: nec quiſquam tam duri infeſtíque aduerſus diligenda animi eſt vt etiam vitiatus bonos non amet:* & margini adſcripta ſit alia lectio *iniuriatus:* aliæ autem editiones hac poſteriores, quę eandem in contextu ſcripturam habent, margini adſcriptum habeant *violatus:* ille ipſe in ſuis annotationibus, Corrupta vox, inquit: quam quomodo emendem non habeo. Et tamen, quum iſtud hîc profiteatur, videmus non ſeruatam eſſe in contextu illam lectionem, quam ſe quomodo emendet, habere negat: ſed in *vi tractus* mutatam. Quæ projecta aduerſus veterum ſcriptorum libros audacia eſt, ſi hæc non eſt?

In capite eiuſdem libri XIIII, legimus in aliis editionibus, *At hic diebus noctibuſq;*

ſe laſſauit, & omnibus alijs renuntiauit officijs, huic vni imminẽs & operatus, ne qua ſe fugeret occaſio. Vbi adſcriptum eſt margini aliarum editionum, fortaſſe pro *operatus* ſcribẽdum eſſe *operoſus*, aut *obſeruans*: at illa editio in contextu habet, *huic vni imminens & opperiens*, nulláq; fit in annotationibus alterius lectionis mentio: & tamen ecce alium locum vbi cæteræ editiones idem participiũ ſi non cum eadem at cum ſimili conſtructione habent. Ecce (inquam) alium locum, De breuitate vitæ capite XII, *Quid illi qui in componendis, audiendis, diſcendis canticis operati ſunt, dum vocem, cuius rectum curſum natura & optimũ & ſimpliciſſimum fecit, inflexu modulationis ineptiſſimæ torquent?* Verùm (quod nemo non miretur) ne hic quidem noua illa editio *operati* habet, ſed *occupati*: quum tamẽ in annotationibus *operati* probetur, & vocabulo illo *occupati* exponatur: addito etiam ex Lucretio huius vſus exemplo,

Et quibus in rebus conſuerunt eſſe operati.

Item ex Horatio,

In cute curãda plus æquo operata iuuẽtus.

Sed audi alium locum, in quo videbis itidem bonam præcedentium editionum lectionem mutatam eſſe in malam. Is eſt epiſtola CII. nam ibi quum illæ habeant, *Quia*

ſi de

ſi de me bene vir bonus ſentit, eodem loco ſum quo ſi omnes boni idem ſentirent. Omnes enim, ſi me cognouerint, idem ſentiet. Par illis idemq́ iudicium eſt: æque vero inſiſtitur ab his qui diſſidere non poſſunt: in illa ſcriptum eſt, *æque vero ſentitur.* Atqui non dicit Seneca æquè ſentiri illud iudicium quod par idémque eſt, nec *vero* hîc eſt illa orationis pars quæ coniunctio vocatur: ſed veritatem ſignificat: ideóque vel retinenda aliarũ editionum erat lectio, *æque vero inſiſtitur*, id eſt, æquè veritati inſiſtitur: vel ſcribendum erat, *æquè verum ſentitur.* Vale.

HENRICVS STEPHANVS
IACOBO DALECHAMPIO
S. P. D.

ECCE aliud à ſuperioribus diuerſum malũ, quo laborat illa noua editio: quòd quãuis multas coniecturales emẽdationes in cõtextum intruſerit (vt me in ſuperioribus conquerentẽ epiſtolis audiſti, & iam in mea ad Senecæ lectionẽ Proſopopœïa queſtus eram) adeo vt vbicunque veteris exem-

plaris aut veterum exemplarium non fit mentio, ſuſpectam eam de illa audacia meritò habeamus: tamen in quibuſdam locis qui magni ſunt momenti, quum magna aut etiam maxima quod ad ſenſum etiam attinet, fiat ſcripturæ mutatio, ſuſpenſus lector relinquitur: quum ei lectio huiuſmodi proponatur, ſed non addatur, vtrum coniecturæ an veteri cuipiam exemplari accepta ferenda ſit. Hoc certè cum aliis contigit locis, tum vni qui eſt initio epiſtolę CXXIII, qui omnibus lectoribus crucem hactenus fixit, *Neceſſarium eſt paruo aſſueſcere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum etiam locupletibus & inſtructis à dijs optantem prohibent, & occurrunt. Quidquid vult habere nemo poteſt: illud poteſt, nolle quod non habet.* Nam ita quidem in præcedentibus editionibus, quũ alij ſcribendum eſſe, *à dijs optata prohibent*, alij aliud ſuſpicentur: Pincianus autem hãc ex quodam ſuo libro veteri ſcripturam afferat, *etiam locupletibus & inſtructis aciebus optabam* (ſi tamen ita Pinc. ipſe ac non potius *optata* ſcripſit) *prohibentes occurrent.* At illa Romana editio lectionem hanc mirum quantum diuerſam nobis exhibet, *etiam locupletibus & inſtructis ac regibus octauam prohibent, & occurrunt.* Et in annotationibus hæc verba, *octauã prohibent*

(quæ

(quæ vnde ſint, lector non admonetur, ſicut dixi) exponuntur, Non ſinunt eos hora octaua cœnare. Et additur, ab illa incipere ſolitos qui genio liberius indulgebant: atque hæc fuiſſe quæ vocabant tẽpeſtiua conuiuia: quòd de die fierent, & tempeſtiuius quàm frugi homines epulãdi cauſa diſcumbere ſolerent. Quid tu hac de ſcriptura dices? ad me quidẽ certè quod attinet, ei non facilè aſſentior, ſiue ex coniectura ſiue ex vet. exempl. prodierit: quum Seneca de re quæ iis qui genio indulgebant peculiaris eſſet, loqui nolit: & nona alioqui potius quàm octaua hora cœnaretur.

At verò locum hunc, qui itidem torſit multos, libelli De vita beata, cap. x x v, *Me hominem maximè cogitabo, cum dijs vndique conſultabo*: libenter video ita reſtitutum, *Me hominem eſſe tum maximè cogitabo, quum deus vndique conſalutabor*: &, quum ex vetere libro ſumpta ſit hæc lectio, in locum alterius eſſe ſubſtitutam, minimè reprehendo.

Verùm ne ἀσύμβολος, quantum etiam ad me ſpectat, hęc ſit epiſtola: audi quod emẽdandum in hoc ipſo capite ſupereſt, ſiquid hîc iudicio valeo. Legimus circa finem, in illa etiam editione, *Quemadmodum corpus in procliui retineri debet, in ardua impelli: ita*

quædam virtutes in procliui ſunt, quædam cliuum ſubeunt: at ego ſcribendum eſſe dico, *Quemadmodum corpus in procliui retineri debet, in arduo, impelli.* Neque enim inficiari (vt opinor) quiſquam poteſt quin Seneca intelligat, corpus debere retineri, quum in procliui loco eſt: impelli, quũ eſt in arduo. Quo dictum eſt modo à Naſone, *Qui cadit in plano.* Nolo autem te celare, in editione illa Frobeniana, anni M. D. XXIX, itidémq; in aliis quæ poſtea prodierunt, legi *in procliuo:* ſed ſuſpicor hoc ex eo contigiſſe quòd aliquis in margine illius editionis Frobenij, quæ hanc anni M. D. XXIX, præceſſerat, annotaſſet has literas *uo*, vt ponerentur loco illarum *ua*, in vocabulo *ardua:* poſtea verò notam quæ ad hãc vocem pertinebat, quum aliquis ad illam pertinere putaret, non ſolùm errorem hunc non correxit, ſed alium ei addidit.

HENRI-

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

TEMPVS eſt vt quod me tibi facturum minatus ſum, facere incipiam: vt (inquam) ſerias tibi epiſtolas impingam; quę te à luctuoſis vel potius lugubribus cogitationibus auocatum in correctorias curas & ſolicitudines impingant. Erunt enim meæ ad te epiſtolæ quorundam Senecæ locorum diorthotikę, aut ſaltem in illorum diorthoſes ſtochaſtikæ: & nonnullę quædam in aliis eius locis ἐξετάζουσι. Sed malè me habet quòd triſte aliquid & miſerabile eo in loco legitur quem hîc tibi proponam. Niſi fortè futurum eſt vt noua hæc triſtitia veterem illam ex animo tuo, tanquam clauus clauum, extrudat: aut, ſi hoc fieri non poteſt (quum hæc illi nullo modo ſit ἰσόρροπος) ſaltem eius locum ad tempus aliquod occupet.

Sed iam audi verba quibus decimumnonum caput libri De ira tertij clauditur, *Quæ iſta ſæuitia eſt? Da exituræ animæ locum: liceat illam non per vulnus emittere.* Quum

hæc verba, *liceat illam non per vulnus emittere*, attentius conſiderarem, ſuſpicari cœpi aliquid ante particulam *non* deeſſe: & quod initio ſuſpicabar tantùm, cœpi poſtea mihi perſuadere. Tandem verò eò ventum eſt vt etiã affirmare hoc auſus ſim: ſed tum demum quum in alterũ hũc eiuſdem ſcriptoris locum incidi, *Etſi ſcit ſua nihil intereſſe, vtrum anima per os an per iugulum exeat.* Dico enim haſce duas quę hîc leguntur voculas, *per os*, illic deeſſe: & additis illis ſcribi debere, *liceat illam per os non per vulnus emittere*. Sic autem de ore intelligi conſtat quod paulo antè dictum fuit, *Cui vnquam morituro non eſt relictum qua gemeret?* vel *quo gemeret?* quanquam illud malo. De hoc autem crudelitatis genere, tanquam ſummæ, & omnem Phalaridis crudelitatem ſuperante, ita queritur & Naſo,

Exigis vt nulli gemitus tormenta ſequãtur:
Acceptoq́ graui vulnere flere vetas.
Ipſe Perilleo Phalaris permiſit in ære
Edere mugitus, & bouis ore queri.

Sed duo primi verſus interrogatiuè etiam legi poſſunt, hoc modo,

Exigis vt nulli gemitus tormenta ſequãtur?
Acceptóque graui vulnere flere vetas?

Sed quid dicemus à Seneca *vulnus* illic appellari? Arbitror, quum magna vi ingererentur

rerentur & infarcirentur ori panni, & modo non intruderētur, linguam, maxillas, palatum ex affrictu ſanguinem emiſiſſe: atque hoc eſſe quod *vulnus* nominet.

Omittere hoc nolo, in huius capitis principio, quum antea legeretur, *Torſerat per omnia quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tabularibus, eculeo, igne, vultu ſuo:* & pro hoc *tabularibus* afferretur etiā *tribularibus*, nunc afferri & tertiam lectionem *talaribus*. Quod fortaſſe inter inſtrumenta βασανιστήρια erat tali πιεστήριον. Syneſius inſtrumenta quædam huiuſmodi enumerans, ποδοστράβης etiam mētionem facit: ſed alibi de quodam quod peculiariter eum quem dixi vſum haberet aliquid legiſſe mihi videor. Cæterùm ad hanc Latinam vocem quod attinet, in epiſt. L I I I (quæ antea numerabatur L I I I I) eandem, ſed alia ſignificatione, habemus: & quum antea legeretur, *Dubio & incipiente morbo quæritur nomen: qui vt talaria* (vel *calcaria*) *cœperit intendere, & vtroſque dextros pedes fecerit, neceſſe eſt podagram fateri:* (vt *talaria* intelligeremus de tumoribus quos in talis gignit podagra) nunc ſcriptura aliquantum diuerſa exhibetur, *qui vbi ad talaria cœpit tendere.* Multo autem magis in iis quæ proximè ſequuntur diuerſa ſcriptura eſt, quū in ea ver-

ba iſta, *& vtroſque dextros pedes fecerit*, prætermittantur. Vbi pro *fecerit* antea legebatur *ferierit*. Sed ex vet. exempl. tamen eſt illud: & fuerũt qui putauerint podagram ioco dici vtrumque pedem dextrum feciſſe, poſtquam ſic æquauerat vt nihil intereſſet.

Verùm, vt ad illud caput libri tertij De ira redeam, non video cur debuerit cuidam ſuſpectum eſſe illud, *vultu ſuo:* quum inter tormenta meritò numeretur vultus minax, & quidem vſqueadeo minax vt alia crudelitatis multo maioris genera minari videatur. Eodem certè modo ab Horatio dictum eſt,

Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.

HENRICVS STEPHANVS
IACOBO DALECHAMPIO
S. P. D.

EXPECTABAS fortaſſe vt ſi quam præterea diorthoſin àut ſi quẽ diorthotikon ſtochaſmum in aliquem locum eiuſdem De ira operis haberem, cum deinceps quaſi eadem

dem opera tibi proponerem. Sed quem ordinem,aut(ſi mauis)quam ſeriem mea mihi memoria ſuggerit,eam ſequar neceſſe eſt.

Ab illo igitur commentarij De ira tertio libro ad tertium operis De beneficiis venias oportet,& hanc capitis XVIII clauſulam conſideres,*Poteſt ſeruus iuſtus eſſe,poteſt fortis, poteſt magnanimus: ergo & beneficiũ dare poteſt.nam & hoc virtutis eſt. Adeóque dominis ſerui beneficia poſſunt dare, vt ipſos ſæpe beneficij ſui fecerint. Non eſt dubium quin ſeruus beneficium dare poſſit cuilibet: quare ergo non & domino ſuo poſſit?* Ita enim locus hic ſcriptus eſt in Frobeniana editione anni M. D. XXIX. atque hanc lectionem omnes (vt opinor) ea poſteriores ſequutæ ſunt: excepta ea quam Roma nuper dedit. hæc enim ita ſcriptũ habet iſtum locum, vel potius eam iſtius loci partem de qua controuerſia eſt, *Adeóque dominis ſerui beneficia poſſunt dare, vt ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint.* Atqui ne iſta quidem lectio ferri poteſt. Nam dicendo, *vt ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint*, quem ſenſum illud *fecerint* haberet? quídnam illud eſt quod beneficia ipſos fecerint? Ne altera quidem ſtare ſcriptura poteſt. nam ſi legas, *vt ipſos ſæpe beneficij ſui fecerint*, hic genitiuus quo refeeretur? Neque verò hîc,vt alicubi,duas ſcri-

pturas in vnam velut conflare poſſumus, vt ex duabus malis bona vna exeat. Quid igitur hîc faciendum eſt? Ego, vt duæ ſunt ſcripturæ, duas coniecturas afferam, quæ eundem omnino ſenſum efficiunt. Nam ſi illa Romana lectio ex veteribus libris aut ſaltem ex aliquo veteri libro ſumpta eſt, *vt ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint*, dico nos ei poſſe acquieſcere, dummodo *dominos* addamus: hoc modo, *vt ipſos ſæpe beneficia ſua dominos fecerint.* vel, *ob beneficia ſua dominos fecerint.* Sin altera illa, *vt ipſos ſæpe beneficij ſui fecerint*, plus autoritatis apud nos habet, ita mutandam eſſe dixerim, *vt ipſos ſæpe beneficia ſuos fecerint.* vel, *ob beneficia ſuos fecerint.* Atque idem certè (quemadmodum dixi) ſenſus erit, ſæpe ſeruos ob beneficia à ſe in dominos collata libertate donatos eſſe. Scimus enim ex ſeruis dominos factos fuiſſe, quum libertatem adepti eſſent: ſiue factos fuiſſe ſuos. Nam *ſuos eſſe* dici eleganter qui ſui iuris ſunt, quibus libertas ademta non eſt, vel ille celeberrimus oſtendit verſus,

Alterius non ſit qui ſuus eſſe poteſt.

Eodémque modo dici ab ipſo Seneca videmus in clauſula epiſtolæ LXXV, *Inæſtimabile bonum eſt, ſuum fieri.* quamuis ibi de eo libertatis genere loquatur, quam qui habet, in ſe-

teneant, quamuis id tantùm quod deſtinauerunt agant, tamen aliud agunt, id eſt, aliud quàm quod agere debēt qui bene beatéque viuere cupiunt, aut ſaltem vitam ſuam bene inſtituere, ſeu vitæ ſuæ ſtatum benę ordinare.

Præſertim verò illi aliud agunt qui in friuolis & inutilibus ſtudijs tempus & operam ponunt, non iis quæ dixi (quum de nihil agentibus loquerer) ab ipſo etiam vulgo pro talibus haberi, ſed in quibus nonnulli etiam philoſophi magnam ætatis partem conſumebant: vt videre eſt epiſtola XLVIII & LXXXVIII: vbi quum ſyllogiſmi captioſi, de quibus, tanquam ſubtilibus & vafris, ſibi placebant, tum verò quæſtiones prorſus friuolæ & inutiles irridentur.

Sed tādem in locum illarum XVIII Italicarum expoſitionum, totidem Gallicas (id eſt meas) illorum verborum *aliud agentibus*, (omnes tamen inter ſe concordes) ſubſtituere contentus non ero, ſed illi numero τεταρτημόριον adiiciam, & XXIIII dabo.

I. *Aliud agunt* qui vitæ ſuæ tempus in alios quàm ſuos vſus conferūt, vt ipſe loquitur Seneca.

II. *Aliud agunt* qui quod eſſe vitæ ἔργον

cit quod paruo interuallo apud Senecam ſequitur, *Eò perducta res erat, vt aut libertas Scipioni aut Scipio libertati faceret iniuriam.* Nam ei adeſſe debemus cui fit iniuria: ſi ei non adſumus, illi deeſſe dicimur. Abſimile autem vero non eſt, hoc loquendi genus *aut Roma libertati deeſſe*, non fuiſſe intellectum: & hoc ita mutandæ ſcripturæ occaſionem præbuiſſe. Vnum tantùm præuideo quód aduerſus hanc meam coniecturalem emendationem obiici queat, alium vſum habiturum eſſe verbũ *deeſſe* in priore inciſo quàm in poſteriore: ſed hoc apud Senecam frequens eſſe reſpondeo. Vale.

HENRICVS STEPHANVS

IACOBO DALECHAMPIO

S. P. D.

AVDACIÆ eiuſdem, id eſt, quæ eadem in re verſatur, (nam tibi, tanquam duarum proximè præcedentium epiſtolarum ſatis memori, loquor) nouum genus commemorabo, vt quomodo nunc cum veterũ libris agatur conſideres. Tritum enim illud &

lud & peruulgatum eſt audaciæ genus, (vt ſunt tempora, vt ſunt mores) eam lectionem quam nobis coniectura noſtra, quæ nobis placuit, ſubminiſtrauit, in cõtextum intrudere: at ecce aliud, quod, vti dixi, planè eſt nouum, audere aliquem, eum etiam locum cuius emendationẽ nulla ſe poſſe coniectura aſſequi fateatur, in ipſo contextu emendare. At hoc tamen ab eo de quo iam antea queſtus ſum factum fuit. Nam libri vltimi De beneficiis capite penultimo, quũ ſcriptum ſit in Frobeniana editione, anni M. D. XXIX, *Vincit malos pertinax bonitas: nec quiſquam tam duri infeſtique aduerſus diligenda animi eſt vt etiam vitiatus bonos non amet:* & margini adſcripta ſit alia lectio *iniuriatus:* aliæ autem editiones hac poſteriores, quę eandem in contextu ſcripturam habent, margini adſcriptum habeant *violatus:* ille ipſe in ſuis annotationibus, Corrupta vox, inquit: quam quomodo emendem non habeo. Et tamen, quum iſtud hîc profiteatur, videmus non ſeruatam eſſe in contextu illam lectionem, quam ſe quomodo emendet, habere negat: ſed in *vi tractus* mutatam. Quæ projecta aduerſus veterum ſcriptorum libros audacia eſt, ſi hæc non eſt?

In capite eiuſdem libri XIIII, legimus in aliis editionibus, *At hic diebus noctibuſq;*

ſe laſſauit, & omnibus alijs renuntiauit officijs, huic vni imminẽs & operatus, ne qua ſe fugeret occaſio. Vbi adſcriptum eſt margini aliarum editionum, fortaſſe pro *operatus* ſcribẽdum eſſe *operoſus*, aut *obſeruans*: at illa editio in contextu habet, *huic vni imminens & opperiens*, nullaq́; fit in annotationibus alterius lectionis mentio: & tamen ecce alium locum vbi cæteræ editiones idem participiũ ſi non cum eadem at cum ſimili conſtructione habent. Ecce (inquam) alium locum, De breuitate vitæ capite XII, *Quid illi qui in componendis, audiendis, diſcendis canticis operati ſunt, dum vocem, cuius rectum curſum natura & optimũ & ſimpliciſſimum fecit, inflexu modulationis ineptiſſimæ torquent?* Verùm (quod nemo non miretur) ne hic quidem noua illa editio *operati* habet, ſed *occupati*: quum tamẽ in annotationibus *operati* probetur, & vocabulo illo *occupati* exponatur: addito etiam ex Lucretio huius vſus exemplo,

Et quibus in rebus conſuerunt eſſe operati.

Item ex Horatio,

In cute curãda plus æquo operata iuuetus.

Sed audi alium locum, in quo videbis itidem bonam præcedentium editionum lectionem mutatam eſſe in malam. Is eſt epiſtola CII. nam ibi quum illæ habeant, *Quia*

ſi de

ſi de me bene vir bonus ſentit, eodem loco ſum quo ſi omnes boni idem ſentirent. Omnes enim, ſi me cognouerint, idem ſentiet. Par illis idem q; iudicium eſt: æque verò inſiſtitur ab his qui diſſidere non poſſunt: in illa ſcriptum eſt, *æque verò ſentitur.* Atqui non dicit Seneca æquè ſentiri illud iudicium quod par idémque eſt, nec *verò* hîc eſt illa orationis pars quæ coniunctio vocatur: ſed veritatem ſignificat: ideóque vel retinenda aliarũ editionum erat lectio, *æque verò inſiſtitur*, id eſt, æquè veritati inſiſtitur: vel ſcribendum erat, *æquè verum ſentitur.* Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

ECCE aliud à ſuperioribus diuerſum malũ, quo laborat illa noua editio: quòd quãuis multas coniecturales emẽdationes in cõtextum intruſerit (vt me in ſuperioribus conquerentẽ epiſtolis audiſti, & iam in mea ad Senecæ lectionẽ Proodopœïa queſtus eram) adeo vt vbicunque veteris exem-

plaris aut veterum exemplarium non ſit mentio, ſuſpectam eam de illa audacia meritò habeamus: tamen in quibuſdam locis qui magni ſunt momenti, quum magna aut etiam maxima quod ad ſenſum etiam attinet, fiat ſcripturæ mutatio, ſuſpenſus lector relinquitur: quum ei lectio huiuſmodi proponatur, ſed non addatur, vtrum coniecturæ an veteri cuipiam exemplari accepta ferenda ſit. Hoc certè cum aliis contigit locis, tum vni qui eſt initio epiſtolę CXXIII, qui omnibus lectoribus crucem hactenus fixit, *Neceſſarium eſt paruo aſſueſcere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum etiam locupletibus & inſtructis à dijs optantem prohibent, & occurrunt. Quidquid vult habere nemo poteſt: illud poteſt, nolle quod non habet.* Nam ita quidem in præcedentibus editionibus, quū alij ſcribendum eſſe, *à dijs optata prohibent*, alij aliud ſuſpicentur: Pincianus autem hāc ex quodam ſuo libro veteri ſcripturam afferat, *etiam locupletibus & inſtructis aciebus optabam* (ſi tamen ita Pinc. ipſe ac non potius *optata* ſcripſit) *prohibentes occurrent*. At illa Romana editio lectionem hanc mirum quantum diuerſam nobis exhibet, *etiam locupletibus & inſtructis ac regibus octauam prohibent, & occurrunt.* Et in annotationibus hæc verba, *octauā prohibent*

(quæ

(quæ vnde ſint, lector non admonetur, ſicut dixi) exponuntur, Non ſinunt eos hora octaua cœnare. Et additur, ab illa incipere ſolitos qui genio liberius indulgebant: atque hæc fuiſſe quæ vocabant tẽpeſtiua conuiuia: quòd de die fierent, & tempeſtiuius quàm frugi homines epulãdi cauſa diſcumbere ſolerent. Quid tu hac de ſcriptura dices? ad me quidẽ certè quod attinet, ei non facilè aſſentior, ſiue ex coniectura ſiue ex vet. exempl. prodierit: quum Seneca de re quæ iis qui genio indulgebant peculiaris eſſet, loqui nolit: & nona alioqui potius quàm octaua hora cœnaretur.

At verò locum hunc, qui itidem torſit multos, libelli De vita beata, cap. x x v, *Me hominem maximè cogitabo, cum dijs vndique conſultabo*: libenter video ita reſtitutum, *Me hominem eſſe tum maximè cogitabo, quum deus vndique conſalutabor*: &, quum ex vetere libro ſumpta ſit hæc lectio, in locum alterius eſſe ſubſtitutam, minimè reprehendo.

Verùm ne ἀσύμβολος, quantum etiam ad me ſpectat, hęc ſit epiſtola: audi quod emẽdandum in hoc ipſo capite supereſt, ſiquid hîc iudicio valeo. Legimus circa finem, in illa etiam editione, *Quemadmodum corpus in procliui retineri debet, in ardua impelli: ita*

quædam virtutes in procliui ſunt, quædam cliuum ſubeunt: at ego ſcribendum eſſe dico, *Quemadmodum corpus in procliui retineri debet, in arduo, impelli.* Neque enim inficiari (vt opinor) quiſquam poteſt quin Seneca intelligat, corpus debere retineri, quum in procliui loco eſt: impelli, quũ eſt in arduo. Quo dictum eſt modo à Naſone, *Qui cadit in plano.* Nolo autem te celare, in editione illa Frobeniana, anni M. D. XXIX, itidémq; in aliis quæ poſtea prodierunt, legi *in procliuo:* ſed ſuſpicor hoc ex eo contigiſſe quòd aliquis in margine illius editionis Frobenij, quæ hanc anni M. D. XXIX, præceſſerat, annotaſſet has literas *uo*, vt ponerentur loco illarum *ua*, in vocabulo *ardua:* poſtea verò notam quæ ad hãc vocem pertinebat, quum aliquis ad illam pertinere putaret, non ſolùm errorem hunc non correxit, ſed alium ei addidit.

HENRI-

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

TEMPVS eſt vt quod me tibi facturum minatus ſum, facere incipiam: vt (inquam) ſerias tibi epiſtolas impingam; quę te à luctuoſis vel potius lugubribus cogitationibus auocatum in correctorias curas & ſolicitudines impingant. Erunt enim meæ ad te epiſtolæ quorundam Senecæ locorum diorthotikę, aut ſaltem in illorum diorthoſes ſtochaſtikæ: & nonnullę quædam in aliis eius locis ἐξεταζόυσι. Sed malè me habet quòd triſte aliquid & miſerabile eo in loco legitur quem hîc tibi proponam. Niſi fortè futurum eſt vt noua hæc triſtitia veterem illam ex animo tuo, tanquam clauus clauum, extrudat: aut, ſi hoc fieri non poteſt (quum hæc illi nullo modo ſit ἰσόῤῥοπος) ſaltem eius locum ad tempus aliquod occupet.

Sed iam audi verba quibus decimumnonum caput libri De ira tertij clauditur, *Quæ iſta ſæuitia eſt? Da exituræ animæ locum: liceat illam non per vulnus emittere.* Quum

hæc verba, *liceat illam non per vulnus emittere*, attentius conſiderarem, ſuſpicari cœpi aliquid ante particulam *non* deeſſe: & quod initio ſuſpicabar tantùm, cœpi poſtea mihi perſuadere. Tandem verò eò ventum eſt vt etiã affirmare hoc auſus ſim: ſed tum demum quum in alterũ hũc eiuſdem ſcriptoris locum incidi, *Etſi ſcit ſua nihil intereſſe, vtrum anima per os an per iugulum exeat.* Dico enim haſce duas quę hîc leguntur voculas, *per os*, illic deeſſe: & additis illis ſcribi debere, *liceat illam per os non per vulnus emittere.* Sic autem de ore intelligi conſtat quod paulo antè dictum fuit, *Cui vnquam morituro non eſt relictum qua gemeret?* vel *quo gemeret?* quanquam illud malo. De hoc autem crudelitatis genere, tanquam ſummæ, & omnem Phalaridis crudelitatem ſuperante, ita queritur & Naſo,

Exigis vt nulli gemitus tormenta ſequãtur:
Acceptoq; graui vulnere flere vetas.
Ipſe Perilleo Phalaris permiſit in ære
Edere mugitus, & bouis ore queri.

Sed duo primi verſus interrogatiuè etiam legi poſſunt, hoc modo,

Exigis vt nulli gemitus tormenta ſequãtur?
Acceptóque graui vulnere flere vetas?

Sed quid dicemus à Seneca *vulnus* illic appellari? Arbitror, quum magna vi ingererentur

rerentur & infarcirentur ori panni, & modo non intruderētur, linguam, maxillas, palatum ex affrictu ſanguinem emiſiſſe: atque hoc eſſe quod *vulnus* nominet.

Omittere hoc nolo, in huius capitis principio, quum antea legeretur, *Torſerat per omnia quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tabularibus, eculeo, igne, vultu ſuo:* & pro hoc *tabularibus* afferretur etiā *tribularibus*, nunc afferri & tertiam lectionem *talaribus.* Quod fortaſſe inter instrumenta βασανιστήρια erat tali πιεστήριον. Syneſius inſtrumenta quædam huiuſmodi enumerans, ποδοστράβης etiam mētionem facit: ſed alibi de quodam quod peculiariter eum quem dixi vſum haberet aliquid legiſſe mihi videor. Cæterùm ad hanc Latinam vocem quod attinet, in epiſt. LIII (quæ antea numerabatur LIIII) eandem, ſed alia ſignificatione, habemus: & quum antea legeretur, *Dubio & incipiente morbo quæritur nomen: qui vt talaria* (vel *calcaria*) *cœperit intendere, & vtroſque dextros pedes fecerit, neceſſe eſt podagram fateri:* (vt *talaria* intelligeremus de tumoribus quos in talis gignit podagra) nunc ſcriptura aliquantum diuerſa exhibetur, *qui vbi ad talaria cœpit tendere.* Multo autem magis in iis quæ proximè ſequuntur diuerſa ſcriptura eſt, quū in ea ver-

ba iſta, *& vtroſque dextros pedes fecerit*, prætermittantur. Vbi pro *fecerit* antea legebatur *ferierit*. Sed ex vet. exempl. tamen eſt illud: & fuerũt qui putauerint podagram ioco dici vtrumque pedem dextrum feciſſe, poſtquam ſic æquauerat vt nihil intereſſet.

Verùm, vt ad illud caput libri tertij De ira redeam, non video cur debuerit cuidam ſuſpectum eſſe illud, *vultu ſuo*: quum inter tormenta meritò numeretur vultus minax, & quidem vſqueadeo minax vt alia crudelitatis multo maioris genera minari videatur. Eodem certè modo ab Horatio dictum eſt,

Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

EXPECTABAS fortaſſe vt ſi quam præterea diorthoſin aut ſi quē diorthotikon ſtochaſmum in aliquem locum eiuſdem De ira operis haberem, eum deinceps quaſi eadem

dem opera tibi proponerem. Sed quem ordinem, aut (ſi mauis) quam ſeriem mea mihi memoria ſuggerit, eam ſequar neceſſe eſt.

Ab illo igitur commentarij De ira tertio libro ad tertium operis De beneficiis venias oportet, & hanc capitis XVIII clauſulam conſideres, *Poteſt ſeruus iuſtus eſſe, poteſt fortis, poteſt magnanimus: ergo & beneficiũ dare poteſt. nam & hoc virtutis eſt. Adeóque dominis ſerui beneficia poſſunt dare, vt ipſos ſæpe beneficij ſui fecerint. Non eſt dubium quin ſeruus beneficium dare poſſit cuilibet: quare ergo non & domino ſuo poſſit?* Ita enim locus hic ſcriptus eſt in Frobeniana editione anni M. D. XXIX. atque hanc lectionem omnes (vt opinor) ea poſteriores ſequutæ ſunt: excepta ea quam Roma nuper dedit. hæc enim ita ſcriptũ habet iſtum locum, vel potius eam iſtius loci partem de qua controuerſia eſt, *Adeóque dominis ſerui beneficia poſſunt dare, vt ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint.* Atqui ne iſta quidem lectio ferri poteſt. Nam dicendo, *vt ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint*, quem ſenſum illud *fecerint* haberet? quídnam illud eſt quod beneficia ipſos fecerint? Ne altera quidem ſtare ſcriptura poteſt. nam ſi legas, *vt ipſos ſæpe beneficij ſui fecerint*, hic genitiuus quo referetur? Neque verò hîc, vt alicubi, duas ſcri-

teneant, quamuis id tantùm quod deſtinauerunt agant, tamen aliud agunt, id eſt, aliud quàm quod agere debēt qui bene beatéque viuere cupiunt, aut ſaltem vitam ſuam bene inſtituere, ſeu vitæ ſuæ ſtatum bene ordinare.

Præſertim verò illi aliud agunt qui in friuolis & inutilibus ſtudijs tempus & operam ponunt, non iis quæ dixi (quum de nihil agentibus loquerer) ab ipſo etiam vulgo pro talibus haberi, ſed in quibus nonnulli etiam philoſophi magnam ætatis partem conſumebant: vt videre eſt epiſtola XLVIII & LXXXVIII: vbi quum ſyllogiſmi captioſi, de quibus, tanquam ſubtilibus & vafris, ſibi placebant, tum verò quæſtiones prorſus friuolæ & inutiles irridentur.

Sed tādem in locum illarum XVIII Italicarum expoſitionum, totidem Gallicas (id eſt meas) illorum verborum *aliud agentibus*, (omnes tamen inter ſe concordes) ſubſtituere contentus non ero, ſed illi numero τεταρτημόριον adiiciam, & XXIIII dabo.

I. *Aliud agunt* qui vitæ ſuæ tempus in alios quàm ſuos vſus conferūt, vt ipſe loquitur Seneca.

II. *Aliud agunt* qui quod eſſe vitæ ἔργον

debet, πάρεργον faciunt: quod, autem πάρεργον eſſe oporteret, faciunt ἔργον.

III. *Aliud agunt* qui aliter vitam inſtituunt quàm humanæ vitæ conditio requirit.

IIII. *Aliud agunt* qui aliena ab animi tranquillitate agunt.

V. *Aliud agunt* qui occupatam laborioſámque vitam agunt, quum agere otioſam & quietam poſſint.

VI. *Aliud agunt* qui alia quàm quæ humanæ vitę officia poſtulant, agunt.

VII. *Aliud agunt* qui ad alias quàm naturæ leges vitam inſtituunt.

VIII. *Aliud agunt* qui vitæ ſuæ tempus aliis rebus quàm iis propter quas amanda eſt impendunt. Vel, Qui ita viuunt vt ex vita eum fructum qui verus eſt eius fructus non percipiant.

IX. *Aliud agunt* qui aliam vitæ viam ſequuntur, quàm quæ ad optabilẽ exitũ ducere nos poteſt.

X. *Aliud agunt* qui alia potius omnia quàm vitam ſuam ordinãt. Vel, Qui aliis potius omnibus quàm

quàm vitæ ſuæ veram regulam præſcribunt.

XI. *Aliud agunt* qui non ad ſe, ſed ad alios actiones ſuas referunt.

XII. *Aliud agunt* qui ea agunt per quę alij in vitam eorum incedunt.

XIII. *Aliud agunt* qui ſemper aliis, nũquam ſibi vacant.

XIIII. *Aliud agunt* qui alienis negotiis gerendis ſe ſibi abduci ſinunt.

XV. *Aliud agunt* qui aliis, potius quàm ſibi, vitæ ſuæ vſumfructum concedunt. Aut breuius, qui aliis potius quàm ſibi viuunt.

XVI. *Aliud agunt* qui in aliis quàm ad vitam bene beatéque agendam conducentibus ſtudiis tempus ponunt.

XVII. *Aliud agunt* qui ſuperuacua & vitæ inutilia diſcunt.

XVIII. *Aliud agunt* qui à fugiendis petẽda ſecernere minimè diſcũt.

XIX. *Aliud agunt* qui alia diſcunt quã quæ ad virtutem viam ſternũt.

XX. *Aliud agunt* qui alia diſcunt quã vnde viri boni euadant.

XXI. *Aliud agunt* qui aliud quiduis potius diſcunt quàm viuere.

XXII. *Aliud agunt* qui iis tantùm operam dant quæ ad accipiendã virtutem præparare poſſunt, ſed non eam dare.

XXIII. *Aliud agunt* qui ita bonarum & vtilium rerum ſtudio locum in animo ſuo dant, vt interim alia ſuperuacua ex eo non tollant.

XXIIII. *Aliud agunt* denique & qui in ſtudiis quidem vtilibus tempus ponunt, ſed in tranſitu,& perfunctoriè,&aliud agentes, id eſt, aliis interim cogitationibus animum occupatum habentes : vt ij de quibus Seneca ipſe, libri vltimi Naturaliũ quæſtionum capite vltimo,ſcribit, *ad ſapientiam quis accedit? quis dignam iudicat niſi quam in tranſitu nouerit? Quis philoſophiam aut vllum liberale reſpicit ſtudium, niſi quum ludi intercalantur? quum aliquis pluuius interuenit dies, quem perdere libet?* Scribẽdum enim hîc eſt *libet*,non *licet*, vt habent omnes editiones. Atque hanc emendationem, ἐπίμετρον iſtius epiſtolæ habeto. Imò verò & quãdam excuſatiunculam iſtius ſermonis, qui ὑπέρμετρος videri poterit, προσεπιμετρήσω. Hanc enim ſiue πολυλογίαν ſiue μακρολογίαν (ſi tamen ſermonem, longum quidem, ſed nihil ſuperuacaneum habentem, ita vocare licet)

huic

huic βραχυλογίᾳ Senecæ adeo πολυσημάντῳ imputandam eſſe dico. In præcedentibus autem ideo longior fui, quòd bona fide omnia quæ alii attulerant, tibi proponere, nec minus fideliter meum de illis iudicium interponere volui. Quòd ſi mea tãtùm propoſuiſſem, quamnunc tuo do iudicio optionem dare non potuiſſem. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

IN aliquot ſuperioribus epiſtolis, de nonnullis Senecæ locis ad te ſcripſi qui pleriſque falsò ſuſpecti ſunt, aut ſuſpecti eſſe poſſunt: nunc contrà de quibuſdam ſcribam qui multis obrepunt: id eſt, ita leguntur à multis, vt qui ſubeſt illis error non animaduertatur; ideóque minimè ſuſpecti ſint, quũ tamen eſſe debeant.

A duobus autem locis initium ſumam, qui idem mendum habent, id eſt, vnam eandémque vocem pro alia poſitam. Legimus

enim epiſt.XLVII, *Stare ante limen Calliſti dominum ſuum vidi: & eum qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, alijs intrantibus excludi.* Nam quum ita legatur in omnibus ſuperioris temporis editionibus, non dubium eſt tamen quin *reijcula mancipia* ſcribi debeat, vt Rom. editio habet. Sic in commentariolo De breuitate vitæ, capite ſeptimo, *Diſpunge, inquam, ac recenſe vitæ tuæ dies: videbis paucos admodum & ridiculos apud te reſediſſe.* quũ itidem ſcribendum ſit *reijculos.* At quotuſquiſque tamen vel hunc vel illum locum, quamuis illo non hoc modo ſcriptũ, mendi ſuſpectum habebit?

Eorum è numero eſt hic quoque (licet aliud quoddam ſit errati genus, & ad quod animaduertendum magis ſenſum quàm verba conſiderare oporteat) epiſtola XCIX, quæ numerabatur antea C, *Sæpe ſalua ſapientis autoritate fluxerunt* lacrymæ, *tanto temperamento, vt illis nec humanitas nec dignitas deeſſet.* Nam quid hoc eſt, humanitatem non deeſſe lacrymis? quomodo fieri poteſt vt humanitas illis deſit? viciſſim autem quomodo dignitatem illis ineſſe dicemus? quamuis hoc magis quàm illud excuſari poſſe fatear. At hũc locũ, qui multum negotij poteſt faceſſere lectori cuipiam valde attento (nam quin

quin multis & hic obrepturus ſit non dubito)& vel non intelligetur, vel ita intelligetur, vt mereri reprehenſionem Seneca videatur, tanquam non ſatis conſideratè loquutus: parua mutatione talẽ reddere poſſe mihi videor,vt ab iis quę dixi nullũ periculũ impẽdeat.Nã ſi detracta vnica litera *s*,legatur *illi*,non *illis*,vt de ipſo ſapiẽte nõ de eius lacrymis hæc dicãtur,nihil tale timẽdũ erit.

Sed multo etiam magis mirari debemus eos quibus ij loci qui ita ſcripti erant vt aliquid abſurdi haberent, minimè fuerunt ſuſpecti. Ex ijs autem eſt hic, epiſtolæ VII, *Interfectores interfectis iubentur obijci, & victorem in aliam detinent cædem.* Quale enim hoc fuiſſet,interfectores interfectis obijcere?aut quod illis cædis periculum ab interfectis eſſe poterat? Et tamen ne ille quidem qui à vigilantiſſima cura profectam caſtigationem promiſerat, de hoc loco monuit: quum alioqui in promptu etiam alia lectio eſſet,*interfectores interfecturis iubentur obijci.* Niſi quis malit ſcripturam quæ eſt in Rom. editione ſequi, *Interfectores inter ſe iubentur obijci*: quæ certè mihi paulo magis placet, etiamſi partim cõiectura, partim veteris libri autoritate nitatur, in quo eſt *interlectis*, non *interfectis*.Neque verò omittendum hîc aliud erratorum,tanquam gladiatorum,par,

iuuenum occiſorum pro *otioſorum*, & viciſſim *otioſos* pro *occiſos*, de duobus Obazi filijs, quos itidem iuuenes fuiſſe credibile eſt.

Mirum eſt, & *viuendum* pro *videndum*, in ſuperioris temporis editionibus in ſuſpicionem non veniſſe, epiſtola XCIIII, *Fateor huic non eſſe opus præceptis ad viuendũ*: quum de oculis eum loqui nemo nõ videat, ideóque dicere, *huic non eſſe opus præceptis ad videndũ*. Verùm vt hîc litera *v* locũ literæ *d* occupauerat, ita viciſſim ſedem illius *v* à litera *b* videmus fuiſſe occupatam, in epiſtola CI. nam ibi legitur in Romana etiam editione, *Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt*: quum ſcribi debeat (meo quidem iudicio) *aptauit*. Verùm litera hæc *v* iniuriam ſibi hac in epiſtola factam vlta eſt in alia. nam quum in principio epiſtolæ XCIX, Seneca *leniter* ſcripſiſſet (hoc in loco, *nec putaui leniter illum debere tractari*) illa irrepens fecit vt in *leuiter* mutaretur: idémque & alibi fecit. Sic alienam ſedem occupauit & vltimi de ira libri capite vltimo: quum ibi *Videre* legamus vbi *Ridere* legi debet: *Videre ſolemus inter matutina arenæ ſpectacula, tauri & vrſi pugnam inter ſe colligatorum*. Sed non idem hoc de loco quod de primo illo dixerim, in quo *viuendum* pro *videndum* poſitum fuit. non enim æquè

æquè manifeſtus eſſe hic error poteſt. Sic verò excuſari poſſunt & qui quomodo emendandus eſſet membri proximi locus in quo hæc ipſa litera *v* duas ſedes loco vnius tenebat, non animaduerterũt. nam non *ſuus* ſed *ſus* ſcribendum eſſe, non cuiuſuis erat ſuſpicari.

Nonnullos autem locos ideo nõ animaduertimus eſſe mendoſos, quòd nec in ſenſu nec in ſermone quidquam reprehenſione dignum habere videantur: ſed potius ea quę germana eſt lectio aliquid inſolens præ ſe ferat. Atque hinc accidit vt non ſolùm inemendati multi manſerint antea, ſed nunc quoque maneant. Quod fortaſſe dicendum eſt de hoc loco epiſtolæ x c, *Sufficit ad id natura quod poſcit.* Quamuis enim nihil huic ſcripturæ poſſe opponi videatur, tamen non dubito quin paulo aliter ſcribendum ſit: hoc videlicet modo, *Sufficiebat id natura quod poſcit.* ſicut dicit, *erant*, & *poſtulabat*, & *erat*. Iam verò & ex iis qui in prioribus editionibus germanam ſcripturam habebant locis nõnulli in poſterioribus mutati ſunt, occaſione ex eo ipſo quod dixi ſumpta. Sic enim epiſt. x c v i i i, de Regulo, Socrate, Rutilio, Catone, Fabricio, Tuberone, Sextio, loquutus, *Nos quoque* (inquit) *aliquid ex his faciamus: animoſi ſimus. Inter exempla*

quare deficimus? quare deſperamus? quum ſcribendum ſit, *Nos quoque aliquid ex his faciamus animoſè. ſimus inter exempla. Quare deficimus?* Quam ſcripturam habet ἔκδοσις Frobeniana, anni M. D. XXIX. at poſteriores,& nominatim Heruagiana, quòd inſolens videretur loquendi genus, Eſſe inter exempla, eo quo dictum eſt modo immutauit. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

SENECA (ſi eiuſdem Senecæ ſunt & Controuerſiarum libri) in ſe memoriam ita floruiſſe ſcribit, vt non tantùm ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet. Et poſtquam eius quod dixit exemplũ attulit, illam tum quoque, quamuis ætate eſſet quaſſata, talem fuiſſet ſcribit, vt quæcunque apud illam aut puer aut iuuenis depoſuiſſet, quaſi recentia & modò audita ſinè cunctatione proferret. Sed tamen apud eum quoque obſeruata ſunt aliquot errata,

ex memoriæ lapſu orta, quę *μνημονικὰ ἁμαρτήματα*, vel *σφάλματα*, dicere poſſumus. Quæ ideò non incredibile eſt apud eum inueniri, quòd quemadmodum prima ætate in miraculum vſque proceſſerat, ita pro miraculo haberi poterat quod de eadem ſcribit, quum ætate quaſſata eſſet. Quamuis enim quęcunque apud illam depoſuiſſet aut puer aut iuuenis, non aliter quàm modo audita proferret, vt modò dictum eſt: tamen ſiqua illi intra proximos annos commiſiſſet, ſic perdebat & amittebat, vt etiam ſi ſæpius ingererentur, toties tanquam noua audiret.

Sed, quæcunque ei memoria fuerit, tres locos notari video in quibus bonæ fidei illā non fuiſſe obiicitur. Verùm in duobus ſaltem patronum me habebit, ſi tuum patrocinium, mi Dalechampi, meo, alioqui parum valido, adiungere libuerit. Hi autem duo, illi erunt qui præcedunt.

Libri igitur primi Naturalium quæſtionem capite vndecimo, vbi dixit aliud virgarum genus apparere, quum radii per anguſta foramina nubium tenues, intenti diſtantéſque inter ſe diriguntur, & ipſi ſigna imbrium ſunt: his ſubiungit iſta, *Quomodo nunc me hæc loco geram? quid eas vocem? imagines ſolis? hiſtorici ſoles vocant, & binos ter-*

nóſque apparuiſſe, memoria tradunt. Græci parelia appellant: quia in propinquo fere à ſole viſuntur, aut quia accedunt ad aliquam ſimilitudinem ſolis. Et, pauciſſimis verbis interiectis, interrogat iterum, *his quod nomen imponimus?* Atque huic interrogationi ſubiungit, *an facio quod Virgilius, qui dubitauit de nomine, deinde id de quo dubitauerat, poſuit?*

-& quo te nomine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Salernis.

Hîc autem Matthæus Fortunatus aut nos deprauatum & non bene intellectum Virgilij locum habere dicit, aut (quod ſe magis ait credere) Senecæ incuriam eſſe accuſandam, diligentiámque requirendam. non enim de nomine Rheticę, ſed de laude & pręconio dubitare Virgilium,

-& quo te carmine dicam Rhetica?

Et quia hac dubitatione de eius præconio viſus erat maximam ei attribuiſſe nobilitatem, ne Rhetica hac laude multum ſibi placeat, ſéque omnibus vitibus præferat, quum nobiliores ſint aliquæ Campanæ (licet Cato Rheticam omnibus prætulerit) ſubiungit,

Nec cellis ideo contende Falernis.

Addit igitur, veriſimile eſſe ſomnum Senecæ hoc loco obrepſiſſe. At ego veriſimile eſſe

le eſſe nego Senecam citaſſe hunc Virgilij verſum, tanquam de nomine ambigentis, quin ſciret etiam quam de eo ambigendi cauſam haberet. Ei autẽ quod adiicit, Virgilium, quoniam viſus erat hac de eius præconio dubitatione maximam ei attribuiſſe nobilitatem(pro quo maluiſſem præſtantiã dicere) ne Rhetica hac laude multum ſibi placeat, addere, *-nec cellis ideo cont. Falernis?* oppono alteram lectionem,

-ne cellis adeò contende Falernis.

Nullum enim locum habet quod tanquam à Virgilio dictum addit, ſi hanc lectionem ſequimur, quæ non vnius codicis autoritate nititur. Atqui habemus alteram lectionem apud ipſum Senecam. Fateor: verùm credibile eſt eũ non plura verba quàm hæc attuliſſe, *& quo te nomine dicam Rhetica?* (nam his tantùm illi opus erat) ſed aliquem voluiſſe verſum abſoluere. At Plinius quoq; alteram lectionem ſequutus videtur. Quid tum? iam eius ſeculo eſſe poterant exemplaria quæ ex duabus lectionibus meliorem non haberent. Obſeruandum eſt autem in hac lectione, *& quo te nomine dicam Rhetica?* perinde eſſe acſi diceret Virgilius, Atque hoc in numero tu quoque ponenda es, quã neſcio an Rheticã nominare debeam.

Cæterùm non hîc tantùm imitatur Seneca

neca quod à Virgilio fieri dicit, ſed alibi etiam. Nam epiſt. CXVII, poſtquam dixit, *Coguntur noſtri verba torquere, & vnam ſyllabam expetendo interponere, quam ſermo noſter inſeri non ſinit. ego illam, ſi pateris, adiungam:* quamuis dubitans, ánnon, patiatur ille eam adiungi, tamen adiungit in ijs quæ proximè ſequuntur. At epiſt. LVIII, dicit ſe vſurum eſſe vocabulo Eſſentia, ſiue permittat Lucilius, ſeu non. ſcribit enim, *Cupio, ſi fieri poteſt, propitijs auribus tuis eſſentiam dicere: ſin minus, dicam & iratis.* Sed ſuperioris temporis editiones vocabulum *eſſentiam* in *quid ſentiam* deprauatum habent. Huc pertinet & quod legimus apud eum, de quodam Paulo prætorio loquentem, *Rem ineptiſſimam fecero ſi nunc verba quæſiero quemadmodum dicam illum matellã ſumpſiſſe.* Nam dum oſtendit ſe libenter vſurũ eſſe alio vocabulo, ſed ineptiſſimã rem facturum eſſe ſi noua verba quęrat, interim vulgari, licet ſordido, vtitur.

Verùm, vt ad duos illos reliquos veniam locos, vnus eſt hic, libri De beneficijs primi capite XIII, *Alexandro Macedoni, quum victor orientis, animos ſupra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati ſunt, & ciuitate illum ſua donauerunt. Quum riſiſſet Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli, inquit, ciui-*

ciuitatem vnquam dedimus alij quàm tibi & Herculi. Quibus addit, Alexãdrum, hoc audito, libenter accepiſſe delatum honorem, & legatos inuitatione aliáque humanitate proſequutum, cogitaſſe non qui ſibi ciuitatem darent, ſed cui dediſſent. Atqui quod de Corinthijs narrat, memoriæ proditum eſt de Megarenſibus, obijciunt aliqui. Fateor: ſed fieri potuit vt aliquis de Corinthijs ſcriptum hoc relinquerit, quod de Megarenſibus ab alio ſcriptum fuerat, & fortaſſe (nam à Corinthijs oblatum hoc officium, pluris quàm à Megarenſibus æſtimaturum fuiſſe credibile eſt) ſcribendum erat. Quod ſi ita eſt, quis affirmare poteſt, ἁμάρτημα ſeu σφάλμα μνημονικὸν hîc eſſe?

Tertius qui non itidem defendi poteſt locus eſt in illo Naturaliũ quæſtionum opere, libri quarti capite ſecundo. Nam in huius principio ſcribit, *Quare non cum poeta meo iocor, & illi Ouidium ſuum impingo?* qui ait,

-nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Conſtat enim hæc eſſe Tibulli, non Ouidij. nam legimus apud Tibullum, libri primi elegia ſeptima, in qua Meſſalæ natalem celebrat,

Nile pater, quánam poſſum te dicere cauſa
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Vnde Nilus à quodam Parmenone Byzãtio αἰγύπτιος ζεὺς vocatus fuit, Athenæo teſte.

Sed quid, quòd ſcribit, excepta Macedonum gente, non eſſe in vlla datam aduerſus ingratum actionem? nónne & hîc (dicet aliquis) eſt memoriæ lapſus? Nam libri I I I, De beneficijs, capite V I, hoc de Macedonibus ſcribit quod de Perſis apud Xenophontem legitur: δικάζουσι δὲ καὶ ἐγκλήματος οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζονται δὲ οὐδὲ ἥκιστα, ἀχαριστίας. De qua tamen vera huius loci lectione editio mea omnium prima lectores admonuit: quum antea ſcriptum eſſet contrario planè ſenſu, δικάζονται δὲ οὐχ ἥκιστα. Et mihi de mea coniectura quam in priori editione annotaueram, gratulatus ſum in poſteriori, quum illam à Iulio Gabrielio (ſicut & alias pleraſque) veteris exemplaris autoritate confirmari comperi. eundem enim ſenſum efficit quod ille affert, ſicut docent meæ in poſteriorem Xenophontis ἔκδοσιν annotationes. Vt autem ad Senecam reuertar, ne illi memoriæ lapſum hîc obiiciamus obſtat lectio quę ex veteri quodam libro affertur *Medonum*. nam vt in *Macedonum* facilè, ſed malè, mutari potuit illud *Medonum*: ita in

Medorum

poſſent ei quod perageretur ſacro. Sed eſtó (dicet aliquis) ſecernenda hæc eſſe quod ad ſignificationem attinet; *Fauere lingua* & *Bona verba dicere*, videmus tamen hæc duo imperari tanquam quæ vnà fieri debeant. Reſpondeo igitur, bona verba vel de iis intelligi quæ quis apud ſe loqueretur, & precibus quas mente conciperet (vt Ouidius *bonas preces* & *bona verba* de vna eadémque re vno eodémque loco dixit) vel de verbis quæ ſacerdos præibat: vt apud eundem legimus in illis Metamorph. verſibus,

Quiſquis adeſt, viſum veneratur numen: & omnes
Verba ſacerdotis referunt geminata.

Nec verò, ſiquis *bona verba* malit duas illas res ſimul comprehēdere, valde repugnabo: id eſt, vt partim de tacitis illis precibus, partim de verbis quæ à ſacerdote præibātur, ea intelligamus. Sed quomodo verum id erit, de quo inter omnes conuenit, ſilentium ſacris fuiſſe adhibitum? Silentium certè exiſtimo tale imperatum non fuiſſe quod ne illa quidem permitteret. Nam & apud Tibullum legimus, Lares ſuos compellantem,

Agna cadet vobis, quam circum ruſtica pubes
Clamet, Io meſſes & bona vina date.

Nec verò omnimodum ſilentium (niſi quum ſummo iure agebatur) imperari ſolitum exiſtimo: ſed vt, ſi nõ omnino ſilerent, ſaltẽ nihil malè ominatum loquerentur: vel malè ominatis (vt Horatius loquitur) verbis parcerent. Quamobrem quum apud Fabium, CCLXV declamatione, legimus, *Sanè petulantia alijs locis mediocrem habeat reprehenſionem: in tẽplo verò, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo tacitam etiam mentem noſtram cuſtodimus, pulſare, velut in ſolitudine, velut in ſecreto quodam, non eſt ferendum:* vereor ne aliter ſcripſerit quàm *verbis parcimus*, videlicet *verbis petulantibus parcimus*, vel *verbis inhoneſtis*, aut *ominoſis*, aut denique *malè ominatis*, reſpiciendo ad locum Horatij. Alioqui enim vide ne ſit nouum Parcere verbis, ſine aliqua huiuſmodi adiunctione, in ſoluta præſertim oratione. Iam verò & quod ab eodem ſcribitur, loquente itidem de templo, *in quo tacitam etiam mentem noſtram cuſtodimus*, mendo carere non videtur. nam quomodo aliquis tacitam mentem continere dicetur? Videndum igitur annon veriſimilius ſit eum *intactam* ſcripſiſſe: vt mentem à malis cogitationibus intactam & integram intelligere oporteat. Vtut ſit, ſaltem tacita verba, qualia ſunt precantium, & in mẽte conclu-

concluſa, non fuiſſe vetita, ſatis cõſtat. Tantum autem abeſt vt aliquid ἀπαίσιον & δύσφημον ibi loqui vellent, vt vel audire inter precandum timerent, ſicut teſtatur Plutarchus in libro qui vulgò κεφάλαια Ῥωμαϊκὰ inſcriptus eſt, quum potius αἰτίαι Ῥωμαϊκαὶ ſit inſcribendus. Ac ne hoc quidem contenti erant, nihil loqui vel audire δύσφημον, ſed εὐφημεῖν etiam ſolebant. Atque adeo vt iubebatur totus populus ſilere (σῖγα πᾶς ἔστω λεώς, apud Euripidem, in Hecuba) ita nonnunquam & εὐφημεῖν. Hoc autem quomodo ab iis qui omnino ſilerent, fieri potuiſſet? Tantum denique abeſt vt ita illud Latinum loquendi genus accipiendum putem, vt ſi mihi à ſententia mea diſcedẽdum ſit, non aliò quàm ad εὐφημούντων verba illud ſim potius relaturus, quàm illi vulgari expoſitioni aſſenſurus. Sed referendo non aliò quàm ad verba εὐφημούντων, reſpondendum eſſet, non dici Fauere linguis, quòd fauoris loco haberetur, eos qui aderant linguas ſuas continere: ſed quòd ſacris fauere viderẽtur, quum ea bonis verbis proſequebantur, de alia omni re ſilentium interim agentes. Quum autem ita exponetur, neceſſe non erit, in his loquendi generibus, quæ illo poſteriora ſunt, *Linguis animíſque fauere*, &, *Animis & voce fauere*, necnon,

Linguis & votis fauere, duo fauoris genera ſub vno eodémque verbo intelligere.

O quid video! quantam in lõgitudinem excreuit epiſtola, quam præcedentis velut appendicem tantummodo futuram ſperabam! Sed in Senecam inquirere de hoc loquendi genere non contentus, finem dicendi de eo faciendum non putaui priuſquam nodum quem habere videtur vulgaris eius expoſitio, ſoluiſſem, aut ſaltem ſoluiſſe mihi viſus eſſem. Hoc autem an bene præſtiterim, tuo iudicio relinquo. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

SICVT proximè præcedẽtem epiſtolam ſcribendi occaſionem mihi præbuerat quæ illam antecesserat, ita quæ hac prior eſt occaſionem mihi iſtam ſcribendi præbet: quoniam vereor ne mihi excidant ea de quibus ad te nunc ἐπιστέλλειν illa me impulit, ſi differam.

Nam quæ ſint Senecæ ſacræ literæ, quarum

rum mentionem vides fieri in loco qui in præcedente epiſtola fuit à me allatus, quid item apud Senecam vocetur angelus (quo genere loquendi cum ipſo vtor) ex te ſcire, aut ſaltem συνδιαπορεῖν σοι cupio. Conſidera igitur hunc locum, commentarioli De vita beata, capite x x v i, nõ procul à fine: vbi inducitur loquẽs Socrates, aut alius quiſpiam cui idem ius aduerſus humana atque poteſtas ſit. Nam dixerat aliquanto ante, *Nihil magis (Socrates inquit, aut aliquis alius, cui idem ius aduerſus humana atque eadem poteſtas eſt) perſuaſi mihi, quàm ne ad opiniones veſtras actum vitæ meæ flecterem.* Et conuerſa ad virtutis mentionem oratione, *Et ipſam* (inquit) *vt deos, & profeſſores eius vt antiſtites colite: & quoties mentio ſacrarum literarum interuenerit, fauete linguis.* Sed in editione quam Romæ nouiſſimè dedit, ſcriptum eſt, *mentio ſacra literarum.* Quid? an locum mendo carere, & Senecam hoc vel illo ſcripſiſſe modo arbitraris? Ego ſuſpectum mendi habeo: ſed non item, quid in *literarum* locum reponam, habere me dico. Nam vocem *myſteriorum* afferre non audeo, quòd ſcriptura eius non ſatis propè ad illius ſcripturam accedat. alioqui enim *ſacrorum myſteriorum* libenter & audacter ſcriberem.

Sed ad angelum huius ipſius ſcriptoris feſtino. Is eſt epiſtola xx: *Neſcio (inquis) quomodo iſte paupertatem laturus ſit, ſi in illam inciderit. Nec ego, Epicuri angelus, ſcio, an pauper iſte contempturus ſit diuitias, ſi in illas inciderit.* Quid hoc eſt? itáne Senecam vocare ſe angelum Epicuri? Primùm, cur hoc, planè Græco, & Latinis (nã de ſcriptoribus eccleſiaſticis loquendum hîc non eſt) inuſitato vocabulo vteretur? Deinde, cur ſe Epicuri nuntium (ſcis enim idem vtrumque valere) vocaret? Poſtremò, cur, vocabulo Græco vti volens, hoc aliis præferret? Et tamen, ſicut priores editiones Baſilienſes, ita & Romana habent hanc lectionem. At Heruagiana illa, quæ Cœlij ſecundi Curionis vigilantiſſimam curam grandibus literis lectori pollicetur, vocem *æmulus* non *angelus* exhibet. Neque hoc in Indice illi editioni adiuncto omiſſum fuit, *Seneca æmulus Epicuri.* Sed quod ibidem proximè præcedit, peius eſt, *Seneca Epicureus.* Qui vel vnus locus oſtẽdit quàm magnam multis ſcriptoribus iniuriam multi faciãt, dum quos vocamus Indices colligunt. Riſimus antea de Iulio Roſcio Hortino, qui in Indicem Romanæ editionis *Pythocleam viam* & *Nauſiphanos* intruſit: at ecce quod pleriſque minus quidem riſus, ſed plus bilis moueat,

uеat, *Seneca Epicureus.*

Verùm, vt ab Epicureo Seneca (quãtum quidem mendaciſſimo Indici dignum eſt credere) ad Senecam Epicuri angelum aut æmulum reuertar,ego harum ſcripturarum neutram ſequor,ſed ex coniectura vocabulum *æmulus* in *amiculus* muto. Quam vocis *amiculus* coniecturalem inuentionem rogo te per amicitiam noſtram vt ſi non probes, ſaltem probare te ſimules. Si enim improbari à te videro, meis cõiecturis amicus eſſe deſinam. Cur autem non probares? Primùm,multis(vt ſcis)de cauſis potuit Seneca Epicuri amiculum ſe, iocoſè tamen, appellare. Deinde, facilis fuit librario vocis amiculus in vocem æmulus mutatio.Poſtremò,& Latiniſſimum eſt hoc diminutiuum, & aliquid blandimenti adiunctum habens. Vide quàm ſim meæ coniecturæ,præter morem meum, amans. Sed iocor: quod præter morem meum non eſt.

Miror certè,in illa editione Romana,nihil neque de angelo Senecę,neque de ſacris eius literis, ſiue de ſacra mentione literarum,eſſe dictum in Annotationibus: quum alioqui in eadem locus illis amœbæis epiſtolis Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam (ita enim in illis Paulus ſine vlla adiectione vocatur)locus ſit denegatus: vt certè

debuerat & in iis quæ illam præceſſerunt denegari: quamuis Hieronymi (quod plus quàm mirum eſt) teſtimonium autoritatem illis dediſſet. Sed hîc Eraſmo (quod & ipſum valde mirum eſt) potius quàm Hieronymo Roma aſſenſa eſt. Nam quum in editionibus quæ Romanã præceſſerunt, illis epiſtolis præfixum ſit Hieronymi de Seneca teſtimonium, cuius principium eſt, *Lucius Annæus Seneca, Cordubenſis, Photini Stoici diſcipulus, patruus Lucani poetæ, continentiſſimæ vitæ fuit. Quem non ponerem in catalogo ſanctorum, niſi me illæ epiſtolæ prouocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.* Sed eædem editiones admonitionem Eraſmi pro antipharmaco ſubiungunt, in qua dicit, non videre ſe quid his epiſtolis fingi poſſit frigidius aut ineptius. Et tamen earum autorem, quicunque is fuerit, hoc egiſſe vt nobis perſuaderet Senecam fuiſſe Chriſtianũ: & Hieronymum, non ignarum fuci, abuſum eſſe ſimplicium credulitate, vt Senecæ libros lectu cum primis dignos, commendaret Chriſtianis. Qui tamen (inquit) maiore cum fructu legentur, ſi legãtur vt hominis pagani. Hæc ille. Ego autem, vt Chriſtianiſmo magna facta eſt ab illis iniuria qui Senecam in numero Chriſtianorum poſuerunt, & plus quàm iniuria

ab eo

ab eo qui modo non in catalogo ſanctorum ponendum cenſuit:(nam magnum illũ doctorem eccleſiaſticũ, quem Hieronymũ vocamus, hæc ſcripſiſſe, vix perſuadere mihi poſſum)ita Senecæ ipſi facta fuit in quadam ſubiuncta editioni Romanę epiſtola:in qua cum alia de illo dicuntur, tũ hoc, animi immortalitatem in certamen ab eo vocari. Quomodo enim de immortalitate animi dubitet qui contrà paſſim de eo talia dicit, qualia exprimi hoc verſu poſſunt?

Igneus eſt illi vigor & cœleſtis origo.

qui verſus, ſi pro *illi* ſcribas *illis* aut *ollis*, Virgilianus eſt. Poſtquam autem hoc cum ſenſiſſe, aliáque nonnulla, nõ multo tolerabiliora, epiſtolæ illius autor mẽtitus eſt, de eo ſcribit, *Si ſacro ei lauacro ablui datum eſſet, paucis mutatis, Chriſtianum philoſophum haberemus.* Sed,(ne valde mireris,)epiſtolæ autor eſt is ipſe qui Pythocleam viam & Nauſiphanos apud hunc ſcriptorem commentus eſt.

Cæterùm illæ ſacræ literæ & ille angelus apud Senecã, (quæ alioqui ſuppoſititia eſſe puto, preſertímq; hoc poſterius)in mentem mihi reuocant quod apud Arrianum philoſophum legitur, Κύριε ἐλέησον. Sed de hoc aliâs: nunc aliud quàm Vale non addam.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

IDEM facio, mi Dalechampi, quod illi, qui, quum certum iter conficiendum ſuſceperint, multum viæ, ſed non pertinentis ad illud iter, prius conficiunt, alia ex aliis diuerticula quærentes. Ita enim & ego quum de certis quibuſdam Senecę locis ad te ſcribere ſtatuerim, & iam velut iter huius ſcriptionis ingreſſus ſim, ad alios ſubinde digredior: dũ epiſtola, in qua mens mea ad ſermonem de aliquo qui eorũ in numero non eſt digreſſa, ſociam, id eſt proximè ſequentem, ad ſimilem digreſſionem velut vocat.

Abſque ea certè eſſet mentione Arriani quæ facta fuit in clauſula præcedentis, nunc à me de aliquo illorum quos dixi locorum ageretur: quũ de aliis agere in mentem mihi venerit, in quibus quæ Seneca de ſuo ſapiente pluribus verbis Latinis dicit, Arrianus vno Græco dicere cõſueuit. Nam ſapiens *qui* apud Senecam *nihil prohibetur*, Arriano (ſicut & aliis Stoicis) eſt ἀκώλυτος: vel,

vel, ἀνεμπόδιστος, aut ἀπαρεμπόδιστος. (quæ tamen magis propriè ſonant, *qui nihil impeditur*) at *qui nihil cogitur*, eſt ἀναναγκαστος: (pro quo malè apud eum ſcriptum eſt ἀνάγκαστος) *cui nihil damni affertur*, eſt ἀζήμιος, vel ἀβλαβής.

Multæ etiam apud vtrumq; exhortationes & dehortationes ſimiles. Nam vt Seneca vult nos imitari deos qua poſſumus, ita & Arrianus: qui hoc vocat θεῶν εἶναι ζηλωτὴν. Imo θεοῦ potius quàm θεῶν dicit. Atque vt in illa præcipuè dehortatione frequens eſt Seneca, ne populo nos demus, ita & Arrianus, vbi agit περὶ τῆς συμπεριφορᾶς. Sed apud eum σύμπεριφορὰν, & in συμφορὰν & in περιφορὰν deprauatam habemus in editione Veneta. *A natura diſcedimus* (inquit Seneca) *populo nos damus, nullius rei bono autori, & in hac re, ſicut in omnibus, inconſtantiſſimo.* Et alibi queritur, populum impellere, neminem retinere. Arrianus autem hoc vocat ὑπὸ τῶν ἰδιωτῶν περιάγεσθαι: & comparatione vtitur ſimili ei quam in vernaculo ſermone habemus, ἀμήχανον, τὸν συνανατριβόμενον τῷ ἠσβολημένῳ, μὴ καὶ αὐτὸν ἀπολαῦσαι τῆς ἀσβόλης. Nonnulla ex hoc ipſo philoſopho & in mea Proodopœïa attuli: tibi autem & hæc & illa talem guſtum (vt Senecæ more loquar) præbere Stoicæ huius

viri philoſophiæ cupio, vt eius legẽdi deſiderio capiaris. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

MIROR, mi Dalechampi, tã multos in illa etiam Romana editione Senecæ locos eſſe, ita deprauatos, vt (niſi fallor) contrarium ſonent verba ei quod Senecam ſentire videmus, & conſentaneum eſt vel præcedentibus, vel ſequentibus, vel vtriſque. Et non ſolùm deprauatos manſiſſe illos, ſed ne annotatos quidem fuiſſe, tanquam minimè ſuſpectos, hoc verò eſt quod magis mirandum mihi videtur. Nonnullos huius generis meæ tibi epiſtolæ proponent, de quibus tuam audire ſententiam cupio.

Incipiam autẽ ab vno de quo editionem illam conſului, ſimulatque in manus meas venit. Is eſt libri De benef. VI, capite XLI, in ipſo ferè principio. Poſtquam enim nos hortatus eſt vt beneficia ſecurè debere, & occaſiones reddendorum obſeruare diſcamus,

mus, adiicit, *Hanc ipſam cupiditatem primo quoque tempore liberandi ſe, meminerimus ingrati eſſe.* Atque iſtam dicti huius rationem affert, *Nemo enim libenter reddit quod inuitus debet: & quod apud ſe non vult eſſe, onus iudicat eſſe, non munus.* At ego rationi, nedum proximè præcedenti ſententiæ conſentaneum eſſe nego, aliquem non libenter id reddere quod inuitus debeat: & quod, quũ apud ſe nolit eſſe, onus eſſe potius iudicet quàm munus. Quomodo enim nos tali onere liberamus? nonne gratiam referendo? quod & Reddere beneficium ab illo dicitur. Hæc quum ita ſint, ſcribendum eſſe cõtendo, *Nemo enim libenter reddit niſi quod inuitus debet.* Vellem aliquod exemplar inueniri quod huic meæ emẽdationi ſubſcriberet. Tu ſaltem (vt ſpero) id facturus es. Quòd ſi tamen ne tu quidem mihi ſubſcriberes, at rationem mihi ſubſcribere boni conſulerem.

Ex abundanti quidem certè locum hunc tibi ingeram, quo clauditur liber quartus De beneficiis, *Qui feſtinat itaque reddere, non habet animum grati hominis, ſed debitoris. Et vt breuiter dicam, qui nimis citò cupit ſoluere, inuitus debet: qui inuitus debet, ingratus eſt.*

Sed viciſſim mihi impingetur à quopiam

alius Senecæ locus, in quo ſcribit, eum reddere beneficium qui libenter debet: &, Captus es, mihi dicet ille, quiſquis erit. Sed non dubito quin tu, mi Dalechampi, ſimulatque non ſolùm illa Senecæ verba, ſed & quæ præcedũt, legeris, facilè me euaſurum dicturus ſis. Multa certè primo aſpectu pugnantia iis quæ alibi dicta ſunt eſſe videntur, quæ ob alium reſpectũ aliàm quàm quę prima fronte ſe offert expoſitionem accipientia, nihil repugnantiæ habere comperiuntur. Quod his vſuuenit locis. nã quum illic dicatur, *Nemo enim libenter reddit niſi quod inuitus debet*, & hoc perinde ſit acſi diceretur, *Nemo enim libenter reddit niſi quod non libenter debet*: non mirum fuerit ſiquis primo intuitu, loco illi repugnare iſtum arbitretur, *Reddit enim beneficium qui libenter debet.* Sed ſi, quò vtrobique reſpiciat Seneca conſideremus, nullum inter hæc eſſe diſſidium cognoſcemus. In rem præſentem igitur veniamus, id eſt, ad caput primum libri primi. Nam ibi, non procul à principio, legimus, *Reddit enim beneficium qui libenter debet.* Sed non de eadem redditione beneficij hîc agitur, de qua in proximè præcedenti loco: verùm de ea quæ fit animo & voluntate, quũ alioqui facultas re ipſa reddendi deſit. Dixerat enim, *Nec facilè dixe-*

rim,

rim, vtrum turpius ſit, inficiari an repetere beneficium. Id enim genus huius crediti eſt, ex quo tantum recipiendum ſit quantum vltro defertur. Decoquere verò, fœdiſſimum ob hoc ipſum, quia non opus eſt, ad liberandum fidem, facultatibus, (niſi potius *facultate* ſcribendum eſt) *ſed animo*. Quibus ſubiungit illa, *Reddit enim beneficium qui libenter debet.* Quod hūc ſenſum habet, Hoc ipſum, quòd libenter debes beneficium, perinde eſt acſi redderes. Vel, Redditionis loco eſt, libenter debere. Quid autem eſt Libenter debere? Obæratum ſe non iudicare, Id quod datum eſt, pro munere non pro onere habere. Hoc autem, quid aliud eſt quàm voluntate ſaltem & animo gratum eſſe? Adeo vt illa, *Reddit enim beneficiū qui libenter debet*, conueniant cum his Ciceronis, *Qui gratiam habet, eo ipſo quod habet, refert*. Et potuit Seneca, eadem hac ſermonis forma vtens dicere, Qui enim libenter debet beneficium, eo ipſo quòd libenter debet, reddit. Vtitur autem hoc loquendi genere, Libenter debere, & in illo penultimo libri ſexti capite, *Quid ergo?* (nam ita malo diſtinguere) *ſi nulla interuenerit occaſio, ſemper debebo? Debebis: ſed palam debebis, ſed libenter debebis, ſed cum magna voluptate apud te depoſitum intueberis.* Cæterùm cum his, *Reddit enim beneficium*

qui libenter debet, ita vt dixi intellectis(vt & neceſſe eſt intelligi) conueniunt iſta eiuſdem ſcriptoris,& quidem in eodem opere, *Gratus eſt,etiam qui vult tantùm, nec habet huius voluntatis ſuæ vllum alium quàm ſe teſtem.* Item, libri quinti capite quarto, rem candem elegātiſſimè exprimit, *Ergo nemo vinci poteſt beneficijs: ſi ſcit debere, ſi vult referre: ſi, quod rebus non poteſt, animo æquat. Hic quamdiu in hoc permanet,quādiu tenet voluntatem,gratum animum ſignis approbat.* Et capite quod proximè ſequitur, *Pares animo, quem ſolùm illi exigunt, quem nos ſolum promittimus: impares fortuna.* Huc deniq; pertinent & iſta, *Omnia fecit vt beneficium redderet.* & paucis interiectis, *Gratiam retulit, etiamſi tu beneficium nō recepiſti.* Nec minus iſta, quæ dicuntur à benigno,vel potius benigniſſimo creditore (intellige autem, creditore beneficij) *Omnia à te habeo: iniuriam mihi facis,ſi me quidquā amplius deſiderare iudicas. Pleniſſimè ad me peruenit animus tuus.*

Hæc quum ita ſint, non erit cur illi meæ emendationi opponatur hic locus:&,ſi quis opponere eum velit, eam te aduerſus illum defenſurum confido. Vale.

HENRI-

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

MEMORIÆ meæ imperare non poſſum: illa mihi imperet neceſſe eſt. Et verò libenter interdum quò me ducit ſequor. nunc quidem certè non libenter ſolùm ſed libentiſſimè id facio. Nam quum in eo de quo in proximè præcedente epiſtolà diſſerui loco, & quem emendare conatus ſum, legamus, *Nemo enim libēter reddit quod inuitus debet*, ego autem ſcribendum eſſe contendam, *Nemo enim libēter reddit niſi quod inuitus debet:* memoria mea mihi alium ſuggerit in quo circa hanc ipſam vocem *inuitus* peccatum eſſe arbitror. Prior eſt in extremo cap. XXI, libri De ira ſecundi, *Hoc humanæ naturæ vitium ſuſpectum notúmque nobis ſit, quòd quæ inuiti audimus, libēter credimus, & antequam indicemus, iraſcimur.* Nam hîc quoque contrarium ſentire Senecam exiſtimo ei quod ſcripſit librarius, *quòd quæ non inuiti audimus, libenter credimus.* Præcedit enim, *Ne*

ſint aures criminãtibus faciles: quomodo autem faciles eſſe aures dicentur iis quæ inuitæ audiunt? Adde quòd ipſa etiam experientia illi quam affero lectioni aſſentiri videtur: necnon quod ab Ouidio ſcriptum eſt,

Sed nos in vitium credula turba ſumus.

hoc enim ſcribit, de Claudia loquens, quam rumor iniquus læſerat, quum faciles criminantibus fuiſſent aures. Nam addit,

& falſi criminis acta rea eſt.

In eiuſdem capitis principio mirum ni Seneca ſcripſerit *vociferantem audiret patrem*, potius quàm *videret*: etiamſi ſequatur, *Nunquam hoc apud Platonem vidi.* Alioqui reſpondendum fuerit, (vt opinor) dicentem, *vociferantem videret*, ad geſtus qui vociferationis comites erant reſpexiſſe. Vale.

HENRI-

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

NON POSSVM mihi temperare quin ad illam Romanam editionem Senecę curram, ſimulatque in aliquem locum mihi ſuſpectum incido: quamuis me ſpe mea fruſtratũ reuerti toties videam. At nõ idem (vt opinor) mihi vſuueniret ſi tua vetera exemplaria cõſulendi facultas itidem eſſet. Subinde profectò id à me modò de quibuſdam ad ſenſum, modò de nonnullis ad ſermonẽ pertinentibus, fieret: ſæpius quidem certè de illis quàm de his. Sed tamen & illorum è numero quędam nunc in mentem mihi veniunt: ex quibus ſunt iſta, De clementia libri primi capite ſeptimo, *Timent præterea contemptum: & non retuliſſe lædentibus gratiam, infirmitas videtur, non clementia.* Vix enim perſuadere mihi poſſum Senecam ita loquutum eſſe, *non retuliſſe lædentibus gratiam.* Nam quamuis non ignorem vſum in nonnullis loquendi generibus ſibi permiſiſſe, quod in malam partem dici ſoleret, in

bonam etiam dicere (vt & in verbo ἀμυνεσθαι à Græcis factum videmus) tamen non libenter vice etiam verſa libertatē hanc ſibi conceſſiſſe puto, in loquendi generibus inquam (nā de vocabulis ſingulis non loquor) quod ſi tamen ita eſſet, vix tamē in animum inducere poſſem, Senecam auſum eſſe vocare *gratiam* quod alius *malam gratiam* diceret. Sed quidni eum ita ſcripſiſſe contendam? Dum enim meam tibi de hoc loco ſententiam expono, commodùm reminiſci contigit loci in quo & ipſe Malam gratiam reddere dicit. Is eſt epiſt. LXXXI, *Hoc certè inquam iuſtitiæ conuenit, ſuum cuiq; reddere, beneficio gratiam, iniuriæ talionem, aut certè malam gratiam.*

Quid? an potius credam à Seneca ſcriptum eſſe, *triſtitia adducit*, ſine adiectione, quum *vultum adducit* ſignificare vellet? epiſtola CVI, *Non gaudium extollit? non triſtitia adducit?* Sic certè non ſolùm *vultum adducere*, ſed & *frontem adducere*, alibi dicentem eum audimus. Sed libri primi De beneficiis capite primo, cod. quidā *frontem adduxit* in *frontem obduxit* mutarunt. Quidni verò credam, vt hîc deeſſe verbū vnum, ita duo epiſtolæ LVII ſupereſſe in hoc ipſo loquendi genere? Nam ibi non procul à principio legimus, *Itaque & vultum addu-*

cet ad triſtitiã,& inhorreſcet ad ſubita. At ego *adducet vultum* Senecam ſcripſiſſe dico: hęc autem *ad triſtitiam*, eſſe additamentum expoſitorium (aut ἐξηγητικὸν, ſi Latino illo vti non licet) quod ex margine irrepſerit.

Sed quid Senecam non ſibi permiſiſſe crediderunt qui (vt alia taceam quæ in mea Proodopœïa recenſui) etiam *coctor* pro *coactor* apud illum ſubſtituendum putauerunt, tanquam coctoris appellatione, pro decoctoris, vſum? Quid dico? imò etiam intruſum fuit in Frob. editionem, lib. IIII De beneficiis, cap. XXVI. Ad *peſſimiſſimum* autem quod attinet, à Pinciano ex coniectura factum, id eſt, quod coniectura ductus reponendum putauit apud Senecam pro *ſpiſſiſſimum*, vt eſſet ſuperlatiuum ex ſuperlatiuo factum, veluti ſi quis ex optimus faceret *optimiſſimus* (vt Græci quædam quæ in ιςος finiuntur, per ιςατος efferunt) eo non tantum iniuriæ Senecæ factum iri puto quantum Ciceroni à Petro Bembo factum fuit, & à quibuſdam aliis, quum *multiſſimus* illi adſcripſerunt, vt in meo Dialogo, qui Pſeudocicero vocatur, docui. Fortaſſe igitur potius *oculiferum*, dignũ cuius hîc fiat mentio, debeo iudicare: quod ex neſcio quo vet. exempl. ſumptum, miror illi qui Romanam editionem nobis dedit, nõ diſplicuiſſe.

Naufragabundum quidem certè non itidem admitti poſſe dixiſſet, vt opinor: nec *decapſulatos*, initio epiſtolæ cxv, ex veteri exemplari tamen, vt ſcis, depromptum. Ex quo *decapulatos* fieri poſſe viſum eſt, quaſi ab omni ſorde purgatos: vt tranſlatio petita eſſet ab ijs qui vinum vel oleum à fæce vel amurca ſeparatum, in alia vaſa effundunt. Sed ipſe pro *de capſula tortos*, vt legitur in ſuperioribus editionibus, ſcribere maluit *de capſula totos*. quam lectionem ex vno ſaltem veteri libro iam annotaueras: quum alioqui *de capſula vnctos* (ni fallor) tibi magis probatum iri diceres. Quod item in ſua illa editione paulo poſt *cultus* in *vultus* mutauit, vbi antea legebatur, *oratio cultus animi eſt*, non primus animaduertit.

Verùm, ad illas nouas & inauditas voces vt redeam, atque alias illis ſimiles: vel ipſa earum inſolentia facit vt lector ſuſpectas illas habeat, & velut cautionem in huiuſmodi locorum lectione adhibeat: contrà verò vocabula vulgaria quæ aliorum, vulgariũ itidem, ſedem occuparunt, periculoſa ſunt: quoniam nouus eorum & inſolẽs vſus à multis non animaduertitur: qui hoc modo in errorem induci poſſunt: à paucis autem quibuſdam animaduerſus, nouę cuidam Se-

necæ

Senecæ Latinitati aut ſermoni minus proprio adſcribitur. Ac contingit hoc plerunque vbi duę voces ſignificatione alioqui diuerſæ, eandem ferè pronuntiationem habent: vt quidem hodie Latinam linguam pronuntiamus. Sic epiſt. LXIII, *Non differo in longius tempus, quo deſideriũ omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus recidũt.* Nam hîc *recidunt*, pro *reſidunt*, ex eorum eſt numero quæ dixi. Idémque dici poteſt de loco illo qui eſt initio primi libri De beneficiis, ſi *beneficium iniecit*, in *beneficium ingeſſit*, non mutetur, vt mutari debere docui. Atque his aptè adiecturus mihi videor *obnoxium*, ex epiſtola CXX, *Vidimus, vbi tribuendum eſſet, plena manu dantem: vbi laborandum, pertinacem & obnoxium, & laſſitudinem corporis animo ſubleuantem.* Nam niſi *obnixum* (tuam emendationem ſequendo,) pro *obnoxium* (licet paulo maius inter hæc vocabula quàm inter præcedentia ſit ſoni diſcrimẽ) reponamus, Latinitati, vt opinor, iniuriam fecerimus: vel potius, iniuriam à Seneca Latinitati eſſe factam, meritò dixerimus. Huic certè tuæ coniecturæ neminem refragaturum puto, qui huius vocis *obnixus* proprietatem perſpectam habuerit. Cur enim, ſicut de onere loquentes, Obniti dicimus, ita & de labore non loquemur?

Neque tamen negauerim, ex iis quæ ſunt Latinitatis ſuſpectæ, ſed falsò ſuſpectæ, (quorum multa in meo de Latinitate falsò ſuſpecta libello exempla me afferre memini, quædam & apud hunc noſtrum Senecam inueniri: quæ licet apud Ciceronem aut alios eiuſdem ſeculi ſcriptores non inueniantur, Latina ſunt tamen. Ex horum autem numero eſſe nonnulla quæ Senecæ cum Quintiliano ſint communia oſtendi in mea Proodopœïa. Sed iis cum alia poſſunt addi, tum verò vocabulum *accidentia*, quod non longo ſequitur interuallo eum locum quem modò attuli. Addit enim, de eodem loquens, *Nunquam accidentia triſtis excepit.* Neque enim dubito quin hoc vocabulo *accidentia* tanquam nomine vſus fuerit, ſicut vtimur noſtro *accidens*: quum dicimus, *Il eſt ſubiect à pluſieurs accidens.* Ita enim & Quintilianum hac voce aliquoties vtentem audimus, & quidem etiam *accidentium meorum* dicentem. Nec verò dubito quin tu, qui te Declamationum eius lectione delectari dicebas, hunc iſtius vocabuli vſum ſæpe obſeruaueris. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

EPISTOLÆ proximè præcedentis argumentum perſequens, dico iterum, Senecæ Latinitatem immeritò quibuſdam in locis eſſe ſuſpectam: & aliud nihil quàm nouitatem ſuſpectam illam reddere. Sed conſiderare debent lectores, quæ ſibi ſint noua, aliis fortaſſe non futura. Sic non pauca leguntur apud Senecam quæ ei qui in Suetonij, aut Plinij iunioris, aut Quintiliani tam inſtitutionum oratoriarum (aut inſtitutionis oratoriæ) quàm declamationum libris verſatus fuerit, minimè noua erunt, alioqui futura. ex quibus eſt illud loquendi genus, *Renuntiare aliquid ſibi*: & alia de quibus in mea Proodopœïa dixi.

Sunt verò & quæ mira nobis videri atque in ſuſpicionem venire poſſunt, quum tamen meliori etiam quàm illorum quos dixi ſeculo iam in vſu fuerint. Ac certè huiuſmodi eſt illud *horrea*, quod legimus in fine epiſtolæ CXIIII, *& plena multorum ſeculorum vin-*

demijs horrea. Quotuſquiſque eſt enim qui voci *horrea* ſedem hîc dari non ſit miraturus, & quídnam commune illi cum vindemiis eſſe queat ſit interrogaturus? Præcedit autem vocabulum quod nō minus nouum videri poteſt, *veteraria*, vel *veterana*, vel *ventaria.* Tot enim ſunt diuerſæ lectiones. Ex coniectura autem additur illis & quarta *vinaria*. Poſtquam enim dixit, *Vnum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus?* addit, *Aſpice veteraria noſtra, & plena multorum ſeculorum vindemijs horrea.* Sed quamuis *veteraria* aut *veterana* valde nouū pleriſque ſit, multo tamen maiorem nouitatem habere exiſtimatur vox *horrea*: & ita quidem vt Seneca locum hîc illi dare non potuiſſe exiſtimetur, niſi impropriè aut etiam non Latinè loquendo. Ideóque ſunt qui putent vocem *horrea* in priore inciſo huius periodi eſſe collocandam, illam autem *veteraria*, aut certè *cellaria* (eius vice) in poſteriore: hoc modo, *Aſpice horrea noſtra, & plena multorum ſeculorum vindemijs veteraria.* vel *cellaria.* Atqui Horatij locum habemus qui illud *horrea* de vindemijs dictū, minimè cuiquam ſuſpectū eſſe debere clamat: Ode XXVIII, libri III,

Inclinare meridiem
Sentis: ac veluti ſtet volucri dies,

Parcis

Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.

Neque verò tantùm eam de illa voce ſuſpicionem nobis amouet hic locus Horatij, ſed etiam morem illum nobis indicat, cuius & à Seneca fieri mẽtionem videmus: quum ſubiungit, *Vnum putas videri ventrem, cui tot conſulum regionúmque vina conduntur?* Sed huius conſuetudinis alibi quoque ab eodem poeta fit mentio, ſicut & à Martiale. Quinetiam Cicero circa Bruti ſui finẽ eius meminit.

Quemadmodum autem nobis Horatius in vna parte loci illius Senecæ quem prius attuli auxiliatur, ita eius enarrator in altera. Nam vt illum de vocabulo *horrea* ſcrupulum nobis eximit Horatius, ita Porphyrio eius ἐξηγητὴς longè doctiſſimus, de voce *veterana*, quæ ex tribus diuerſis lectionibus vna eſt, dubitare nos nõ ſinit. Nam in huius ipſius libri tertij Oden XXI, talis veterani fieri mentionem ab eo videmus. Quum enim ſcribatur ab Horatio in illius principio,

O nata mecum, conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſiue geris iocos,
Seu rixam & inſanos amores,
Seu facilem, pia teſta, ſomnum: &c.

enarrator ille, *Iculariter* (inquit) *amphoram*

quam habebat in veterano alloquitur. Et vt oſtenderet quàm vetuſtum vinum habeat, ſecum natam dixit. Quem locum Muretus ſi legiſſet, potius hanc ſcripturam *veterana* quàm alteram *veteraria* in ſua editione Senecæ poſuiſſet, vt opinor.

Sunt porro & nonnulla vocabula apud Senecam quæ præ antiquitate nobis eſſe noua poſſunt: id eſt, quoniam ob antiquitatem propemodum ſunt exoleta, ideóque alibi à nobis minimè lecta. Ac certè tale eſt in epiſtola quæ proximè ſequitur (ne longè abeam) verbum *obſtrigillant*: cuius inſolentia fecit vt antea mutatum fuerit in *obſigillant*.

Quædam verò vocabula aut loquēdi genera ideo multis ſuſpecta eſſe animaduerti, quòd & libertatē quam ſibi ſumit Seneca & præcedentia ſequētiáque diligenter non perpendant. Cuius rei aptiſſimum habemus exemplum in tertio capite commentarioli De breuitate vitæ. Nam quum ibi legamus, *in vitam ſuam incedere alios ſinunt*, margini editionis Heruagij adſcribere non dubitauit neſcio quis (fortaſſe autem Secundus Curio, cuius vigilantiſſima cura opera Senecæ eſſe caſtigata, & in nouam prorſus faciem, nimirum propriam & ſuam, mutata, grandibus mentitur literis titulus) verba hæc,

hæc, *in vitam ſuam incedere*, nullum ſenſum habere. Tibi quidem, quicunque es qui hoc ſcribere auſus es, nullum ſenſum habent: at mihi longè optimum & loco etiam conuenientiſſimum: & ita quidem vt interim nihil à Latinitate alienum habeant. Sed conſideranda tibi erant quæ præcedunt, animaduertenda erat antitheſis, in cuius poſteriori parte metaphora vti voluit ſumpta ab ea ipſa re cuius in priori parte mentionem fecerat. Dixerat enim, *Prædia ſua occupari à nullo patiuntur: &, ſi exigua contentio eſt de modo finium, ad lapides & arma diſcurrunt: in vitam ſuam incedere alios ſinunt, imo verò ipſi etiam poſſeſſores eius futuros inducunt.* Nam talem hîc eſſe qualem dixi antitheſin conſtat: ſed malè in omnibus editionibus poſt *diſcurrunt* habetur ſtigme teleia: deinde litera maiuſcula in principio ſequētis voculæ ponitur, quaſi hæc quæ ſequuntur, accipiēda ſint ὡς ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς. quum contrà perinde ſit acſi ita loqueretur Seneca, Tantum abeſt vt prædia ſua occupari ab vllo patiantur: vt, ſi vel exigua contentio oriatur de ſpatio finium, ad lapides & arma diſcurrant: contrà verò in vitæ ſuæ poſſeſſionem alios incedere permittunt: vel potius, (quod multo turpius eſt) ipſimet poſſeſſores eius futuros inducunt. Permitto

autem eum in poſſeſſionem vitæ meæ incedere, quem permitto illud vitæ meæ tempus quo mihi ipſi vacare debeo, ſibi auferre, id eſt, in ſua negotia occupare. Nam ipſemet poſtea verbo Auferre hac de re vtitur, quum eum cui centeſimus vel ſuprà premitur annus, ad computationem ętatem ſuam reuocare iubet: & dicere, quantum ex iſto tempore creditor, quantū amica, quantum reus (nam *reus* ſcribendum eſt, nō *rex*, nec *reſpublica*) quantum cliens abſtulerit, quantum lis vxoria, quantum ſeruorū coercitio, quantum officioſa per vrbem diſcurſitatio. Et eundem dicam me mihi abducere, vtendo eo genere loquendi quo in alia eiuſdem libri parte vtitur: vbi ſcribit, *Omnes illi qui te ſibi aduocant, tibi abducunt.* Vbi libentius *te tibi abducunt* ſcriberem. Et quæ ibi proximè ſequuntur, *reus* (vt dixi) eſſe in præcedenti loco legendum, apertè oſtendunt. ſcribit enim, *Ille reus quot dies abſtulit? quot ille candidatus? quot illa anus, efferendis hæredibus laſſa?*

Sicut autem negauit ille vllum ſenſum habere verba illa, *In vitam ſuam incedere alios ſinunt*, quæ tamē ita cum præcedētibus & ſequentibus collata, videmus non ſolùm ſenſum huic loco aptum, ſed elegantiam etiam habere: ita non dubium eſt quin alius

quiſ-

quiſpiam eodem modo de verbo *diripitur* queſtus ſit,vbi ſcribit, *Diripitur ille toto foro patronus:* alius autem, de illo vſu verbi *vacare*, quem habet quum dicit, *Qui ſibiipſi nunquam vacat.* Quod ego aptiſſimè ex Xenophonte Græcè dici poſſe exiſtimo, ὃς οὐδέποτε ἀμφ' ἑαυτὸν ἔχει. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

SENECÆ lectores pleriſque locis quoddã vocabulũ ſuſpenſos tenere poteſt, cuius inter illa de quibus ad te ſcripſi faciẽda mentio fuit. Nam ita ſuſpenſos ab eo reddi multos poſſe ſcio, vt ſimul ſuſpectum habeant. Ad me quidem certè quod attinet, me in illo diu hæſiſſe, ingenuè fatebor. Id autem eſt MANVFACERE: niſi mauis disiunctè MANV FACERE: nam & me hæſiſſe dico, & aliis multis idem accidiſſe reor, quum eum in locum inciderunt vbi *occaſiones manufacere* inuenerũt: vel in eum vbi *oratio manufacta*, aut etiam vbi *morbos*

quos manufecimus legerunt. Quum (inquam) illis horum locorum aliquis ſeorſum ab aliis occurrit, non dubito quin & hæſerint, & ſuſpectũ eum habuerint. Sed collati inter ſe dubitationem omnem tollent, & ſibi mutuò lucem afferent: ſimúlque nos ad alios locos, ſi qui eandem metaphoram habebunt, nos inſtruent. Scribit igitur initio capitis XLI libri ſexti De beneficiis, *Ante omnia ergo Liberalis hoc diſcamus, beneficia ſecurè debere, & occaſiones reddendorum obſeruare, non manu facere.* Et cap. tertio libelli De breuitate vitæ, poſtquam eum cui centeſimus vel ſuprà premeretur annus, ętatem ſuam reuocare ad computationem iuſſit, & dicere, quantum ex iſto tempore creditor, quantum amica, quantum reus, quantum cliens, quantũ lis vxoria abſtulerit, quãtum ſeruorum coërcitio, quantum officioſa per vrbem diſcurſitatio: ſubiũgit, *Adijce morbos quos manufecimus.* Deniq; & *oratio manu facta*, aut *manufacta*, legitur in principio epiſt. CXV, *Oratio, vultus animi eſt* (non *cultus*) *ſi circumtonſa eſt & fucata & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti.* Vbi *manufacta* (nam hîc in omnibus editionibus cõiunctè vocabulum iſtud ſcriptum eſt) naturali ſeu natiuæ opponitur. Nam præcedit *fucata*: videmus autem

tem & à Cicerone non fucatum & naturalem nitorem copulari. Sed & *morbos quos manufecimus* (vel *manu fecimus*) quum dicit, non dubito quin hos illis opponat qui naturaliter eueniunt: ſeu, qui naturali corporis habitudini aut conſtitutioni (vt Cicero loquitur) imputandi non ſunt. vt manu facti dicantur qui ex intemperantia eueniunt, ideóque velut artificiales ſunt. Ex his autem facile erit illud loquendi genus exponere, *occaſiones manufacere*. ¶ Vtitur porro & in propria ſignificatione hoc vocabulo, in fine epiſtolæ LXXXIX, *Nec contenti ſolo, niſi quod manufeceritis, maria agetis introrſus.* Sic epiſtola XCI, *Non tantùm manufacta labuntur, non tantùm humana arte atque induſtria poſita vertit dies.* Denique & *manufactæ ſpeluncæ* apud eundem, χειροποίητοι, ad differentiam earum quæ ſunt αὐτοφυεῖς: quales à poetis plerunque deſcribuntur.

Si vacaret, adderem & exempla cuiuſdam vſus horum verborum *manus afferre*, qui & nouus, & ſuſpectus itidem eſſe nouitiis lectoribus poſſit: ſed non dubito quin ea tu quoque in promptu habeas.

Emendationem igitur tantùm addam loci qui paulo antè fuit à me allatus. nam vbi legimus, *oſtendit, illum quoque non eſſe ſincerũ, & habere aliquid fracti*, ſcribendum

ſuſpicor, *ſed habere aliquid facti*: vt alludat ad vocabulum præcedens *manufacta*: perinde acſi diceret, habere aliquid quod natiuum non eſt, ſed artificiale. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

SENECAM quo magis lego, eo magis acutus argutúſque eſſe videtur: adeò quidem vt quum ſuo acumini ſuíſque argutiis ſeruire verba quædam & loquendi genera velit, nouum quendam vſum dare illis cogatur: quem nos quia nõ aſſequimur, ea ſuſpecta habemus. Sed & tam audaces quaſdam hyperbolas, aut tanquam hyperbolas, habet (qualis illa de Catone, quam Muretũ nobis tollere oſtendi, dum aliam lectionem infert) vt idem ex illarum audacia eueniat. Denique & audax in quorundam vocabulorum vſu metaphora facit vt quoſdam locos immeritò ſuſpectos habeamus. Hoc autem non tam ob verbum MANVFACERE dico, de quo proxima epiſtola diſſerui, quã

ob alia nonnulla. Nam quum illa memoriæ meę infixum id reliquiſſet, factum eſt neſcio quomodo vt ipſum in eam alia quædam acciret, (præter illa de quibus ad te ſcripſeram) quibus idem imminere periculum videtur.

Sed eo in numero præ aliis inſignia ſunt hæc duo verba, *proſequi* & *componere*, vel potius hæc loquendi genera, *Proſequi ſe*, & *Cõponere ſe*: quibus certè non dubium quin illud periculum (veniendi in ſuſpicionem inquam) à multis impendeat. Recordaríſne igitur (mirum verò ni recorderis) illius Senecæ epiſtolæ in qua his ſimul vtitur? Ea eſt x x x, vbi ſcribit, *Baſſus noſter videbatur mihi proſequi ſe & componere, & viuere tanquam ſuperſtes ſibi, & ſapienter ferre diſsidiũ ſui*. Et adiicit, *nam de morte multa loquitur: & id agit ſedulò, vt nobis perſuadeat, ſiquid incommodi aut metus in hoc negotio eſt, morientis vitium eſſe, non mortis*. At quis vnquam audiuit quenquam dici *ſe proſequi*? *ſe componere*? ac, ſi *proſequi ſe* exponamus, ſui curam gerere: & *Componere ſe*, res ſuas ordinare, & in bono ſtatu collocare: nouũ certè vtrique loquendi generi vſum dabimus, & tamen non conuenient hæ expoſitiones cum eo quod ſequitur, *& viuere tanquam ſuperſtes ſibi*. Quidni? (dicet quiſpiã)

nam hæc verba non aliter intelligemus, quàm ſi diceret, Tanquam ſui memoria ſuperſtite futura. id eſt, tanquam poſt obitum ſuum eſſet duratura. Atqui dicendum fuiſſet, *tanquam ſuperſtes ſibi futurus*. Et hoc nónne ἀπόψυχρον eſſet? quid enim niſi quod vulgare eſt diceretur? Quomodo igitur intelligenda hæc ſunt? nempe tanquam acutè ſimul & audacter dicta, & reſpiciendo ad illa quæ ſubiunguntur. Quum enim proſequamur & componamus eos quibus ſumus ſuperſtites, ipſe autem Baſſus ſuperſtes ſibi ſit, cur non, metaphora ab officiis quæ mortuis præſtantur, ſumpta, ſe ipſemet proſequi & ſe componere dicetur?

Hæc autem quum ita ſint, vlterius etiam pergo, & *deſiderium*, potius quàm *decidium*, aut *diſcidium* (vt in Rom. editione) ſtatim pòſt ſcribendum eſſe dico: vt hæc ſequantur verba, *& ſapienter ferre deſiderium ſui*. Nam ita ſcribẽdo in audaci metaphora, vel potius metaphorico ſermone, perſiſtet, quo tria quę de mortuo dicuntur ad viuum transferet.

Addideram iam, ſcribendum me exiſtimare, *Baſſus noſter videtur mihi*, non *videbatur*, ſicut ſequi videmus, *loquitur*, item *agit*: ſed poſtea mihi Rom. editionem comperi aſſentiri: ita vt de hac ſcriptura minimè dubitem.

bitem. Hoc ergo vnum adiiciam, vereri me ne cum *multa* aliquid deſit. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

INTER partim ſuſpecta, partim reprehenſa loquendi genera Senecæ, parum abfuit quin omiſerim quod ſicut præ quouis alio eſt inſigne, ita præ quouis alio quibuſdam ſuſpectum, à nonnullis verò reprehenſum fuit, tanquam nimis obſcurum. Illud autem eſt, ALIVD AGERE, de quo non diſſeram ἐν παρόδῳ: ſed tota hac epiſtola non aliud agam quàm conabor hoc ALIVD AGERE defendere, & aliis Senecæ verbis exponere.

Primùm igitur, in eorum numero qui illud loquendi genus tanquam obſcurius reprehenderunt, fuit ille maximus vir (vel potius ter maximus vir) Eraſmus Roterodamus. Nec tamen eum credendum eſt tam propter ſeipſum quàm propter alios de illa obſcuritate queſtum eſſe, velut dolentem

infinitornm penè hominum vicem quibus crúcem illud ALIVD AGERE fixit. Scribit enim ille, *In prima epiſtola nodus eſt qui plurimos eruditos mirè torſit, præſertim apud Italos*. Sed Italus ille cuius in aliis duabus (ſi bene memini) epiſtolis mẽtionem feci, Cœlius Secundus Curió, verba hæc, *præſertim apud Italos*, expüngenda curauit, in editione Heruagiana. Quum tamen ea fuiſſet in qua prima legeram maximum expoſitionum huius generis loquendi numerum, valde mirabar quomodo quædam eorum vel in mentem venire cuiquam alij quàm Italo potuiſſent. At poſtquam in Frobeniana editione legi, *præſertim apud Italos*, ſi non mirari deſij, minus ſaltem ſum miratus. Sed nónne libet omnes illas expoſitiones audire? id eſt, nónne libet affatim ridere? hoc certè vna eadémque opera fiat neceſſe eſt. Niſi fortè adeo eſſe Heraclitus velis, vt plorandam potius hanc ignorantiam eſſe putes. Verùm ego, etiamſi tu Heraclitũ agere velis, acturus ſum Democritum. Vnde autem potius quàm ab ipſo Senecæ loco ſumendum initium eſt, vt eius memoriam nobis renouemus?

Ita igitur Seneca, *Turpiſſima tamen eſt iactura quæ per negligentiam fit: &, ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus*

tibus: maxima, nihil agentibus: tota, aliud agentibus. Vel(vt in quodam veteri libro legi olim, quanquam illam alteram lectionem malo) *maxima vitæ pars elabitur male agentibus: magna, nihil agentibus: tota, aliud agentibus.* Nunc ad illas expoſitiones horũ verborum *aliud agentibus* veniendum eſt, ſi modò iam riſu ſatis inſtructus eſſe tibi videris.

I, *Inconſtantibus.*

II, *Aliorum negotia agentibus.*

III, *Negotiis aliorum intentis.*

IIII, *Non viuentibus ſuo more.*

V, *Pro rebus nihili laborantibus.*

VI, *Hypocritis, qui aliud agunt, aliud præ ſe ferunt.*

VII, *Vacantibus vitijs, quæ ſunt aliud à philoſophia.*

VIII, *Peccantibus malitioſè.*

IX, *Vitam alienam, non ſuam, notantibus.*

X, *Nunquam agentibus actum viuẽdi ſecundum ſapientiam.*

XI, *Tractantibus aliena à conſideratione mortis.*

XII, *Aliud agentibus quàm requirat vita rationalis.*

XIII, *Peccantibus: quia vnum peccatum eſt cauſa alterius.*

XIIII, In philoſophia nihil proficientibus.

XV, Nullo modo philoſophantibus.

XVI, Vitioſe agentibus.

XVII, Intentis ad bona externa.

XVIII, Viuentibus beſtialiter.

I nunc, & mirare eſſe in Italia iuris vtriuſque monarchas, qui in legem vnam longum intellectuum agmen vel potius longa intellectuum agmina poſſint adducere, quum vel in duo Senecæ verba tantum expoſitionum exercitũ potuerint cogere. Sed quum alij metum incutere ſoleant exercitus, hic vel Heraclito riſum excitaret. Quid autem primum, quid poſtremum, vel potius quid potiſſimum rideas? An primum tui riſus impetum poſtrema hæc expoſitio *viuentibus beſtialiter* ſuſtinebit? Imò verò non penitus ratione carere iſta expoſitio videtur: quia qui beſtialiter viuunt, beſtias imitantur, & ita aliud quàm homines agunt. Vide quàm bonus ſim huius vltimæ expoſitionis patronus. Non minus ſaltem apta huius expoſitionis ratio à me redditur quàm reddidit ſuæ is qui dixit Aliud agentibus de ijs intelligi qui vacant (id eſt operam dant ſeu dediti ſunt) vitijs. addidit enim, vitia aliud eſſe à philoſophia. Quid? an melius ille qui de hypocritis exponit, eã ob cauſam quòd aliud

agant

agant quàm præ ſe ferunt?

Verùm, vt ab his expoſitionibus, quarum nonnullę quandam inter ſe communionem habent, ad alias, id eſt, à riſu ad ſeria, veniamus (ſi ſeriam enim aliquam harum expoſitionum aut quarumdam ex ijs rationem velim perquirere, vereor ne quis eſſe dicat, velle cum ratione inſanire) citandus eſt primùm (fingamus enim nos in quodam literario ſenatu eſſe) ille cui fortaſſe præ quouis alio cenſendi ius debetur, Deſiderius Eraſmus, à quo tam multas aliorum expoſitiones habemus. Ille igitur poſtquam has omnes retulit, Quàm eſt fœcunda inſcitia! inquit. Atque hæc quæſtio magnis voluminibus agitata eſt. Quibus ſubiungit, quoſdam inuertiſſe ordinem ſermonis, hoc modo, *maxima vitæ pars elabitur male agentibus, magna nihil agentibus.*: ſed ineptam eſſe hanc lectionem: quum oratio debeat gradibus creſcere, *magna, maxima, tota.* Inueni tamen & ipſe hanc lectionem in quodam veteri exemplari: quæ ſicui magis veriſimilis videretur quàm altera (id eſt, Senecam maximam partẽ potius dixiſſe elabi malè agentibus quàm nihil agentibus) poſſet illud quod Eraſmus timet incommodum vitari, primum locum nihil agentibus, ſecundum malè agentibus tribuendo: ita vt interim his *maxima*, illis *magna*, ſicut in veteribus libris, iungeretur:

hoc modo, *magna vitæ pars elabitur nihil agentibus, maxima malè agentibus*. Sed antequam conuenire poſſet vtram ſequi lectionem oporteat, decidi quæſtionem hanc neceſſe foret, plúſne temporis in malè agendo quàm in nihil agendo cõſumatur. Ad quam decidendam diſtinctione opus eſſet: quum alij plus temporis in malè agendo; alij plus in nihil agendo impendant. Tandémque, horum an illorum maior ſit numerus quærendum eſſet: atque ita quæſtio vna ab altera penderet.

Sed ne hoc agere, ſit id ipſum quod Seneca vocat nihil agere, & ita nihil agentium ipſimet exemplum ſimus, ad illum potius reuertendum eſt, cui præ quouis alio cenſendi ius deberi dixi. Ait igitur ille, magnam vitæ partem elabi malè agentibus, id eſt, ijs qui ſic philoſophantur vt ſubinde relabantur ad vitia. Maximam autem vitæ partem elabi nihil agentibus, id eſt, ijs qui in friuolis philoſophorum argutijs conſumunt bonam ætatis partem. Nihil enim agere dici eum qui friuolis occupatur. atque hoc ſenſu Catonem dixiſſe, *Satius eſt otioſum eſſe quàm nihil agere*. At verò, Aliud agentibus totam elabi vitam quum dicit, intelligere de ijs qui non ſunt attenti: eſſe enim nonnullos quos ſic obruant humana negotia vt ne cogitent

gitent quidem de vera felicitate: atque his totam vitam perire. Hęc ille: quem puto aliquid ad verba hæc addidiſſe, Qui non ſunt attenti. Latiſſimè enim patent, & tam latè quidem quàm variæ ſunt res quibus cum attentione vacandum eſt. Quamobrē ad poeticum eius conuiuium tranſeundum eſt, in quo quendam Charinum inducit, dicentem ſe nuper legere Senecæ epiſtolas cœpiſſe, & in ipſo ſtatim portu impegiſſe. Et poſtquam locum de quo agitur protulit, In hac ſententia (inquit) affectat neſcio quid argutiæ, quod ego non ſatis aſſequor. Alius autem quidam, tanquam diuinans, hoc de primis, nimirum de malè agentibus, dicit, Nemo perpetuò peccat: & tamen luxu, libidine, ambitione, cæteríſque vitijs magna vitæ pars perit. Et ad ſecundos tranſiens, addit, Sed multo maior vitæ portio perit nihil agentibus. Porro nihil agere dici ait eos non qui viuunt in otio, ſed qui rebus friuolis & nihil ad felicitatem conducentibus occupantur. Atque inde eſſe prouerbium, Satius eſt ceſſare quàm nihil agere. Tandémque ad tertios venit, aliud agentes, quibus tota vita perit. Aliud agere dicitur (inquit) qui non eſt attētus ad id quod agit. Perit igitur tota vita: quoniam, dum vacamus vitijs, aliud agimus: dum vacamus friuolis, aliud agimus:

dum ſtudemus philoſophiæ, quoniam id facimus ſupinè & oſcitanter, aliud agimus, parum attenti, velut ad rem minimè ſeriam. Adijcit etiam, Senecam hac trimembri ſentẽtia declarare quod dixerat, *Turpiſſima tamen eſt iactura quæ per negligentiam fit.* Hæc eſt & illius poetici conuiuij ſymbola.

Vtinam autem quænam tua ſymbola ſit, recordari poſſem: fortaſſe enim eiuſmodi eſſet vt nihil amplius συμϐάλλειν oportere exiſtimarem. Sed quum nec Muretus aſymbolus eſſe voluerit, proferenda ſimúlque examinánda eius quoque eſt ſymbola. *Malè agentibus* ergo dicit magnam vitæ partem elabi, vt eam quæ aleæ, quæ libidini, quæ vẽtri atque abdomini, quę ſectandis potentioribus datur. *Nihil agentibus* verò, vt euenit ijs qui otio atque ignauia marcent. *Aliud agentibus* denique, negligenter ac languidè omnia tractantibus, & quiduis potius cogitantibus quàm id quod agunt. At ego ad primum quidem membrum quod attinet, vellem cũ ſuam de eius expoſitione diuidere ſententiam: eo quidem modo quo à Seneca dicitur, *Quum cenſuit aliquis quod ex parte mihi placeat iubeo illum diuidere ſententiam, & ſequor.* Placet enim quod dicit, magnam vitæ partem malè agentibus elabi, vt eam quæ aleæ, quæ libidini, quæ ventri atque

quę abdomini datur: non placet autē quod addit & eam quæ impenditur ſectandis potentioribus. Hoc enim eſt & multis potentioribus, & plurimis qui eos ſectantur, atque adeo veritati ipſi iniuriã facere. Cur enim dicatur, potentiores nullos alioș poſſe inuenire qui ipſos ſectari velint, quàm ex eorum numero qui male agere velint?

Quid igitur illi in mentem venerit hoc dicere, diuinabit alius fortaſſe, ego mirari tantùm poſſum. Nihil autem agentes, eſſe quidem eos quos dicit, exiſtimo: ſed alios etiam eſſę præter illos quos dicit, ſuſpicor,

At de aliud agentibus magis etiam quàm de cæteris ab eo diſſentio: etiamſi non negē Aliud agere interdum id quod ſcribit ſignificare.

VT AVTEM meam & ipſe ſymbolam conferam, primos illos, qui inter *malè agentes* numerantur, multis modis poſſe malè agere aio: etiamſi eos in eo quòd potentiores ſectentur, male agere, cum Mureto, non dicamus. Nam & alijs faciendo iniuriam (quàm multis autem ea fit modis?) & eam ſibi ipſis faciendo, malè agere dici queunt. Sibimetipſis enim iniuriam faciunt qui à natura deſciſcentes, & modo non contrà eam, id eſt cõtra leges eius, viuentes (de quo toties queritur Seneca) ad luxuriam ſe con-

uertunt, quæ quotidie ſeipſam incitat, & tot ſeculis creſcit, & ingenio adiuuat vitia: quæ primò ſuperuacua cœpit concupiſcere, deinde contraria: nouiſſimè autem corpori animum addixit, & illius deſeruire libidini iuſſit. Sub his porro comprehenduntur illi in quos aliquoties Seneca inuehitur, ventri, ſomno, libidini dediti: qui (vt Græci loquuntur) nihil aliud quã τῇ γαστρὶ καὶ τοῖς ὑπὸ τὴν γαστέρα χαρίζονται. quorum trium velut appendix eſt alea. Atque hos non ſolùm malè viuere, ſed etiam non ſibi viuere, ſed tribus illis, ventri, ſomno, libidini, dicere eodem autore poſſumus, epiſtola LV. Alibi verò de ijs loquens qui datum humanæ vitæ temporis ſpatium non apprehendunt nec retinent, nec velociſſimæ omnium rei moram faciũt, ſed abire (pro quo in hac prima epiſtola elabi dicit) vt rem ſuperuacuam acreparabilem permittunt, *In primis autem* (inquit) *& illos numero, qui nulli rei niſi vino ac libidini vacant. nulli enim turpius occupati ſunt.*

Quinam verò hi ſecundi ſunt, quos *nihil agere* dicit? An ii tantùm qui re vera nihil agunt? qui ſemper otioſi ſunt, & modo non otio deſidiáque marcent? qui vel ludunt, vel rebus ludicris ac puerilibus tempus impendunt? an & qui aliquid agunt, quod licet puerile non ſit, tale eſt, tam friuolum támque

que inutile, vt ipſum etiam vulgus perinde eſſe iudicet acſi nihil agerent? aut certè vt ματαιοτεχνεῖν eos cenſeat? Quamuis autem res ludicras & pueriles coniungam, à Cicerone tamen in pueris ſtudium laudari aut ſaltem non improbari videmus, pompas, ludos atque eiuſmodi ſpectacula videndi: & hoc ab eo referri ad innatum omnibus cognitionis amorem & ſcientiæ: ita vt nemo dubitare poſſit quin ad eas rés hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Quid igitur? an qui virilem iam ætatem ingreſſus, quum eodem & ipſe amore teneatur, pōpas, ludos, atque eiuſmodi ſpectacula frequentat, nihil agere dicendus eſt? Vereor certè ne hoc quoque vel Nihil agere vocandum cenſuerit Seneca, vel Aliud agere. Nam (vt idem Cicero ſcribit) *non ita generati à natura ſumus vt ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potius, & ad quædam ſtudia grauiora atque maiora. Ludo autem & ioco vti illis quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tum quum grauibus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus.* Quid verò? an & poetę, quum ludere ſe ipſimet dicunt, nihil agunt? An denique omnia quæ ad fallendum tempus facimus (vt non alia de cauſa ſcribi etiam verſus à ſe exule dicebat Naſo) perinde ſunt acſi nihil agere-

mus? Hæc quidem certè problemata ſoluere, haud dixero eſſe nihil agere.

Ad tertios illos *aliud agentes* venio: quos Muretus putat eos eſſe qui negligenter ac languidè omnia tractant, & quiduis potius cogitant quàm id quod agunt. Quid? an omnia digna eſſe putat quæ à nobis tractentur, dummodo negligenter & languidè ea nõ tractemus? Imò verò loqui hîc voluit Seneca non de iis qui quod agunt, quod tractant, aliter tractant quàm decet, ſed qui aliud omnino agunt & tractant quàm quod decet atque expedit: & ita quidem vt varia, de quibus ne cogitauerant quidem, agant: vt qui domos & theatra & fora pererrant: qui alienis ſe negotiis offerunt, ſemper aliquid agentibus ſimiles. Quorum ſi aliquem exeuntem domo interrogaueris, Quò tu? quid cogitas? reſpondebit tibi, non mehercule ſcio: ſed aliquos videbo, aliquid agam. Qui ſine propoſito vagantur, quærentes negotia: nec quæ deſtinauerunt agunt, ſed in quæ incurrerunt: qui denique domum cum ſuperuacua redeuntes laſſitudine, iurant neſciſſe ſeipſos quare exierint, vbi fuerint. Cur enim Senecam ad ſuorum verborum expoſitionem non aduocem?

Sed tamen multi etiam ſunt qui quamuis certum in ſuis actionibus propoſitum

teneant,

tèneant, quamuis id tantùm quod deſtinauerunt agant, tamen aliud agunt, id eſt, aliud quàm quod agere debēt qui bene beatéque viuere cupiunt, aut ſaltem vitam ſuam bene inſtituere, ſeu vitæ ſuæ ſtatum bene ordinare.

Præſertim verò illi aliud agunt qui in friuolis & inutilibus ſtudijs tempus & operam ponunt, non iis quæ dixi (quum de nihil agentibus loquerer) ab ipſo etiam vulgo pro talibus haberi, ſed in quibus nonnulli etiam philoſophi magnam ætatis partem conſumebant: vt videre eſt epiſtola XLVIII & LXXXVIII: vbi quum ſyllogiſmi captioſi, de quibus, tanquam ſubtilibus & vafris, ſibi placebant, tum verò quæſtiones prorſus friuolæ & inutiles irridentur.

Sed tādem in locum illarum XVIII Italicarum expoſitionum, totidem Gallicas (id eſt meas) illorum verborum *aliud agentibus*, (omnes tamen inter ſe concordes) ſubſtituere contentus non ero, ſed illi numero τεταρτημόριον adiiciam, & XXIIII dabo.

I. *Aliud agunt* qui vitæ ſuæ tempus in alios quàm ſuos vſus conferūt vt ipſe loquitur Seneca.

II. *Aliud agunt* qui quod eſſe vitæ ἔργον

debet, πάρεργον faciunt: quod, autem πάρεργον eſſe oporteret, faciunt ἔργον.

III. *Aliud agunt* qui aliter vitam inſtituunt quàm humanæ vitæ conditio requirit.

IIII. *Aliud agunt* qui aliena ab animi tranquillitate agunt.

V. *Aliud agunt* qui occupatam laborioſámque vitam agunt, quum agere otioſam & quietam poſſint.

VI. *Aliud agunt* qui alia quàm quæ humanæ vitę officia poſtulant, agunt.

VII. *Aliud agunt* qui ad alias quàm naturæ leges vitam inſtituunt.

VIII. *Aliud agunt* qui vitæ ſuæ tempus aliis rebus quàm iis propter quas amanda eſt impendunt. Vel, Qui ita viuunt vt ex vita eum fructum qui verus eſt eius fructus non percipiant.

IX. *Aliud agunt* qui aliam vitæ viam ſequuntur, quàm quæ ad optabilẽ exitũ ducere nos poteſt.

X. *Aliud agunt* qui alia potius omnia quàm vitam ſuam ordinãt. Vel, Qui aliis potius omnibus quàm

quàm vitæ ſuæ veram regulam præſcribunt.

XI. *Aliud agunt* qui non ad ſe, ſed ad alios actiones ſuas referunt.

XII. *Aliud agunt* qui ea agunt per quę alij in vitam eorum incedunt.

XIII. *Aliud agunt* qui ſemper aliis, nũquàm ſibi vacant.

XIIII. *Aliud agunt* qui alienis negotiis gerendis ſe ſibi abduci ſinunt.

XV. *Aliud agunt* qui aliis, potius quàm ſibi, vitæ ſuæ vſumfructum concedunt. Aut breuius, qui aliis potius quàm ſibi viuunt.

XVI. *Aliud agunt* qui in aliis quàm ad vitam bene beatéque agendam conducentibus ſtudiis tempus ponunt.

XVII. *Aliud agunt* qui ſuperuacua & vitæ inutilia diſcunt.

XVIII. *Aliud agunt* qui à fugiendis petẽda ſecernere minimè diſcũt.

XIX. *Aliud agunt* qui alia diſcunt quã quæ ad virtutem viam ſternũt.

XX. *Aliud agunt* qui alia diſcunt quã vnde viri boni euadant.

XXI. *Aliud agunt* qui aliud quiduis potius diſcunt quàm viuere.

XXII. *Aliud agunt* qui iis tantùm operam dant quæ ad accipiendã virtutem præparare poſſunt, ſed non eam dare.

XXIII. *Aliud agunt* qui ita bonarum & vtilium rerum ſtudio locum in animo ſuo dant, vt interim alia ſuperuacua ex eo non tollant.

XXIIII. *Aliud agunt* denique & qui in ſtudiis quidem vtilibus tempus ponunt, ſed in tranſitu, & perfunctoriè, & aliud agentes, id eſt, aliis interim cogitationibus animum occupatum habentes: vt ij de quibus Seneca ipſe, libri vltimi Naturaliũ quæſtionum capite vltimo, ſcribit, *ad ſapientiam quis accedit? quis dignam iudicat niſi quam in tranſitu nouerit? Quis philoſophiam aut vllum liberale reſpicit ſtudium, niſi quum ludi intercalantur? quum aliquis pluuius interuenit dies, quem perdere libet?* Scribẽdum enim hîc eſt *libet*, non *licet*, vt habent omnes editiones. Atque hanc emendationem, ἐπίμετρον iſtius epiſtolæ habetò. Imò verò & quãdam excuſatiunculam iſtius ſermonis, qui ὑπέρμετρος videri poterit, προσεπιμετρήσω. Hanc enim ſiue πολυλογίαν ſiue μακρολογίαν (ſi tamen ſermonem, longum quidem, ſed nihil ſuperuacaneum habentem, ita vocare licet)

huic

huic βραχυλογίᾳ Senecæ adeo πολυσημάντῳ imputandam eſſe dico. In præcedentibus autem ideo longior fui, quòd bona fidè omnia quæ alii attulerant, tibi proponere, nec minus fideliter meum de illis iudicium interponere volui. Quòd ſi mea tãtùm propoſuiſſem, quamnunc tuo do iudicio optionem dare non potuiſſem. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

IN aliquot ſuperioribus epiſtolis, de nonnullis Senecæ locis ad te ſcripſi qui plerìſque falſò ſuſpecti ſunt, aut ſuſpecti eſſe poſſunt: nunc contrà de quibuſdam ſcribam qui multis obrepunt: id eſt, ita leguntur à multis, vt qui ſubeſt illis error non animaduertatur: ideóque minimè ſuſpecti ſint, quũ tamen eſſe debeant.

A duobus autem locis initium ſumam, qui idem mendum habent, id eſt, vnam eandémque vocem pro alia poſitam. Legimus

enim epiſt.XLVII, *Stare ante limen Calliſti dominum ſuum vidi: & eum qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, alijs intrantibus excludi.* Nam quum ita legatur in omnibus ſuperioris temporis editionibus, non dubium eſt tamen quin *rejcula mancipia* ſcribi debeat, vt Rom. editio habet. Sic in commentariolo De breuitate vitæ, capite ſeptimo, *Diſpunge, inquam, ac recenſe vitæ tuæ dies: videbis paucos admodum & ridiculos apud te reſediſſe.* quũ itidem ſcribendum ſit *rejculos.* At quotuſquiſque tamen vel hunc vel illum locum, quamuis illo non hoc modo ſcriptũ, mendi ſuſpectum habebit?

Eorum è numero eſt hic quoque (licet aliud quoddam ſit errati genus, & ad quod animaduertendum magis ſenſum quàm verba conſiderare oporteat) epiſtola XCIX, quæ numerabatur antea C, *Sæpe ſalua ſapientis autoritate fluxerunt* lacrymæ, *tanto temperamento, vt illis nec humanitas nec dignitas deeſſet.* Nam quid hoc eſt, humanitatem non deeſſe lacrymis? quomodo fieri poteſt vt humanitas illis deſit? viciſſim autem quomodo dignitatem illis ineſſe dicemus? quamuis hoc magis quàm illud excuſari poſſe fatear. At hũc locũ, qui multum negotij poteſt faceſſere lectori cuipiam valde attento (nam quin

quin multis & hic obrepturus ſit non dubito)& vel non intelligetur, vel ita intelligetur, vt mereri reprehenſionem Seneca videatur, tanquam non ſatis conſideratè loquutus: parua mutatione talẽ reddere poſſe mihi videor, vt ab iis quę dixi nullũ periculũ impẽdeat. Nã ſi detracta vnica litera *ſ*, legatur *illi*, non *illis*, vt de ipſo ſapiẽte nõ de eius lacrymis hæc dicãtur, nihil tale timẽdũ erit.

Sed multo etiam magis mirari debemus eõs quibus ij loci qui ita ſcripti erant vt aliquid abſurdi haberent, minimè fuerunt ſuſpecti. Ex ijs autem eſt hic, epiſtolæ VII, *Interfectores interfectis iubentur obijci, & victorem in aliam detinent cædem.* Quale enim hoc fuiſſet, interfectores interfectis obijcere? aut quod illis cædis periculum ab interfectis eſſe poterat? Et tamen ne ille quidem qui à vigilantiſſima cura profectam caſtigationem promiſerat, de hoc loco monuit: quum alioqui in promptu etiam alia lectio eſſet, *interfectores interfecturis iubentur obijci*, Niſi quis malit ſcripturam quæ eſt in Rom. editione ſequi, *Interfectores inter ſe iubentur obijci*: quæ certè mihi paulo magis placet, etiamſi partim cõiectura, partim veteris libri autoritate nitatur, in quo eſt *interlectis*, non *interfectis*. Neque verò omittendum hîc aliud erratorum, tanquam gladiatorum, par,

iuuenum occiſorum pro *otioſorum*, & viciſſim *otioſos* pro *occiſos*, de duobus Obazi filijs, quos itidem iuuenes fuiſſe credibile eſt.

Mirum eſt, & *viuendum* pro *videndum*, in ſuperioris temporis editionibus in ſuſpicionem non veniſſe, epiſtola XCIIII, *Fateor huic non eſſe opus præceptis ad viuendũ:* quum de oculis eum loqui nemo nõ videat, ideóque dicere, *huic non eſſe opus præceptis ad videndũ.* Verùm vt hîc litera *v* locũ literæ *d* occupauerat, ita viciſſim ſedem illius *v* à litera *b* videmus fuiſſe occupatam, in epiſtola CI. nam ibi legitur in Romana etiam editione, *Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt:* quum ſcribi debeat (meo quidem iudicio) *aptauit.* Verùm litera hæc *v* iniuriam ſibi hac in epiſtola factam vlta eſt in alia. nam quum in principio epiſtolæ XCIX, Seneca *leniter* ſcripſiſſet (hoc in loco, *nec putaui leniter illum debere tractari*) illa irrepens fecit vt in *leuiter* mutaretur: idémque & alibi fecit. Sic alienam ſedem occupauit & vltimi de ira libri capite vltimo: quum ibi *Videre* legamus vbi *Ridere* legi debet: *Videre ſolemus inter matutina arenæ ſpectacula, tauri & vrſi pugnam inter ſe colligatorum.* Sed non idem hoc de loco quod de primo, illo dixerim, in quo *viuendum* pro *videndum* poſitum fuit. non enim

æquè

æquè manifeſtus eſſe hic error poteſt. Sic verò excuſari poſſunt & qui quomodo emendandus eſſet membri proximi locus in quo hæc ipſa litera *v* duas ſedes loco vnius tenebat, non animaduerterunt. nam non *ſuus* ſed *ſus* ſcribendum eſſe, non cuiuſuis erat ſuſpicari.

Nonnullos autem locos ideo nõ animaduertimus eſſe mendoſos, quòd nec in ſenſu nec in ſermone quidquam reprehenſione dignum habere videantur: ſed potius ea quę germana eſt lectio aliquid inſolens præ ſe ferat. Atque hinc accidit vt non ſolùm inemendati multi manſerint antea, ſed nunc quoque maneant. Quod fortaſſe dicendum eſt de hoc loco epiſtolæ x c, *Sufficit ad id natura quod poſcit.* Quamuis enim nihil huic ſcripturæ poſſe opponi videatur, tamen non dubito quin paulo aliter ſcribendum ſit: hoc videlicet modo, *Sufficiebat id natura quod poſcit.* ſicut dicit, *erant*, & *poſtulabat*, & *erat*. Iam verò & ex iis qui in prioribus editionibus germanam ſcripturam habebant locis nõnulli in poſterioribus mutati ſunt, occaſione ex eo ipſo quod dixi ſumpta. Sic enim epiſt. x c v i i i, de Regulo, Socrate, Rutilio, Catone, Fabricio, Tuberone, Sextio, loquutus, *Nos quoque* (inquit) *aliquid ex his faciamus: animoſi ſimus. Inter exempla*

quare deficimus? quare deſperamus? quum ſcribendum ſit, *Nos quoque aliquid ex his faciamus animosè. ſimus inter exempla. Quare deficimus?* Quam ſcripturam habet ἔκδοσις Frobeniana, anni M. D. XXIX. at poſteriores, & nominatim Heruagiana, quòd inſolens videretur loquendi genus, Eſſe inter exempla, eo quò dictum eſt modo immutauit. Vale.

HENRICVS STEPHANVS
IACOBO DALECHAMPIO
S. P. D.

SENECA (ſi eiuſdem Senecæ ſunt & Controuerſiarum libri) in ſe memoriam ita floruiſſe ſcribit, vt non tantùm ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet. Et poſtquam eius quod dixit exemplũ attulit, illam tum quoque, quamuis ætate eſſet quaſſata, talem fuiſſet ſcribit, vt quæcunque apud illam aut puer aut iuuenis depoſuiſſet, quaſi recentia & modò audita ſine cunctatione proferret. Sed tamen apud eum quoque obſeruata ſunt aliquot errata,

ex

ex memoriæ lapſu orta, quę μνημονικὰ ἁμαρτήματα, vel σφάλματα, dicere poſſumus. Quæ ideò non incredibile eſt apud eum inueniri, quòd quemadmodùm prima ætate in miraculum vſque proceſſerat, ita pro miraculo haberi poterat quod de eadem ſcribit, quum ætate quaſſata eſſet. Quamuis enim quęcunque apud illam depoſuiſſet aut puer aut iuuenis, non aliter quàm modo audita proferret, vt modò dictum eſt: tamen ſiqua illi intra proximos annos commiſiſſet, ſic perdebat & amittebat, vt etiam ſi ſæpius ingererentur, toties tanquam noua audiret.

Sed, quæcunque ei memoria fuerit, tres locos notari video in quibus bonæ fidei illā non fuiſſe obiicitur. Verùm in duobus ſaltem patronum me habebit, ſi tuum patrocinium, mi Dalechampi, meo, alioqui parum valido, adiungere libuerit. Hi autem duo, illi erunt qui præcedunt.

Libri igitur primi Naturalium quæſtionem capite vndecimo, vbi dixit aliud virgarum genus apparere, quum radii per anguſta foramina nubium tenues, intenti diſtantéſque inter ſe diriguntur, & ipſi ſigna imbrium ſunt: his ſubiungit iſta, *Quomodo nunc me hoc loco geram? quid eas vocem? imagines ſolis? hiſtorici ſoles vocant, & binos ter-*

vóſque apparuiſſe, memoriæ tradunt. Græci parelia appellant: quia in propinquo fère à ſole viſuntur, aut quia accedunt ad aliquam ſimilitudinem ſolis. Et, pauciſſimis verbis interiectis, interrogat iterum, *his quod nomen imponimus?* Atque huic interrogationi ſubiungit, *an facio quod Virgilius, qui dubitauit de nomine, deinde id de quo dubitauerat, poſuit?*

-& quo te nomine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Saternis.

Hîc autem Matthæus Fortunatus aut nos deprauatum & non bene intellectum Virgilij locum habere dicit, aut (quod ſe magis ait credere) Senecæ incuriam eſſe accuſandam, diligentiámque requirendam. non enim de nomine Rheticę, ſed de laude & pręconio dubitare Virgilium,

-& quo te carmine dicam Rhetica?

Et quia hac dubitatione de eius præconio viſus erat maximam ei attribuiſſe nobilitatem, ne Rhetica hac laude multum ſibi placeat, ſéque omnibus vitibus præferat, quum nobiliores ſint aliquæ Campanæ (licet Cato Rheticam omnibus prætulerit) ſubiungit,

Nec cellis ideo contende Falernis.

Addit igitur, veriſimile eſſe ſomnum Senecæ hoc loco obrepſiſſe. At ego veriſimile eſſe

le eſſe nego Senecam citaſſe hunc Virgilij verſum, tanquam de nomine ambigentis, quin ſciret etiam quam de eo ambigendi cauſam haberet. Ei autē quod adiicit, Virgilium, quoniam viſus erat hac de eius præconio dubitatione maximam ei attribuiſſe nobilitatem (pro quo maluiſſem præſtantiā dicere) ne Rhetica hac laude multum ſibi placeat, addere, *-nec cellis ideo cont. Falernis:* oppono alteram lectionem,

-ne cellis adeò contende Falernis.

Nullum enim locum habet quod tanquam à Virgilio dictum addit, ſi hanc lectionem ſequimur, quæ non vnius codicis autoritate nititur. Atqui habemus alteram lectionem apud ipſum Senecam. Fateor: verùm credibile eſt eū non plura verba quàm hæc attuliſſe, *& quo te nomine dicam Rhetica?* (nam his tantùm illi opus erat) ſed aliquem voluiſſe verſum abſoluere. At Plinius quoq; alteram lectionem ſequutus videtùr. Quid tum? iam eius ſeculo eſſe poterant exemplaria quæ ex duabus lectionibus meliorem non haberent. Obſeruandum eſt autem in hac lectione, *& quo te nomine dicam Rhetica?* perinde eſſe acſi diceret Virgilius, Atque hoc in numero tu quoque ponenda es, quā neſcio an Rheticā nominare debeam.

Cæterùm non hîc tantùm imitatur Seneca

neca quod à Virgilio fieri dicit, ſed alibi etiam. Nam epiſt. CXVII, poſtquam dixit, *Coguntur noſtri verba torquere, & vnam ſyllabam expetendo interponere, quam ſermo noſter inſeri non ſinit. ego illam, ſi pateris, adiungam:* quamuis dubitans, ánnon, patiatur ille eam adiungi, tamen adiungit in ijs quæ proximè ſequuntur. At epiſt. LVIII, dicit ſe vſurum eſſe vocabulo Eſſentia, ſiue permittat Lucilius, ſeu non. ſcribit enim, *Cupio, ſi fieri poteſt, propitijs auribus tuis eſſentiam dicere: ſin minus, dicam & iratis.* Sed ſuperioris temporis editiones vocabulum *eſſentiam* in *quid ſentiam* deprauatum habent. Huc pertinet & quod legimus apud eum, de quodam Paulo prætorio loquentem, *Rem ineptiſſimam fecero ſi nunc verba quæſiero quemadmodum dicam illum matellā ſumpſiſſe.* Nam dum oſtendit ſe libenter vſurū eſſe alio vocabulo, ſed ineptiſſimā rem facturum eſſe ſi noua verba quærat, interim vulgari, licet ſordido, vtitur.

Verùm, vt ad duos illos reliquos veniam locos, vnus eſt hic, libri De beneficijs primi capite XIII, *Alexandro Macedoni, quum victor orientis, animos ſupra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati ſunt, & ciuitate illum ſua donauerunt. Quum riſiſſet Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli, inquit, ciui-*

ciuitatem vnquam dedimus alij quàm tibi & Herculi. Quibus addit, Alexãdrum, hoc audito, libenter accepiſſe delatum honorem, & legatos inuitatione aliáque humanitate proſequutum, cogitaſſe non qui ſibi ciuitatem darent, ſed cui dediſſent. Atqui quod de Corinthijs narrat, memoriæ proditum eſt de Megarenſibus, obijciunt aliqui. Fateor: ſed fieri potuit vt aliquis de Corinthijs ſcriptum hoc relinquerit, quod de Megarenſibus ab alio ſcriptum fuerat, & fortaſſe (nam à Corinthijs oblatum hoc officium, pluris quàm à Megarenſibus æſtimaturum fuiſſe credibile eſt) ſcribendum erat. Quod ſi ita eſt, quis affirmare poteſt, ἁμάρτημα ſeu σφάλμα μνημονικὸν hîc eſſe?

Tertius qui non itidem defendi poteſt locus eſt in illo Naturaliũ quæſtionum opere, libri quarti capite ſecundo. Nam in huius principio ſcribit, *Quare non cum poeta meo iocor, & illi Ouidium ſuum impingo?* qui ait,

-nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Conſtat enim hæc eſſe Tibulli, non Ouidij. nam legimus apud Tibullum, libri primi elegia ſeptima, in qua Meſſalæ natalem celebrat,

Nile pater, quánam poſſum te dicere cauſa
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Vnde Nilus à quodam Parmenone Byzãtio αἰγύπτιος ζεὺς vocatus fuit, Athenæo teſte.

Sed quid, quòd ſcribit, excepta Macedonum gente, non eſſe in vlla datam aduerſus ingratum actionem? nónne & hîc (dicet aliquis) eſt memoriæ lapſus? Nam libri III, De beneficijs, capite VI, hoc de Macedonibus ſcribit quod de Perſis apud Xenophontem legitur: δικάζουσι δὲ καὶ ἐγκλήματος οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζονται δὲ οὐδ᾽ ἥκιστα, ἀχαριστίας. De qua tamen vera huius loci lectione editio mea omnium prima lectores admonuit: quum antea ſcriptum eſſet contrario planè ſenſu, δικάζονται δὲ οὐχ ἥκιστα. Et mihi de mea coniectura quam in priori editione annotaueram, gratulatus ſum in poſteriori, quum illam à Iulio Gabrielio (ſicut & alias pleraſque) veteris exemplaris autoritate confirmari comperi. eundem enim ſenſum efficit quod ille affert, ſicut docent meæ in poſteriorem Xenophontis ἔκδοσιν annotationes. Vt autem ad Senecam reuertar, ne illi memoriæ lapſum hîc obiiciamus obſtat lectio quę ex veteri quodam libro affertur *Medonum*. nam vt in *Macedonum* facilè, ſed malè, mutari potuit illud *Medonum*: ita in *Medorum*

Medorum facilè, & rectè, mutari poteſt. quod & factum in Romana editione fuit. Sed quamuis Græci, præſertímque Attici, Medos pro Perſis dixerint, & τὰ Μηδικὰ pro τὰ Περσικὰ, miror tamẽ maluiſſe Medorum quàm Perſarum dicere Senecam: niſi voluit ſignificare, antequam etiam imperium à Medis ad Perſas tranſlatum eſſet, illam ingratum actionem in vſu fuiſſe.

Alia ſunt nonnulla quæ mirari magis quàm reprehendere ſoleo. Ex eorum numero eſt iſtud, *Homerum intelligas quum audieris poetam.* Nam quis credat Senecam ignoraſſe, τὸν ποιητὴν, non ſimpliciter ποιητὴν, Homerum vocatum fuiſſe, quum poeta per excellentiam appellabatur? atque vt illud aliud ſonat quàm hoc, ita etiam aliter interpretandum eſſe? Sed tempus eſt dicendi Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

SICVT in Ariſtotelem inquiſiuit Seneca, in ijs quæ de ira tradidit, ita in Senecam fortaſſe inquireret vel Ariſtoteles vel alius quiſpiã ſuper nonnullis quæ ab illo de ea ſcribuntur: ſed potiſſimum ſuper eo quòd iræ iudicium tribuit. *Ira* (inquit libri ſecundi capite tertio, in fine) *eſt concitatio animi ad vltionem voluntate & iudicio pergentis.* Dixerat autem initio capitis primi, *Quærimus enim vtrum ira iudicio an impetu incipiat. id eſt, vtrum ſua ſponte moueatur, an quemadmodum pleraque quæ intra nos inſcijs nobis oriuntur.* Hæc autem quæ intra nos inſcijs nobis oriri dicit, ea eſſe puto quorum mentionem capite ſecundo facit. nam vbi dixit, omnes motus qui non voluntate noſtra fiunt, inuictos & ineuitabiles eſſe: addit, *vt horror frigida aſperſis, ad quoſdam ictus cõſternatio, ad peiores nuntios ſubriguntur pili, & rubor ad improba verba ſuffunditur, ſequitúrque vertigo prærupta cernentes.* Et addit, *Quorum*

rum quia nihil in noſtra poteſtate eſt, nulla quo minus fiant ratio perſuadet. Itidémque epiſtola LVII, de his intelligit, quum quædam eſſe dicit quæ nulla virtus poteſt effugere: & mentionem facit eorum qui ad ſubita inhorreſcunt, necnon eorum qui caligant, quum vaſtam altitudinem, in crepidine eius conſtituti, deſpiciunt. Vt igitur iræ motum ab huiuſmodi motibus diſtinguat Seneca, illi iudicium tribuit. Sed viderit. nam quomodo iræ quidquam cum iudicio commune eſſe poteſt, ſi iratus extra ſe eſt? ira furor breuis eſt? ſi ea quæ per iram fiunt, non ſolùm ἀπρονοήτως & ἀπροβουλεύτως, ſed & ἀπροαιρέτως, nec tantùm ἀπροαιρέτως, ſed ἀκουσίως etiam fieri à quibuſdam philoſophis dicuntur? Qui autem hæc dicunt quomodo non & ἀκείτως ijs addant?

Videndum igitur ne, quemadmodum dicit Seneca eſſe quiddam quod non ſit ira, ſed quaſi ira, ita etiam, quod dicit eſſe iudicium, dicere potius debuerit eſſe quaſi iudicium.

Mirarer autem & quod capite tertio libri ſecundi ſcribit, *Nunquam autem impetus ſine aſſenſu mentis eſt*, niſi videretur, quod mente non neſciente fit, cum eius aſſenſu fieri exiſtimare. Sed hoc non minus quàm illud eſt cur mirum dicatur, meo quidem

iudicio. Cæterùm de hoc quoque ambigi poteſt, quomodo de impetu dici illud poſſit (præſertim ſi verba illa *ſine aſſenſu mentis* ita vt apud alios ſonarent accipiamus) quum alibi ſcribat (de brutis animantibus loquens) eum errare qui ea in exemplum hominis adducit, quibus pro ratione eſt impetus, quum homini contrà pro impetu ratio ſit. Alicui enim locum hunc legenti videbitur primo aſpectu impetus in hominem non cadere, quum tamen ipſe & alibi paſſim illum ei tribuat. Eius certè frequens mentio eſt epiſtola LXXXIX. nam quum tripartita ſit philoſophia, moralem eius partem in tria rurſus diuidens, primam eſſe ait, inſpectionem ſuum cuique diſtribuentem, & æſtimantem quanto quidque dignum ſit: ſecundam de impetu, tertiam de actionibus. Primum enim eſſe vt quanti quidque ſit iudices: ſecundum, vt impetum ad illa capias ordinatum temperatúmque: tertium, vt inter impetum tuum actionémque conueniat, vt in omnibus iſtis tibi ipſi conſentias. Addítque, quidquid ex his tribus defuerit, turbare & cætera. *Quid enim prodeſt* (inquit) *intus æſtimata habere omnia, ſi ſis impetu nimius? Quid prodeſt impetus repreſſiſſe, & habere cupiditates in tua poteſtate, ſi in ipſa rerum actione tempora ignores, nec ſcias quando quidque &*

que & vbi & quemadmodum agi debeat? His denique adijcit, aliud eſſe, dignitates & pretia rerum noſſe: aliud, articulos: aliud, impetus refręnare, & ad agenda ire, non ruere. Tunc ergo vitam ſibi concordem eſſe vbi actio non deſtituit impetum. Impetum autem ex dignitate rei cuiuſque concipi, perinde remiſſum acrioremve prout illa digna eſt peti. Vbi quæ de impetu dicit, aut certè eorum pleraque, Stoici Græci περὶ τῆς ὁρμῆς dicerent: nec tamen ſicut in altero dixit loco, brutis animantibus pro ratione eſſe impetum, homini pro impetu eſſe rationem, ita Græci, τοῖς μὲν ζώοις ὁρμὴν ἀντὶ λόγου εἶναι, τοῖς δ' ἀνθρώποις λόγον ἀντὶ ὁρμῆς, dicerent, vt opinor. Quomodo enim ὁρμὴ ab homine remoueri poteſt, quum à Cicerone reddi Appetitum & Appetitionem, necnon Naturalem appetitionem, videamus? Nec verò vt ὁρμὴ habet ſibi oppoſitum ἀφορμὴ (Stoica quidem certè lingua) ſic & Impetus habet quod ipſi eodem modo opponatur.

Sed vt ad illum Senecæ locum redeam, *Nunquam autem impetus ſine aſſenſu mentis eſt*, ipſemet alibi non ſatis conſentanea his loqui poteſt videri fortaſſe, ſed impetum ab aſſenſu ſeparare, quod ad tempus attinet, vbi ſcribit, *Omne rationale animal nihil agit, niſi primùm ſpecie alicuius rei irritatum* (vel po-

tius *incitatum) eſt. Deinde impetum cepit: deinde aſſenſio confirmauit hunc impetum.*

Denique hac voce Senecam non vno modo vti, ex eo apparet quòd interdum primum impetum dicit,(non ſimpliciter impetum:) (& ſequentem impetum:) vt lib.II.de ira, cap. III, *ſed ille ſequens impetus.* nam videtur primam agitationem animi, de qua loquutus eſt, pro eo qui præcedit impetu habere) item,conſilij indigentem impetum necnon improuidos & violentos impetus, quos affectus ſine ratione poſtea videtur nominare. At quum impetum inconſultum ferarum dicit,fruſtra hoc addere videtur, & ſatis eſſe impetum dicere, vt in eo qui allatus ex eo fuit loco.

Quid igitur tibi videatur de vſu huius vocabuli, &, vbi Græco ὁρμὴ reddi non poteſt,quo alio reddere poſſimus,ex te intelligere cupio. At quum dicit,*ſæpe impetum cepi abrumpendæ vitæ*,in hoc loco & ſimilibus quin aptè ſimus vſuri Græco ὥρμησα, nec tibi dubium puto futurum.

Sed ἐν παρόδῳ erunt huius epiſtolæ προσθήκη emendationes meę duorum locorum in illo libri ſecundi de ira capite tertio, cuius teſtimonio vſus ſum. Nam vbi legimus, *ergo prima illa agitatio animi,quam ſpecies iniuriæ incuſſit,non magis ira eſt quàm ipſa*

ipſa iniuriæ ſpecies: ſed ille ſequens impetus, qui ſpeciem iniuriæ non tantùm accepit, ſed approbauit, ſcribendum puto, *non magis ira eſt quàm ipſa iniuriæ ſpecies iniuria eſt*. Aliud enim eſt iniuria, aliud iniuriæ ſpecies: quam ſignificauit & quum dixit, *Putauit ſe aliquis læſum*. Sic autem & capite primo huius libri, *iram quin ſpecies oblata iniuriæ moueat non eſt dubium*. Atque ita Ariſtoteles iram oriri ἐπὶ φαινομένῃ ἀδικίᾳ dicit. Altera emẽdatio eſt in illa periodo cuius initium modò attuli: nam quum ſcriptum ſit, *putauit ſe aliquis læſum, voluit vlciſci: diſſuadente aliqua cauſa ſtatim reſedit*, ſuſpicor ſcribendum *ſtatim ira reſedit*. Quid ſi verò & tertiã ex inſperato emendationem addam, & ita iſti huius epiſtolę ἐπιμέτρῳ aliquid προσεπιμετρῶ? Hoc mihi per te licere ſcio. Erit igitur illa correctio, vocabuli quod habet is locus quem attuli ex capite primo illius ſecundi libri de ira. Minimè enim mihi placet in eo legi, *ſpecies oblata iniuriæ*, ſed, *ſpecies oblata iniuriæ*. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

PARISINÆ meæ in Aulum Gellium (vel in Agellium) NOCTES cùm alias in eum habent coniecturales emendationes, tũ verò quandam cui par pari (vt ita dicam) referri in quodam Senecæ loco animaduerti. Nam in illa præſtantiſſima oratione qua Fauorinus philoſophus eos oppugnat qui ſeſe Chaldæos ſeuGenethliacos appellabãt, ac ſe de motu déque poſitu ſtellarum poſſe futura prædicere profitebantur, legimus inter alia, *Atque videmus & has tantummodo ſtellas & ex vna parte terræ obſeruari debuiſſe:* quam ſcripturam ſequendo ſibi non conſtaret Fauorinus, vt ibi oſtẽdi, pagina illarũ noctium CXLVIII: at ſi *videmus* in *vt demus* mutetur (meæ coniecturæ aſſentiẽdo) ea quæ hîc dicuntur, nec à præcedentibus, nec à ſequentibus diſſentanea erunt. Ecce autem locum Senecæ, in quo vice verſa pro *vt des* in vet. exempl. legitur *vides*: epiſt. LXXXII, *Sed, vt cœperam dicere, vides ipſam mortem*

mortem nec malum eſſe, nec bonum: Cato illa honeſtiſſimè vſus eſt, turpiſſimè Brutus. Ita enim in vet.exempl. quum omnes editiones habeant *vt des.* Sed vtraque lectio ferri poſſe hîc videtur (ſic tamen vt non accipiamus *vt* pro quamuis, quemadmodum apud Fauorinum) quum illic *videmus* nullo ferri modo queat.

Quid autem de eo qui proximè præcedit loco dicendum eſt? de eo inquam vbi verba Bruti referuntur, *Hic eſt enim Brutus, qui quum periturus mortis moras peteret, ad exonerandum ventrem ſeceſſit: & euocatus ad mortem, iuſſúſque præbere ceruicem, Præbebo, inquit, ita viuam. Penè adiecit, vel ſub Antonio.* Nam apud Valerium quum prius ita legeretur vt hîc, *ita viuam, dabo*, mutata fuit in nouiſſimis editionibus illa lectio in iſtã, *ita vt viuam.* Atqui ſcribit Valerius eum iureiurando vſum eſſe. eius verba ſunt, *Nam à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miſerat, comprehenſus, non ſolùm ceruicem gladio ſubtraxit, verumetiam conſtantius eam præbere admonitus, ipſis his verbis iurauit, ita viuam, dabo.* Miror certè, receptam hanc lectionem in alteram illam mutatam fuiſſe, etiamſi in nonnullis exemplaribus inueniretur: & mirari non deſinam, donec iſtam loquendi formulam, *ita vt viuam*, iuriiuran-

do adhibita inuenerim, in locis qui extra omnem mendi ſuſpicionem ſint. Apud noſtrum quidem certè Senecam facilius fortaſſe locum hæc lectio (ſuum his verbis vſum dando) haberet: prçſertímque addendo illa, *vel ſub Antonio*: quæ tamen non dixiſſe eum ſcribit Seneca, ſed parum abfuiſſe quin dixerit. Tum de vtroque loco iudicium expectabo. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

Πολλὰ μεταξὺ γραφῆς πίπτει αὐτοῦ τε γραφείου. Liceat mihi, mi Dalechampi, vulgare illud prouerbium, Πολλὰ μεταξὺ πέτει (vt ſcribendum eſſe admonui iampridem) καὶ χείλεος ἄκρου, ita per indignationẽ μεταμορφοῦν. Nam in parua illa mora quæ fuit inter id tempus quo graphium in manum ſumpſi & quo γραφὴν meam incepi, duobus è locis de quibus ad te ſcribere volebam, alter memoria excidit, ab aliqua præteruolante cogitatione excuſſus. Nam duo mihi loci

loci in mentem venerant in quibus *malitia* pro *malacia* malè ſcriptum eſt in editionibus Senecæ: quorum vnus tantùm in Romana correctus fuit: & (quod magis doleo) is cuius omiſſa fuit correctio, is eſt quem memoria excidere ſibi paſſa eſt. Alterius tamen faciam mentionem, licet nouam hãc emendationem tibi minimè futuram exiſtimem. Is eſt epiſtola LXXXII, *intereſt vtrum malitia illis an virtus manum admouerit.* Nam *malacia* habet hic illa editio: quod conuenientiſſimum eſſe videtur, vt intelligamus quam Latini *molliciem*, vel potius cũ adiectione *molliciem animi* dixerunt. Quamuis autem à Plutarcho μαλακία & ἀνανδρία copulentur, tamen minus illud quàm hoc eſſe videtur.

Sed quomodo alium quendam Senecæ locum cum loco Cæſaris conciliabimus? *Tanta ſubitò malacia ac tranquillitas extitit*, inquit Cæſar, malaciam & tranquillitatem copulans: at Seneca, *Sed in otio inconcuſſo iacere, non eſt tranquillitas, malacia eſt.* Conciliari ego hoſce locos non poſſe arbitror: ſed à Seneca potius ſto quàm à Cæſare: quòd malaciam in mari plus quàm tranquillitatẽ, ſicut in animo ἀνανδρίαν plus quàm malaciam eſſe exiſtimem.

Ad aliam pulcherrimam vocem Græcã

venio,quam miraberis quum audies ab eo qui Romanam illam editionem nobis dedit,fuiſſe apud Senecam ignoratam : ſed res tamen ita ſe habet. Nam epiſtola XCVIII in ea ſcriptum eſt,ſicut in aliis,*Et oblitus fati quo humana iactantur,ſibi vni fortuitorum conſtantiā ſpondet*,quū germana lectio(vt noſti) ſit *petauri*:ſed in quibuſdā exempl.ſub voce *peccati* latebat, magis aliena à loco Senecæ quam *fati*, & tamen ad veram lectionem (vt ſæpiſſime in diuerſis lectionibus videmus vſuvenire) multō propius accedente. Vale.

HENRICVS STEPHANVS
IACOBO DALECHAMPIO
S. P. D.

QVEMADMODVM in alijs quas ſuſcipimus rebus , ita etiam in emendandis ſcriptoribus vetuſtis creſcit paulatim fiducia. (abſit enim vt confidentia , multo etiam magis vt audacia dicam.) Quinetiam à neceſſarijs ad ea quæ minimè ſunt neceſſaria, & quaſi ab interioribus ad externa nonnunquam venitur.

tur. Ita enim loqui libet de ijs emendationibus per quas non reſtituuntur loci in quibus alioqui deprauatus autoris ſenſus erat,aut verba mota ſua ſede ei redduntur, ſed tantùm aliquid ornatui ſententiæ aut ſermonis adijcitur:(ſi tamen hoc inter externa numerari poteſt)vel illius ſcriptis aliã quàm antea in libros,aut libris aliam in ea quæ vocantur capita diſtributionem damus: aut,ſi etiam epiſtolæ ab eo ſcriptæ ſint,idem in ijs facimus.

Sed ineptæ librorum Senecæ in capita diuiſionis exempla non pauca in mea Prodopœïa attuli:ad epiſtolas autem quod attinet, editio Romana quæ de inepta illa capitum diſtributione tacuerat, admonuit vnam in duas malè fuiſſe laceratam. Ita enim loquitur annotationum autor de epiſtola XLVIII, cuius initiũ eſt, *Ad epiſtolã quam mihi ex itinere miſiſti:* Hanc epiſtolã(inquit) lacerarãt in duas,& poſterioris principiũ fecerant ab illis verbis, *Mus ſyllaba eſt*: ego rurſus membra diuulſa coniunxi.Hęc ille.at ego de epiſtola CII(quæ antea CIII numerabatur,& cuius initium eſt, *Quomodo moleſtus eſt*)dicere itidem audeo, Hanc epiſtolam lacerarunt in duas, & poſterioris principiũ fecerunt *Quid iſta circumſpicis*: quum hæc vſque ad finem, poſtremum illius ſint

membrum,quod auulſum antea, nunc à me illi redditur:vt epiſtola quę ab his verbis incipit, *In Nomentanum meum fugi* ſit C I I I. De illa certè vnius epiſtolæ X L V I I I mala in duas ſectione queſtus eram antequàm Romana editio prodiret: ſed hæc vt de iſta quoque nunc queri auderem fecit. In eadem porro editione hæc in verba, quæ ſunt in fine epiſtolæ X C V I I I, *De noſtro damno agitur,quibus ſenex egregius eripitur*, annotatur, quum huius ſenis nullam in ſuperioribus mentionem feceri‸,credibile eſſe multa huius epiſtolæ principio deſiderari: ſed ego crediderim potius huius ipſius epiſtolæ finem deſiderari,& alius principiũ, ad quam pertineant iſta, *His ſermonibus & his ſimilibus*, & reliqua vſque ad finem epiſtolæ. Verùm vt ad eam de qua loquutus ſum ſectionem reuertar, non hanc eſſe vnam dico de qua nobis reſtare querela poſſet: ſicut & quamuis de multis capitibus admonuerim quibus malè aſſignaia fuerunt ſua principia, ſcio tamen alia eſſe quamplurima de quibus eidem admonitioni locus relictus ſit. Sed quod differtur,non aufertur.

Ne hoc quidemte celabo, ſuſpicari me, epiſtolam X C I X,cuius initium eſt,*Epiſtolam quam ſcripſi Marullo*, ex duabus eſſe conflatam: & cum alia eſſe quæ me in hanc ſuſpicio-

cionem adducant, tum verò quòd vnum idémque argumentũ non paucioribus quàm præceſſerat verbis repetitur. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

NESCIO an tibi, mi Dalechampi, in quorundam Senecę locorum lectione idem quod mihi vſuueniat: an potius effecturus ſis vt eos abſque vllo periculo poſthac legã: id eſt, vt mihi eos legenti nullum ſtomachãdi periculum impendeat. Quínam illi ſunt? Illi certè potiſſimum in quibus nos cupere, nos timere vetat. Vt enim ille toties nobis iraſcitur quòd cupiamus, quòd timeamus, ita ego illi viciſſim ſuccenſeo quòd nullum vſquam remedium aduerſus hoſce duos affectus oſtendat. Si enim aliquod aduerſus hos afferri remedium poteſt, cur non affert? ſi nullum, cur nobis, in quos hæ ægritudines ex humanæ naturæ conditione, cadunt, de illis tantopere iraſcitur? Vt alios pleroſque locos prętereã, ſcribit epiſtola LXXXVIII,

Ad geometriam transeamus, & ad muſicam: nihil apud illas inuenies quod vetet timere, vetet cupere. quæ quiſquis ignorat alia fruſtra ſcit. Et epiſtolam CXV his verbis claudit, *Qui profectum ſuum vita æſtimet, & tantum ſcire ſe iudicet, quantum non cupit, quantum non timet.* Præſertim autem in eos qui timent inuehi-hitur, & dementes vocat. *Nihil eſt nec miſerius* (inquit) *nec ſtultius quàm ſemper timere*, vel, *quàm prætimere*, vt in vet. exemp. legitur. Et alibi, *Quid dementius autem quàm angi futuris?* Et alicubi ſenarium hunc affert,

Stultum eſt timere quod vitare non poſſis.

(niſi potius, *vitare non queas*, ſcribẽdum eſt) ſed meritò reſponſurus mihi videor,

Minus timenda quæ poteſt vitare quis.

Vel hoc,

Vitare nemo quod vocas ſtultum poteſt.

Vel potius iſtud,

Vitare poſſe quod vocas ſtultum, doce,
Et ſcis quod eſſe nec tibi vitabile.

Quòd ſi cuiquam τὸ φοϐεῖσθαι eſſet vitabile, cur nemo vnquam quo vitari poſſet pacto docuiſſet? Atqui, quamuis iracundiæ quoque ſimus natura obnoxij, tamen περὶ ἀοργησίας aliqui ſcripſerũt, & morbi huius ſi non remedia ſaltem delinimenta oſtenderunt: at περὶ ἀφοβίας quis vnquam ſcripſit? Sed nec de vitanda cupiditate, id eſt de arte vitandæ

cupidi-

cupiditate,id eſt,de arte vitandę cupiditatis, quiſquam, vt opinor, vnquam aliquid ſcriptum reliquit. Quo magis laudanda quæ à Seneca de duobus his traderentur, eſſent: ſed ego nondum in vllum incidi locum in quo nos vllis aduerſus horum alterutrum armis inſtruat. In Indice quidem Frobenianæ editionis inueni, Cupiditas quomodo fugienda: & remitti lectorem ad epiſtolam x i x, cuius eſt initium, *Exulto quoties epiſtolas tuas accipio:* ſed ibi Senecam potius ſuadere vt fugiat cupiditatem, quàm docere quomodo fugienda ſit, comperi. Vnicum memini me locum legere, in quo aliquid huc pertinens affert, *Ne concupiſcamus efficies, ſi,ne oſtendamus effeceris.* Hoc autem cur dicat,ex præcedentibus patet: quibus ſimilia & in alia epiſtola dicuntur. Sed hoc minimè ſufficiēs eſt aduerſus cupiditatem remedium, non habere cui diuitias cupitas & tandem acquiſitas oſtendamus:etiamſi multi præcipuum earũ fructum,poſſe eas oſtentare, exiſtiment. Qua de re feſtiuiſſimè ludit Lucianus:ſed locum in alia epiſtola indicabo:mihi enim ad manum non eſt. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

PARODIARVM moralium à me ſcriptum atque editum eſſe librum non ignoras, mi Dalechampi: vt autem ſcias non eius tantùm generis parodias à me ſcribi, en tibi παρῳδηθέντας celebres illos Heſiodi verſus, quorum primus eſt,

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ.

de iis παρῳδηθέντας, inquam, qui ſcriptores ita legunt, vt non ſolùm, eſſe mendoſum aliquem locum, ſed etiam quomodo emendari poſſit, animaduertant: de ijs item qui ſaltem aliorum bonis emendationibus acquieſcunt: necnon de ijs qui nec ingenio nec iudicio ad deprehendenda menda ſatis valent, nec ab illis qui eorum vtroque ſatis ad eam rem inſtructi ſunt, admoniti, percipere ac comprehendere cur integra hæc ſcriptura, deprauata autem illa iudicanda ſit, queunt. Audi igitur

Οὗτος μὲν πανάριστος ἀναλλέξασθαι ἅπαντας
Συγγραφέας τέλεια, ὃς αὐτῷ σφάλμα νοήσῃ,
Φρασσά-

Φρασσάμενος τὸ δικαίως γεγραμμένον ἔμμεν ἄμεινον·
Ἐσθλὸς χ' ὃς τῷ καλὰ μεταγράψαντι πίθηται·
Σφάλμα δ' ὃς οὐχ αὐτῷ νοέῃ, οὔτ' ἄλλου ἀκούσας
Βάλλητ' ἐν θυμῷ, βίβλοις ἀχρήϊος ἀνήρ.

Tu certè Dalechampi non in primo ſolùm ſed in ſecundo etiam ordine primus, aut ſaltem inter primos es: ideóque libenter tibi meas cõiecturas communico. Sed eo etiam libentius quo diligentiorem te in ſcrutanda rimandáque veterum exemplarium ſcriptura eſſe ſcio. Hoc autẽ in eo potiſſimum de quo nunc ſcribam loco fieri à te cupio: quoniam quum magni ſit momenti, & à me parua cum mutatione corrigatur (ſi quidem ſτοχασμὸς meus eſt εὔστοχος) mihi ſit veriſimile, aliquod eius veſtigium in veteri quopiam libro inuentum iri. Legimus enim epiſtola LXXXVIII, non procul abeius fine, *Hæc ſciam, & quid ſi ignorem?* Dixerat autem antea, *Itáne in geometriæ puluere hærebo? adeo mihi præceptum illud ſalutare excidit? Tempori parce.* Quibus ſubiungit illa, *Hæc ſciam, & quid ſi ignorẽ?* At in marg. quarundam editionum ponitur alia lectio, *& quid ignorem? hoc ſciam.* In Romana autem ſcriptum eſt, *Hæc ſciam, vt quid ignorẽ?*

At ego ex illa ſcriptura quæ magis recepta eſt,& quā vel nulli vel pauci mendoſam eſſe animaduertūt,petendū eſſe huic loco remediū dico, minima (vt & in eo qui præcedit) cū mutatione: nimirū ex *ſi* faciendo *ſim*: vt legamus, *Hæc ſciam? & quid ſim ignorem?* Perinde acſi diceret,Quomodo rationi cōſentaneum fuerit vt hęc ſciam, & interim, quid ſim(id eſt, quidnam ſit, hominem eſſe) ignorem? Aliquot enim huius epiſtolæ locos huc pertinētes habemus. Obiter antē & de his verbis quæ fere extrema in epiſtola ſunt, *Tota rerum natura vmbra eſt aut inanis aut fallax*, dicam quod ſentio,ea mihi videri aliter quàm per interrogationem legi non poſſe. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

ECce quouſque paulatim audacia mea creuerit,mi Dalechampi:falcem in alienam meſſem,& quidem veſtram, audeo immittere. Ne te autem diu mirabundum detineam,audi.

Epiſtola LXXV, cuius principium eſt, *Minus*

Minus tibi accuratas à me epiſtolas mitti quereris, legimus, *Affectus, ſunt motus animi improbabiles, ſubiti & concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum: ſicut diſtillatio vna, nec adhuc in morem adducta, tuſſim facit: aſſidua & vetus, phthiſin.* Hanc ſanè lectionem habent omnes editiones quæ in manus meas venerunt (ſiquidem & in Romana ita legitur) tãtùm in eo diſſentit à cæteris Frobeniana, anni M.D.XXIX, quòd *ptyſim* habet nõ *phthiſin*. At ego perſuadere mihi non poſſum, Senecam *diſtillatio vna* ſcripſiſſe: contrà *diſtillatio noua*, ſcriptum ab eo fuiſſe, perſuaſum habeo. Ac pro me facit (meo quidem iudicio) & quod cum hoc vocabulo velut copulatur, *nec adhuc in morem adducta*: & quod ei opponitur.

Quemadmodum autem queror, malè hîc *vna*, non autem *noua*, illi voci *vetus* opponi in omnibus editionibus, ita etiam iuſtam querendi occaſionem habere mihi videor de vocabulo *illuſtribus*, oppoſitum habente *vetera*, epiſtola LXXXIII. *Vnum tamen* (inquit) *exemplum, quod occurrit mihi, referã, ne intercidat. inſtruenda eſt enim vita exemplis illuſtribus, non ſemper confugiamus ad vetera. L. Piſo vrbis cuſtos, ebr.* &c. Exempla quædam eſſe eiuſmodi ſcio vt illuſtria, præ aliis, vocari poſſint: ſed cur hoc eo in numero

I.iij.

ponatur? cur verò illi *illuſtribus* vetera opponantur? Niſi fortè ex veteribus exemplis nulla eſſe illuſtria dicendum foret. Quid igitur ſubſtituendum putem non dubito quin iam, vel me tacente, animaduertas, & vocabulum *recentibus* tibi quoque in mentem veniat: ac minimè in dubium vocandam eſſe hanc meam cõiecturam dicas. Sed addo, mihi videri etiam particulam *non* mutandam in *ne*: hoc modo, *inſtruenda eſt enim vita exemplis recentibus, ne ſemper confugiamus ad vetera.* Quòd ſi etiam recepta lectio maneret, videri poſſet iſta particula *non* in *ne* eſſe mutanda.

Audi verò & aliud, in principio ipſius exempli, quod itidem mutandum, non propter ſenſum tamen, ſed propter Latinitatẽ, aut ſaltem tanquam rariſſimum, annotandũ videtur. *L. Piſo, vrbis cuſtos, ebrius ex quo ſemel factus fuit, maiorem partem noctis in cõuiuio exigebat: vſque in horam ſextam fere dormiebat: hoc erat eius matutinum.* Cur enim, ſi *fuit* retineamus, non potius *exegit* & *dormiuit*, & *hoc fuit eius matutinum* ſcribamus? aut certè (quod magis mihi placeret) *fuit* in *fuerat* aut in *erat* mutemus?

Cæterùm, vt ad illam LXXV epiſtolam reuertar, miror editionem Romanam in ea *abſtinendus ſum* retinuiſſe, *vrendus, ſecandus abſti-*

abſtinendus ſum. Huius enim loci, facta Latinitatis mentione, recordatus ſum. quomodo enim illam ſcripturam tolerare poſſit? At verò *abſcindendus*, quod à Pinciano ex quibuſdam vet. exempl. affertur, ſcripturam nobis relinquit quæ à Latinitate nihil alienum habet, meo quidem iudicio: ſed quonam ſenſu dicetur? nam præcedit *ſecandus*. An hoc de quauis ſectione intelligetur, at illud, *Abſcindendus ſum*, Abſcindendũ mihi eſt membrum, ſignificabit? Dubitabit fortaſſe quiſpiam an Seneca ita loqui fuerit ſibi permiſſurus.

Sed quid hoc eſt, quòd medicinales quædam quæſtiones velut ordine in memoriam mihi veniunt? Iam enim duas accepiſti: en tibi & tertiam: (ſcis autem medicinales à me vocari quæſtiones quæ ſunt ſuper quopiam Senecæ loco habente quod ad medicorum artem pertineat) ex epiſtola xcv, *Nec mirum quòd inconſtans variúſque ex diſcordi cibo morbus eſt, & illa ex contrariis naturæ partibus in eundem compulſa redundant. Inde tam nullo ægrotamus genere quàm viuimus.* Nam hæc in Romana etiam editione ita leguntur: & tamen poſteriori periodo contrarium ineſſe puto ſenſum iis quæ Seneca dicere voluit: neque cum mente Senecæ conſenſuram, quin ſcribatur, *inde tam*

nullo non agrotamus genere quàm viuimus. Vt intelligamus, inde fit vt quemadmodum nullo non viuimus genere victus, ita etiam nullo genere morbi non ægrotemus. Quinetiam vbi legimus, *in eundem compulſa*, libenter *in eundem locum*, aut *in eundem ventrem*, ſcriberem.

Sed ecce, iam tertiò falcem in tuam meſſem immitto: in meſſem (inquam) quæ duobus modis tua eſt. nam cùm loci omnes Senecæ qui emendatione opus habent, meſſis tua ſunt, tum ii vel maximè qui aliquid ad eam quam magna cum laude profiteris artem pertinens habent. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

QVOTIES aliquid inueni, non expecto donec dicas, In commune: ipſe mihi dico. Libet enim te hoc epiſtolæ Senecæ principio compellare, tuámque ſpem non fruſtrari. Affero enim quendam Plutarchi locum, quem cum multis Senecæ te libenter collaturum

turum ſcio. Sed primùm hunc audiamus, *Ad eum tranſeamus* (inquit) *qui conſenuit, quantulo vincit infantem? Propone* (ſed libentius legerem, *Propone tibi) profundi temporis vaſtitatem, & vniuerſum complectere. deinde hoc quod ætatem vocamus humanam compara immenſo: videbis quàm exiguum ſit quod optamus, quod extendimus.* Atque hęc ſcribit epiſtola x c i x, circa medium. Rurſus autem in fine, *Illud quoque dicamus ei qui deflet ac deſiderat in ætate prima raptum. Omnes, quãtum ad breuitatem æui, ſi vniuerſo compares, & iuuenes & ſenes in æquo ſumus. Minus enim ad nos ex omni ætate venit quàm quod minimum eſſe quis dixerit. quoniã quidẽ minimũ aliqua pars eſt: hoc quod viuimus, proximum nihilo eſt, & tamen ob dementiam noſtram latè diſponitur.* Quinctiam alibi hoc ipſo argumento vtitur. Eodem certè Plutarchum in Conſolatoria ad Apollonium oratione niti comperi. Scribit enim, pag. 204, meæ editionis, πεπαιδευμένων δ᾽ ἐστὶν ἀνθρώπων προειληφέναι διότι βραχὺν χρόνον προειλήφασιν ἡμᾶς οἱ δοκοῦντες ἄωροι τοῦ ζῆν ἐστερῆσθαι. καὶ γὰρ ὁ μακρότατος βίος, ὀλίγος ἐστὶ καὶ στιγμαῖος πρὸς τὸν ἄπειρον αἰῶνα. Niſi potius ſcribendum eſt; πρὸς τὸν ἄπειρον ἀφορῶσιν αἰῶνα, ex alio eiuſdem loco, in eodem libro. Dixerat enim antea, pag. 193, τί, τε πολὺ δήπουθεν

ἢ μικρὸν οὐδὲν διαφέρειν δοκεῖ πρὸς τὸν ἄπειρον ἀφορῶσιν αἰῶνα. Quibus & Simonidis teſtimoniũ adiungit, τὰ γὰρ χίλια καὶ τὰ μύρια (κατὰ Σιμωνίδην) ἔτη, στιγμή τις ἐστὶν ἀόριστος, μᾶλλον δὲ μόριόν τι βραχύτατον στιγμῆς. Qui fortaſſe Simonidis locus vtrique eiuſdem argumenti materiem ſuppeditauit, aut certè ex alio quopiam communi fonte hauſerunt.

Sed quandoquidẽ in Simonidis mentionem incidi, alium eius locum afferam, quem cum Senecæ conferre loco, id eſt, cum Curij Dentati dicto, quod à Seneca refertur, volupe erit. Legimus enim De tranquill. animi, cap. III, *Vt opinor, Curius Dentatus aiebat, malle eſſe ſe quàm viuere mortuum.* (ſed hæc duo prima verba, *vt opinor*, vulgò cum præcedentibus iunguntur) conuenire autem cum his Dentati verbis videntur iſta Simonidis, ἄνθρωπε κεῖσαι ζῶν ἔτι μᾶλλον τῶν ὑπὸ γῆς ἐκείνων. Quæ verba pro illa germana lectione facere etiam poſſunt: quum vulgò ſcribatur (vt ſcis) *Malle eſſe ſe mortuum quàm non viuere*, pro his, *Malle eſſe ſe quàm viuere mortuum.* Nam & illa Simonidis de eo dicuntur qui non eſt reuera mortuus, ſed tamen mortuus viuit. (id eſt, non ſecus ac mortuus) quòd nihilo vtilior ſit viui opera quàm eſſet mortui.

Iſtud obiter addam, hoc mirari me, & quidem

quidem ſuſpectum habere, quòd hæc, de æui noſtri breuitate, ſi illud cum vniuerſo compararetur,(& quæ ſequuntur) à Seneca in eadem epiſtola repetantur.

Cæterùm quamuis & Græca inuenerim argumentum quoque illud habentia quod proximè præcedit,& non pauca eorum quæ παραμυθητικῶς à Plutarcho dicuntur, cum iis quibus Seneca ad conſolationem vtitur artificiis conuenientia, non tamen de iis quoque κοινὸς Ἑρμῆς à me nunc dicetur: donec tu viciſsim mecum aliquod ἕρμαιον cõmunicaueris. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

DISSENTIT ab Horatio & cæteris poetis, necnõ à quibuſdam philoſophis, Seneca, in his quę ad Lucilium ſcribit epiſtola XCIIII, *Erras enim ſi exiſtimas nobiſcum vitia naſci: ſuperuenerunt, ingeſta ſunt.* Et poſtquam dixit, opiniones quę nos circũſonãt,

monitionibus crebris eſſe compeſcendas, illud ipſum alijs verbis dicit, *Nulli nos vitio natura conciliat.* (niſi *conciliauit* potius ſcribendum eſt) *illa liberos ac integros genuit.* Deinde à genere ad ſpeciem veniens, ſcribit eam nihil poſuiſſe in aperto quod auaritiam noſtram irritaret, ſed contrà pedibus aurum & argentum ſubieciſſe, calcandúmque ac premendum dediſſe, & quidquid aliud eſt propter quod ipſi calcamur ac premimur. Sed ne longius ab illis verbis in quibus ab Horatio diſſidere illum dixi, abeamus, huius verba ſunt hæc,

Nã vitijs nemo ſine naſcitur. optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur.

Cui aſſentitur qui dixit,

Vnicuique dedit vitium natura creato.

Aſſentiuntur & quidam philoſophi, quemadmodum dixi. Sed mirum eſt Horatium ita de vitijs ibi loquutum eſſe, quum paulo ante dixiſſet, *-denique te ipſum*

Concute. num qua tibi vitiorũ inſeuerit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala.

Quomodo enim, quum híc vitia patim naturæ, partim conſuetudini malæ imputarit, illic naturę ſoli poteſt imputare? Ego igitur, mediam quandam inſiſtens viam, naturam nec omnino accuſo cum Seneca, nec damno cum Horatio, & ab ipſa non tam vitia quàm

quàm vitiorum ſemina inſeri nobis dico. Sed hoc ita dico, vt & tibi cenſendi ius relinquam, & ad illam deprauationis naturæ Chriſtianis ſolis cognitam cauſam non aſcendam.

Verùm, vt meam ſententiam de ſcriptura quorundam locorum paulo poſt ſequentium ἐν παρόδῳ exponam, illud *ſubditis* mendoſum eſſe, perſuaſum habeo, vbi legimus, *Alia deinceps digna miratu, ſiue per ordinem ſubeunt, ſiue ſubditis cauſis mota proſiliunt*: & duobus illis vetuſtis libris qui *ſubitis* nobis exhibẽt, aſſentior. Quod autẽ paulo pòſt in eorum vno *pateſcẽtis* ſcriptum eſt, non *fatiſcentis*, ita placet vt alterum non diſpliceat.

Sed quid illud eſt? *Nos fortunæ mala noſtra tradidimus*. aut *tradimus*. nam hoc quàm illud ſcripſiſſe Senecam veriſimilius eſt. Cogitaueram ita legi poſſe, Nos & noſtra fortunæ male tradimus. Poſtea tamen venit in mẽtem, illam etiam lectionem poſſe ferri, hoc ſenſu, Ea in fortunæ poteſtatem tradimus vnde tot mala nobis eueniunt. Aut, eandem rem latius explicando, Nos aurum & argentum poſtquam diſiecto terrarum pondere eruimus, fortunæ tradimus, & has res fortuitas, quæ nobis tot malorum cauſa ſunt, omnibus alijs præferimus, atque adeo amore illarum inſanimus: vnde fit vt ex for-

tinua pendeamus. An hæc tibi ſatisfaciant, ex te ſcire cupio. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

FABIO cum Seneca, ſi vterque reuiuiſceret, magnũ (vt opinor) iurgium oriretur, & fortaſſe ad manus res veniret: quum ille eloquentiam à liberalibus artibus ſeparet, hic autem artem dicendi, quam & rhetoricen vocat, modo non virtutem eſſe probare conetur. *Denique* (inquit Seneca) *inter omnes conuenit, nullam rem bene exerceri poſſe ab homine occupato, non eloquentiam, non liberales diſciplinas: quando diſtrictus animus nihil recipit, ſed omnia velut inculcata reſpuit.* Vbi eloquentiam ab eo vocari eloquentiæ artem, manifeſtum, meo quidem iudicio, eſt. At Fabius libro ſuarum oratoriarum inſtitutionum, aut ſuæ inſtitutionis oratoriæ, ſecundo, poſtquam dixit, illam quæſtionem eſſe maiorem, an ex medijs artibus quæ neque laudari per ſe neque vituperari poſſunt,

ſed

ſed vtilès aut ſecus, ſecundum mores vtentium, fiunt, habenda ſit rhetorice: an verò ſit virtus, vt compluribus etiam philoſophorum placet: quibuſdam interiectis ſcribit, *Verùm, hæc quam inſtituere conamur*(niſi *ad quam inſtituere* ſcribendum eſt)*& cuius imaginem animo concepimus, quæ bono viro conuenit, quæque eſt vera rhetorice, virtus erit.*

Sed magis etiam mirum videri poteſt quod idem Seneca ipſam etiam philoſophiā à liberalibus ſtudijs ſecernit, in fine libri ſeptimi & vltimi Naturalium quæſtionum libri. ſcribit enim, *Quis philoſophiam aut vllum liberale reſpicit ſtudium, niſi quum ludi intercalantur?* Niſi fortè perinde intelligendus eſt hic locus acſi ſcriptum eſſet, *Quis philoſophiam aut aliud vllum liberale reſp. ſtud.*&c. Alioqui certè eodem modo Cicero philoſophiam ab ingenuis artibus(quę non aliæ ſunt quàm liberales) diſtinguere videri poterit, vbi ſcribit, *Sint iſta Græcorum: quanquam ab his philoſophiam & omnes ingenuas diſciplinas habemus.* Nam & hîc niſi exiſtimemus non alio ſenſu hoc ab eo dictum eſſe, quàm ſi ſcriptum eſſet, *philoſophiam & cæteras omnes ingenuas diſciplinas*, eadem illa philoſophiæ fieri iniuria videbitur. At hæc valde repugnāte, vt quidē arbitror, Naſone fieret. neque enim dubito quin & philoſo-

phiam & dicendi artem, ſicut & poeticen, ingenuarum artium numero comprehendere voluerit, vbi ſcribit,

Adde quòd ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Verùm fuiſſe viciſſim videntur qui liberalium artium maiorem numerum facerent quàm par eſſet: & Seneca ad eos reſpiciens dixiſſe, epiſtola LXXXVIII, *Non enim adducor vt in numerum liberalium artium pictores recipiam: non magis quàm ſtatuarios, aut marmorarios, aut cæteros luxuriæ miniſtros.*

Audi verò quod magis etiam quàm quod dictum eſt miraberis. In eadem illa epiſtola quũ legamus, *Pueriles ſunt & aliquid habentes liberalibus ſimile hæ artes quas* ἐλευθερίας *Græci, noſtri liberales vocant*, Romana editio habet quidẽ nõ ἐλευθερίας, ſed ἐλευθέρας (quũ tamen illud potius quàm hoc Latinæ voci reſpondere conſtet) ſed in annotationibus admonemur, veteres libros ἐγκυκλίους habere, & hanc non illam vocẽ ponendam fuiſſe. Fabius autem (vt ſcis) ἐγκύκλιον παιδείαν ſiue ἐγκυκλοπαιδείαν orbem diſciplinarum eſt interpretatus. Vale.

HEN-

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

GRÆCIS vocabulis valde fuiſſe delectatũ Senecam cõſtat, quum eorum frequẽs ſit apud illum vſus: ſed audi quod nondũ fortaſſe noras, eum ab illis ſuum etiam MAGIRVM accepiſſe, ſi qua partim veteri exemplari, partim cõiecturæ eſt fides. Nã in principio epiſtolæ LXXXVII, quum hæc ſit omnium editionum lectio, *De prandio nihil detrahi potuit. paratum fuit non magis hora*, inuentum fuit exemplar quod habet, *ſine magis hira*: ex quibus nihil ſignificantibus ſyllabis coniectura fecit *ſine magiro*: vt prãdiũ dicat coqui opera nihil eguiſſe. Eſt autem in Ro. editionis annotationibus poſita hæc coniectura, non tamen in contexum (vt aliæ multæ, de quibus ſum queſtus) recepta. Quid? an illo etiam vocabulo vti auſum Senecam dicemus? Vix certè mihi ſit veriſimile: ſed hoc tamen nouè potius quàm vocabulo πανσωλὴ imperitè vſum eſſe crederem. Illo inquam πανσωλὴ, quod editiones fere omnes quæ illã præceſſerunt, nobis exhibent in epiſtola XCII, *Si non es ſola honeſtate contentus, neceſſe eſt aut quietẽ ad-*

illam, ῥητορικὴν *placuit vocari. Hæc verba curat,& ſenſus,& ordinem:* διαλεκτικὴ *in duas partes diuiditur.* Quis enim hæc omnia conuenientiſsimè aptiſsiméque de dialectice & rhetorice dici non videt? Sic verò & epiſtola x c v, non procul à fine, ἐτυμολογίαν, quod magis notum eſt, pro minus noto αἰτιολογίαν ſcriptum videmus fuiſſe. Sed & quod in principio huius epiſtolæ habemus παραινετικὴν non omni ſuſpicione apud me caret: quòd Latinum *præceptiuam* magis propriè alia quapiam quàm hac voce exprimere poſſe Græci videantur. Iam verò quum pro illo *progymnaſios*, quod epiſtola L x x x I I I inuenimus, quoddam vetus exemplar *progymnaſtos* habeat, non dubito quin mutari in *progymnaſtas* debeat: ſed in eo valde fallitur Muretus quòd, tāquā Polluce autore, à Platone & Xenophonte *progymnaſtas* & *ſyngymnaſtas* appellatos fuiſſe eoſdem ſcribit.

Cæterùm inter Græca vocabula Latinis literis ſcripta vnum ſuſpectum habeo, *logos*, in principio capitis x x v I I Conſolationis ad Polybium, *Non audeo te vſqueeo producere, vt fabellas quoque & Æſopeos logos, intentatum Romanis ingenijs opus, ſolita tibi venuſtate cōnectas.* & *apologos* nō *logos* ſcripſiſſe Senecam arbitror: vocem autem illam, non hanc, apud Ciceronem quoque hac de

ipſa re legimus:& Fabius *apologationem* etiã dicere quoſdã auſos eſſe ſcribit. Sed quẽadmodũ valde hîc mihi placeret ſcribi *apologos*, ita certè parũ placet *apologauit*, quod in epiſt. XLVII ſcriptũ eſt, *& ipſe illũ inuicem apologauit, & ipſe nõ indicauit domo ſua dignũ.* Atque(vt verum fatear) mihi & verbũ iſtud ſuſpectum eſt, licet & Romana illa editio ipſum receperit, & nonnulli ſignificare putent Conuitio affecit, vel Cõuitio notauit ſed hæc ſignificatio quid commune cum nomine Apologus vel cum verbo ἀπολογεῖσθαι habebit? Crediderim igitur potius Senecam *ablegauit* ſcripſiſſe: item, *& eſſe non indicauit domo ſua dignum.*

Nec verò prætereundum ſilentio hoc eſt, nonnulla etiam vocabula Greca, quæ in primis editionibus erant, & à Seneca ſcripta eſſe conſtat, in poſterioribus fuiſſe qui mutare ex coniectura voluerint. Sic initio epiſtolæ LXXX, *ſed ſpectaculi, quod omnes moleſtos ad ſphæromachiam auocauit.* (niſi *euocauit* potius ſcribendũ eſt) nam *ſphyromachiã* fuerunt qui annotarint ſibi videri ſubſtituẽdũ.

Quid quòd etiam alius quàm qui à Seneca circa finem libri de ira primi citatus fuerat Homeri locus, in ſuperioris temporis editiones irrepſit? Nam ibi poſt hæc verba, *Eloquentur aliquid quod tu magni putes: ſicut C. Cæſar, qui iratus cœlo quòd obſtreperet pãto mimis,*

mimis, quos imitabatur ſtudioſius quàm ſpecta bat, quódque comeſſatio ſua fulminibus terreretur, prorſus parum certis, ad pugnam vocauit Iouem: & quidem ſine miſſione: Homericum illum exclamans verſum, quum vacuum ſpatium (quod lacunā vocamus) relictum fuiſſet, in primis editionibus, quòd verſus ille in veteribus exempl. à librarijs fuiſſet prætermiſſus, fuerunt qui in poſteriores ex coniectura hunc intulerunt,

Ζεῦ πάτερ, οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.

hunc enim videri eſſe eum cuius mentionem Seneca feciſſet, annotatum multo antè fuerat in calce editionis Frobenianæ. Atqui non ineſſe huic verſui illam cuius meminit Seneca prouocationem videmus, ſed huic eiuſdē poetæ hemiſtichio, quod & à Dione affertur, Ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽, ἢ ἐγώ σε.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

VEREOR ne me tua iam patientia non vti ſed abuti velle dicas, quū tibi non ſingulis epiſtolis ſingulas cōiecturas aut ſaltē binas tantùm proponi, ſed in vnā plures infar-

ciri videbis. Verùm duo ad hoc faciendum me impellunt: vnum, vt tam varijs cogitationibus nõ tantùm animum tuum à dolore auocem, ſed eius memoriam quodammodo obruam: alterum, vt quum plures coniecturas vna eadémque epiſtola tibi proponam, illi in aliqua ſaltem εὔστοχον eſſe contingat. Quum autem velut in quaſdam claſſes diſtribuere eas quæ mihi (id eſt memoriæ meæ) ſuperſunt emendationes coniecturales, libeat, ab ijs locis quibus vocem aliquam aut etiam voces aliquas deeſſe arbitror, initium ſumam. Ac quum omiſſionis particularum indeclinabiliũ (quòd ea frequens ſit) exempla primùm proferre in animo habeam, earum prima erit vocula *Citò*: & quidem ita, vt prætermiſſionis eius non vnum exemplum ſed tria proponam. Anteibit autem quoddam ex Senecę epiſtola LXXVIII ſumptum: vbi illum dicentem audimus. *Magnos cruciatus habet morbus: ſed hos tolerabiles interualla faciunt. Nam ſummi doloris intentio inuenit finem.* at ego hîc particulam *citò* deeſſe dico: & pro mea coniectura facere addo quę ſubiungit, *Nemo poteſt valde dolere & diu. ſic nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, vt dolorem aut tolerabilem aut breuem faceret.* Alioqui autem dicere, *Summi doloris intẽtio inuenit finem*, quid eſt niſi quod lippis & tonſoribus notum eſt dicere? quis

enim

enim hoc neſcit? quis aliquid eſſe putat quod finem non inueniat? Dixerat autem hoc longè antea Epicurus, teſte etiam Cicerone: apud quem habemus, libro De finibus bonorùm & malorum ſecundo, *Iam doloris medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promant: Si grauis, breuis: ſi longus, leuis.* Idem eadem de re, & quidem ex eodem philoſopho, Tuſcul. quæſt. libro quinto, de eodem loquens, *Item de dolore certa habet quæ ſequatur: quorum magnitudinem breuitate conſolatur, longinquitatem leuitate. Quid tandem? iſti grandiloqui contra hæc duo quæ maximè angunt, melius ſe habent quàm Epicurus?* Illa autem duo de quibus loquutus erat, ſunt mors & dolor. Quorum vnà mentionem faciens & libro De finibus bonorum & malorũ primo, ſimul etiam huius Epicuri ſententiæ meminit, *Ineſſe enim neceſſe eſt in eo qui ita ſit affectus & firmitatem animi, nec mortem nec dolorem timentis: quòd mors ſenſu careat, dolor in longinquitate leuis, in grauitate breuis ſoleat eſſe: vt eius magnitudinem celeritas, duturnitatem alleuatio conſoletur.* Sed & Seneca ipſe alibi etiam, & quidem non vno in loco, (ſi memoria me non fallit) hoc de natura doloris teſtatur.

Secundus locus eſt capite tertio libelli De vita beata, vbi (quod mirum videri poſſit) non tãtùm eadem particula ſed cum eo-

dem verbo deſideratur, ſiquidem haud fallor. Ibi enim legimus, *Quæramus aliquid non in ſpeciem bonum, ſed ſolidum & æquabile, & à ſecretiore parte formoſius. hoc eruamus. nec longè poſitum eſt: inuenietur.* Quid? annon & quod longè poſitum eſt, tandem inuenitur? Hoc certè nemo negauerit. & viciſſim: id quod non longè eſt poſitum, citò inueniri. Quamobrem ſcribo, *citò inuenietur.* Videtur autem pro hac mea emendatione facere & quod ſequitur, *Scire tantum opus eſt quò manum porrigas.*

Tertium ad locum venio in quo eandem voculam deſiderari perſuaſum habeo. Eum habet epiſtola XCIX, *Sed puer deceſſit. Nondum dico, melius agi cum eo qui vita defungitur. Ad eum tranſeamus qui conſenuit: quantulo vincit infantem?* Nam & hîc deeſſe arbitror *citò*: & ita ſcribendum, *Nondum dico melius agi cum eo qui citò vita defungitur.* Quum enim hanc obiectionem attulerit, *Sed puer deceſſit*: tãquam mors pueri iuſtam mœrendi vel potius magis mœrendi occaſionem præbere dici poſſit: Nondum, inquit, ad hoc reſpondeo, & nondum eò venio vt feliciorem eſſe dicam eum qui citò vita defungitur, ita vt eius mors longo temporis ſpatio ſenectutē anteuertat. Sed antequam eò veniam, diſpicere (nam gaudet hoc vocabulo Seneca) libet quid hoc ſit quod ſenectutem

ctutem vocamus. Neque verò multa interijcit antequam ad eum quem differre ſe ait ſermonem accedat. Sequuntur enim hæc nõ longo interuallo, *Sed quis tibi concedat, non melius ſe habere eum cui citò reuerti licet? cui ante laſſitudinem peractum eſt iter?* Atque hęc erit epiſtolæ huius clauſula: ne ſerò de particula Citò dicendi finem feciſſe dicar. Sed citò alijs epiſtolis argumentum hoc perſequar. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

NON differo te (vt Seneca noſter loquitur) nõ differo te, inquam, mi Dalechampi: ſed iam nunc fidem meam apud te libero. niſi potius, quum ſuperiore epiſtola id iam facere cœperim, nunc à me illam reliquo (vt ita dicam) ære alieno liberari dicendum eſt.

Vt igitur omiſſionis particularum indeclinabilium alia exempla perſoluam, primùm delegatione huius debiti, apud te, tanquam creditorem, vtar: & ad meam Proodopœiam te remittam. Ibi enim locos inuenies qui huius prætermiſſionis exempla re-

pręſentent, ſicut & alterius. Duplicem enim ibi hanc παράλειψιν ſtatuo: vnam, quam aſſigno ijs locis vbi particularum aliquam ſpōte Seneca ipſe omiſerit, (quam eſſe perfrequentem oſtendo:) alteram, quā iis in locis conſtituo vbi nō ipſe ſed librarius aliquam παρέλειψε. Hoc autem in numero ſunt voculæ, *Sed*, & *At*, & *Atqui*: necnon *Autem*: item *Tamen*. Quinetiam *Enim*, ſeu *Nam*. quarum prætermiſſio maioris eſt quàm cæterarum momenti. Licet autem ibi nonnullos attulerim locos vbi librarij negligentia deeſſe illarū altera videtur, nō tātùm ex fine ad eos te remittā, ſed duos adijciam: vnum epiſt. c v i: alterū ex principio x c i i i. Vbi enim dixit, *Æquitatem tuam deſideraui, quæ tibi in omni perſona, in omni negotio ſupereſt: in vna re deeſt, in qua omnibus*. poſtquam hęc (inquam) dixit, iſta ſubiungit, *Multos inueni æquos aduerſus homines, aduerſus deos neminem*. Atqui, quum his rationem reddat eius quod dixit, æquitatem omnibus vna in re deeſſe, credibile eſt ſcripſiſſe, *Multos enim inueni æquos*. vel, *Nam multos inueni æquos*. Cæterùm huius particulæ omiſſionem facere plerūque vt quę ad pręcedentia pertinent & cū illis velut iuncta ſunt, noui ſermonis initium eſſe videātur: docui in Proodopoeïa. Sed quis hoc melius te nouit?

Etiam vocabulum *tantùm* prætermiſſum

alicubi

alicubi eſſe, ibidem oſtendi: ſed inſigne huius prætermiſſionis exemplum addam, ex epiſtola XXIX, *Deſinit morbus, incendium extinguitur: ruina, quos videbatur oppreſſura, depoſuit: mare, quos hauſerat, eadẽ vi qua ſorbebat* (ſed *ſorbuerat* ſcribendum puto) *eiecit incolumes.* Huic enim loco particulam *tantùm* deeſſe, librarij negligentia, exiſtimo, vel potius perſuaſum habeo, & ſcriptum ab illo fuiſſe, *ruina, quos videbatur oppreſſura, tantùm depoſuit.* Ex quo tamen tempore hanc de iſto loco opinionem concepi, alius mihi ſe obtulit in quo de ruina itidem loquens, & illo ipſo verbo *deponere* vtens, non *tantùm* ſed *molliter* illi adiungit. Legimus enim epiſtola XIII, *Incendium ad fugam patuit: quoſdam molliter ruina depoſuit: aliquado gladius ab ipſa ceruice reuocatus eſt: aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit.* Quid ſi igitur & in illa epiſtola XXIX *molliter depoſuit*, legeretur? dicet aliquis. Eundem (fateor) ſenſum hoc aduerbium efficeret: ſed quoniam alterum illud pleriſque locis omiſſum eſſe comperio, idem & de hoc mihi ſit veriſimile. Quid ſi verò addamus, Senecam ita etiam potuiſſe loqui vt *molliter tantùm depoſuit*, diceret? De hoc certè vt pronuntietur, conſiderandus eſt antiquus ille verbi Deponere vſus, quem apud Plautum habemus: & qui (ſi bene memini) talis eſt, vt aliter etiam quàm

molliter aliquem deponere dici poſſimus.

Sed in hoc ſermone de vocum indeclinabilium omiſſione, ipſemet omittendi libertatem mihi ſumam: & de alijs dicere superſedens, ad eam veniam cuius prætermiſſæ exempla, non dubito quin ea ſint quæ ex me potiſſimum expectas: vt videas vbinam eadem vtrique noſtrum in mentem venerint. Ea autem eſt particula negatiua NON, cuius (vt noſti) prętermiſſio vel adiectio ſenſum contrarium efficit: ideóque non parui refert tale mendum à lectore animaduerti. Quum itaque legamus ſub finem epiſtolæ LXXXIX, *Quàm vultis latè poſſidete: ſit fundus quod aliquando imperium vocabatur. facite veſtrum quidquid poteſtis, dum plus ſit alieni*: ego Senecam arbitror ſcripſiſſe, *dum non plus ſit alieni*. Quum autem iam iſtud de loco iſto ſuſpicarer, auxit ſuſpicionem, vel potius ſuſpicionem mutauit in perſuaſionem alter hic eiuſdē ſcriptoris locus, *Licet itaque velit nunc concurrere, & reparare quod perdidit, licet agros agris adijciat, vicinam vel pretio pellat aruis vel iniuria: licet in prouinciarum ſpatium rura dilatet: & poſſeſſ.* &c. Nam plus eſt alieni quum agrorum magna pars non ſoluto pretio ſed iniuria pulſis eorum dominis poſſidetur. Qua de re querentem audimus & Horatium,

Quid quòd vſque proximos

Reuellis agri terminos, & vltra
Limites clientium
Salis auarus?

Non dubito igitur quin poſthac meam illic ſcripturam ſis aduerſus alios etiam defenſurus, *dum non plus ſit alieni.*

Suntporro & alij loci quibus hanc voculam addi (meo quidem iudicio) neceſſe eſt. Eorum autem è numero ille eſt cuius in alia epiſtola mentionem feci, (inter eos in quibus me falcem in meſſem tuam immittere aiebam.) *Inde tam nullo ægrotamus genere quàm viuimus.* Sed & *non inuiti* pro *inuiti* legendum mihi videri, antea audiuiſti. Item, *niſi quod inuitus debet*, pro his, *quod inuitus debet.* Eadem enim eſt, vt ſcis, vtriuſque particulæ ratio.

SED quemadmodum multis addenda locis, ita pleriſque eſt detrahēda, niſi fallor. In his autem iſtum quoque pono, *Paupertatem, luctum, orbationem, alius aliter ſentit, prout illum conſuetudo infecit: & imbecillum impatientémque reddit præſumpta opinio de non timendis terribilibus.* Abeſſe inquam debet ab hoc loco vocula non, ſicut Seneca ipſe ab illis de quibus loquitur, cupiebat abeſſe illam vulgi opinionem, de timendis terribilibus: haud, de non timendis. Quis enim neſcit, vulgi, & multorum etiam qui in vulgo non numerantur, opinionem eſſe,

timenda eſſe quæ natura ſua terribilia ſunt?

Expungendam eſſe dico illam particulam ex hoc etiam loco, *Plus dolet quàm neceſſe eſt qui ante dolet quàm neceſſe ſit. Eadem enim infirmitate dolorem non æſtimat qua non expectat.* Nam lego, *Eadem enim infirmitate dolorem æſtimat qua non expectat.*

Alij ſunt inſuper loci in quibus expungendam mihi videri hanc voculam, antea tibi declaraui. Idem certè faciendum eſſe & in illo Catonis præcepto quod epiſtola XCIIII refertur, *Emas non quod opus non eſt, ſed quod neceſſe eſt,* quum antea ex coniectura tantùm dicere audirem, nunc ex autoritate etiam editionis Frobenianæ anni. M.D.XXIX, dicere audeo. nam in ea ita ſcriptũ eſt. Sed iam iſtum de hac particula ſermonem ſimúlque hanc epiſtolam claudendi tempus eſt. Vale.

HENRICVS STEPHANVS IACOBO DALECHAMPIO S. P. D.

STATVI hac epiſtola, mi Dalechampi, fidem meam magna ſaltem parte illius reliqui æris alieni liberare: ideóque vel multa prætercam vel magna breuitate vtar neceſſe

ceſſe eſt. Ad quam quum mihi adiumento
futurum ſit, non aliud dicere quàm quota
pagina eum habeat locum in quo aliquid e-
mendo (emendare ſaltem conor)id faciam,
& quidem in editione illa quam monſtroſis
inſignitam eſſe erratis antea non tacui.

Omiſſionis igitur pronominis exemplũ
ibi habes,pag. 269, nam *titillare me* ſcribo.
Atque vt hîc *me* adijcio, ita *ſe*.pag.154.nam
ibi lego,*ſi ſe complorat*, & ita Senecam alibi
loqui dico.Et alibi,non *tibi abducunt*,ſed *te
tibi abducunt* o lego.In illa itẽ quã ad te ſcri
pſi epiſtola,cui epitaphia Petri Victorij ſub-
iunxi, inter alias in Senecam emendationes
vna eſt (niſi fallor) quæ *ſi te abſconderis* loco
horum,*ſi abſconderis*,habet.Necnon,vbi le-
gimus,*Propone profundi temporis vaſtitatem*,
legendum mihi videri , *Propone tibi prof.
temp.vaſt*. antea dixi.

Non tamen in hac orationis parte(quod
ad declinabiles attinet) magis quàm in alijs
παραλείψεις inuentum iri puto.Nam præter
quas iam declaraui,poſſum hîc aliquot pro-
ferre.Ex illis vna eſt pag.308, *& iniuriã qui
facturus eſt iam facit.* ſcribo enim,*iam cogita-
tione facit.* Atque hunc ipſum auferendi ca-
ſum, aut certè *mente* libenter adiecerim &
pag.244. vt ſcribatur, *& vniuerſum cogita-
tione complectere*. vel, *mente complectere*. aut,
animo complectere.Adiectiua etiam nonnul-

la:vt antea *malam gratiam*, non ſimpliciter *gratiam*,ſcribendum cenſui.Et vbi legimus, *diſiecto terræ pondere*, vel *magno pondere* vel *ingēti pondere*, ſcriptum fuiſſe ſuſpicor.Item non *impetu*, ſed *primo impetu*, alio quodam in loco. Aduerbij autem omiſſi recordor, pag.88.nam ſcribendum cenſeo, *exitus fortiter pugnantium mors eſt*. Atque his te nunc contentum eſſe velim.Nam de locis quibus plura verba deeſſe arbitror, diſſerere nunc non vacat. Sed claudere hanc epiſtolam libet confirmatione cuiuſdam tuæ coniecturæ de vocabulo omiſſo.Nam quum in quodam loco vbi *minas* tantùm legimus, ſcribas ex coniectura *minas fortunæ*, ego hanc ſcripturam alius loci autoritate confirmari comperi. Vale.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google